43
6 G
12

Digitized by Google

Digitized by Google

ROMANORUM PONTIFICUM DECRETALIUM

A Primo uſque ad Sextum Librum Synopſis accurata, & plana,

QUA

Exhibentur Tituli, Librorumque Capitula ſingula; & prò re natâ

PRÆCEPTORIS ANGELICI DOCTRINA ILLUSTRANTUR.

Subijcitur Juris Canonici Regularum explicatio.

LABORE, ET STUDIO

P. FR. ANTONINI SERAPHINI CAMARDA

MESSANENSIS ORDINIS PRÆDICATORUM

Sacræ Theologiæ Magiſtri, olim in Alma Univerſitate Urbinatenſi Theologiæ Dogmaticæ publici Lectoris, & Hebræorum Concionatoris, modò in Collegio Caſanatenſi, Conventus S. Mariæ ſuper Minervam Romæ, Textus Summæ Theologiæ Angelici Doctoris D. Thomæ Aquinatis, Moderatoris Veſpertini.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PAPÆ

CLEMENTI XI.

PONTIFICI MAXIMO.



ROMÆ MDCCXV.

Typis Joannis Franciſci Chracas, propè S. MARCUM in viâ Curſus.

Superiorum permiſſu.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO
CLEMENTI XI.
PONTIFICI MAXIMO.

Frater Antoninus Seraphinus Camarda fœlicitatem.

S*UMMA Sacrorum Canonum ſub tuis auſpicijs in lucem prodit*, Beatissime Pater, *ut ſingulari tuâ Beneficentiâ, & clementiſſimâ Magnanimitate illud acquirat nomen, quod nullatenùs ab Auctore me-*

Digitized by Google

retur, ſed quod obtinebit, ſi libenti animo, qualecumque ſit opus tuo ſub nomine vulgatum, benignè digneris excipere. Communis ferè omnium Senſus eſt, ſuperiores, & longè à mentibus noſtris diſſitas ætates, omni virtutum genere noſtram ſuperaſſe, neque aliquem modò eſſe Majoribus illis comparandum. Quâ in opinione plures eſſe haud miror, quorum id Ingenium eſt, ut audita viſis, & vetuſtiſſima quæque majora arbitrentur. Non tamen is ſum, qui negem, majori præclarorum Virorum copia illa floruiſſe tempora. Aſſentior ſanè ob meam in præſens ſæculum pietatem, ſi commodè poſſem, negaturus. Eſt enim ut ſentio, benè Inſtituti hominis temporum ſuorum bonis delectari, & ſi quem videant virtutibus præcellere, tantò illum majori admiratione, & laudibus proſequi, quantò inter paucos clarior ejus virtus apparet. At quis, Beatissime Pater, *fateri non cogatur in te uno, omnium virtutum ſpecimina, ſcientiarum Incrementa, & commiſſi tibi Gregis curam ſplendeſcere? Nàm cùm primùm ad Pontificatus Apicem aſſumptus es, varijs caſibus agitatum Eccleſiæ clavum, ità compoſuiſti, ut ex graviſſimis procellis in tranquilliſſimum portum tanti Gubernatoris peritiâ, periclitans Pe-*

tri

tri Navicula appulerit. Quis tuæ Pietati Par? Quis fortitudini? qui ut commiſſæ tibi Eccleſiæ, & Chriſtianæ Religioni conſuleres, nullum recuſaſti laborem? Vidimus, Beatissime Pater, *vidimus, Scientiæ, Clementiæ, Majeſtatiſque ſpeciem te Pontifice dignam, & conſenſimus omnes talem eſſe, qui ab omnibus ſummâ veneratione coleris; cui publica, & privata bona redduntur, qualem decet eſſe Virum, qui Dei Sedem, & Vicem habet in terris. Neque hìc prætereunda eximia Comitas, quâ omnes, & ſolaris, & beas: Tu enìm majeſtatem ità benignitate temperas, ut illa ſingularem venerationem, hæc tibi æternum conciliet amorem. Nec te Intuentes infeſtus fulgor retundit, ſed placidiſſima oris Majeſtas, ad ſerenum lumen invitat. Hæc quæ in Principibus tàm magna, tàm rara, nobis tua largitur virtus extrà communes metas evecta. Paſtorali ſollicitudine, quà flagras, viget fides, Doctrinæ Candor elucet, Religio colitur, Iuſtitia effloreſcit, optatiſſima denique pax effulget.*

Tandèm ea ineſauſtæ Bonitatis Dei ratio, & nimię (ut loquitur Paulus) vis eſt Charitatis, ut noſtri, non ſui cauſa leges optimas, Conſtitutioneſque ſaluberrimas per Romanos Ponti-

tifices Chriſti Vicarios ſancitas in noſtrum commodum refundat. Cui nam ergo, BEATISSIME PATER *Decretalium Synopſin hanc potiſſimum conſecrem, quàm tibi, qui præclariſſimis animi Dotibus Pontificiam auges Dignitatem, invigilando Legum Sanctarum executioni? Tu interim diutiſsimè vivas, qui ad Chriſtianę Reipublicæ utilitatem, grandia ſemper, ac divina meditaris.*

Digitized by Google

APPROBATIO.

SI in Rempublicam litterariam multùm certè contulerunt quotquot colligendis, atque in ordinem redigendis Summorum Pontificum Decretalibus inſudarunt; haud minus utilitatis, ac emolumenti eidem Reipublicæ, imo & Eccleſiæ attuliſſe cenſendi ſunt, qui iiſdem Romanorum Pontificum Decretalibus digerendis, explicandis, illuſtrandis, atque etiam in Synopſin, ſeu Epitomen redigendis (unde non exiguum ſine dubio Juriſperitis levamen) opem, operamque ſuam collocarunt. Profectò, ut cœtera ſileam, neminem latet, Juris Canonici Studium tale eſſe, quòd ſuâ, ut ita dicam, immenſitate, eos etiam terreat, quos giganteis paſſibus Scientiarum vias excurrere, quoſque ad literas orbi veluti datos, ac natos cernimus; quantam igitur laudum ſegetem ſibi non comparauerit, is qui huicce ſtudio viam facilem, & expeditam omnibus aperuerit, depulsâ prolixitate, ſociatiſque inter ſe miro fœdere, quæ ab invicem remotiſſima ſunt, nempe rerum copiâ, cùm brevitate. Id porrò egregiè admodùm præſtitit R. Pater *Antoninus Seraphinus Camarda* Sacræ Theologiæ Magiſter, atque in Collegio Caſanatenſi Ordinis Prædicatorum de Urbe Textus Summæ D. Thomæ Aquinatis Moderator, in eo opere, quod meritiſſimo Jure inſcripſit. *Romanorum Pontificum Decretalium à primo uſque ad Sextum Librum Synopſis accurata, & plana &c.* De Mandato Reverendiſſimi noſtri generalis P. Antonini Cloche illud legi, & cùm debitâ maturitate diſcuſsi; in eo nedùm nihil offendi, quod vel fidem, vel bonos mores lædat; Ecquid verò læderet, ubi vix aliud præter Romanorum Pontificum Decreta continentur? Sed etiàm illud, in gratiam præcipuè Juris Canonici Candidatorum, luce publicâ digniſsimum exiſtimavi. Dat. Romæ in Conventu S. Mariæ ſuper Minervam, die 6. Junii Anni MDCCXV.

Fr. Henricus Thiriar Sacræ Theologiæ Magiſter, ac Caſanatenſis Collegij Theologus Ordinis Prædicatorum.

APPROBATIO.

ROmanorum Pontificum Volumina Decretalium Epiſtolarum circa varia rerum genera occupantur. Primùm enim Catholicam fidem, & profitentur, & explicant, ut in titulo de ſumma Trinitate; deinde moribus definiunt, & Religione Chriſtianâ, quantùm aut ex Evangelica lege, aut naturæ ratione definire licet, uti liquet ex titulis de uſura, de jurejurando, de divortiis, de Simonia. Præterea diſſerunt quoque de moribus Eccleſiaſticis, deque Religionis Catholicæ Ceremoniis, & officiis Miniſtrorum Eccleſiæ, quatenus hæc omnia diſponuntur legibus, ut vocant, poſitivis, ſive humanis, quales ſunt permultæ in titulis de Celebratione Miſſarum, de Clericis peregrinantibus, conjugatis &c. de ætate, & qualitate ordinandorum, de obſervatione jejunii, ac breviter in libro primo Decretalium de Officiis judicum, & in ſecundo de Ordine judiciario, denique juris hujus Pontificii Volumina præſcribunt pœnas his, qui leges, vel Evangelicas, vel naturales, vel etiam Eccleſiaſticas, perruperint, ut videre eſt in titulis de Excommunicatis, de Raptoribus, de Apoſtatis, de hæreticis. Juris Canonici doctrina Theologo eſt valde neceſſaria, eò vel maximè, quòd Summi Pontificis, & Conciliorum auctoritas, quæ hujus doctrinæ voluminibus continetur, Theologis argumenta ſubminiſtrant propria Theologicæ facultatis, quæ non eſt ejuſmodi, ut tantummodo animo rem cernat, ſed etiàm aliquid molitur, & facit; eſt enim, ut Scholæ verba uſurpem, partim ſpeculativa, partìm practica; porrò Juris Canonici diſciplina Theologia quædam practi-

ea eſt, tùm quia ejus facultatis finis eſt, dirigere animas per Canonicas leges in ſalutem æternam: tùm etiam, quia in ſolo volumine Decretalium mille caſus, & articuli continentur, perutiles, ac perneceſſarii tàm in Conſiliis animarum neenon pœnitentiæ foro, quàm in regendis, & diſponendis Eccleſiis, rebuſque Eccleſiaſticis; agit quippe liber ille de Baptiſmo, de Sacra Unctione, de Celebratione Miſſarum, de Matrimonio, de Ordinibus, & reliquis Sacramentis, de ſtatu Monachorum, de Clericorum honeſtate, de voto, de jurejurando, atque aliis ejus modi ſexcentis, de Simonia, de perjurio, de uſuris, de furtis, & reliquis id genus criminibus, de irregularitate, ſuſpenſione, excommunicatione, interdicto, pœniſque conſimilibus: quæ omnia ſi Theologus ignoret, non ſolùm idiota erit, ut capite *ex multa* de Voto Innocentius vocat, ſed in multis, præſertim, quæ ad actionem pertinent, & ad mores Chriſtianos, haud leviter hallucinabitur. Atque utinàm Theologi, qui juris Canonici ſunt penitus ignari, vel à decernendis Conſcientiæ caſibus abſtinerent, ne imperiti riſui haberentur, cùm de his nonnumquam reſpondent, ut Magiſtri, quæ numquam, ut Diſcipuli didicerunt, vel certè eâ eſſent modeſtiâ prœditi, ut juris peritos conſulerent, ne divinando de ſenſu proprio reſponderent, ac in multos graveſque errores incurrerent ob juris Pontificii ignorationem. Quæ cùm ita ſe habeant; nullus arbitretur Theologus, rem à ſuo munere alienam ſuſcepiſſe Amantiſſimum Collegam Meum, cùm Juris Pontificii volumina contraxit, ſtyloque ſimplici perſecutus eſt, quin bonas horas benè collocavit in Theologiæ, juriſque Canonici Candidatorum utilitatem ſcribendo, & edendo ſynopſin planam, & accuratam Decretalium, fas enim mihi eum Tertulliano dicere, *quantùm conſtringitur Verbis, tantùm diffunditur ſenſibus*: Faceſſat ergo veterum paræmia, *boni libri, malum ſemper compendium*, ſine diſpendio enim eſt iſtud compendium cum brevitate perſpicuum, Auctoris ſui nomine digniſſimum, & ita numeris omnibus abſolutum, ut nihil habere compendii præter titulum videatur, in quo non dubito nihil reperiri fidei boniſve moribus contrarium, cum non ſit niſi ipſa pura putaque Juris Canonici doctrina, interdùm Solis Angelici luce illuſtrata. Prodeat ergo in lucem iſtud opus, ut omnes illud poſſint, *nocturnâ verſare manu, verſare diurnâ*. Sic Cenſeo Romæ die 12. Junii, anni 1715.

P. Antonius Bardon Sacræ facultatis Pariſienſis Doctor Theologus, necnon Cathedraticus Caſanatenſis Ordinis Fratrum Prædicatorum.

NOS FR. ANTONINUS CLOCHE
Sacræ Theologiæ Profeſſor, Totius Ord. Prædic. humilis Magiſter Generalis, & Servus.

HARUM ſerie, noſtrique authoritate Officii, facultatem, quantùm in nobis eſt, concedimus tibi Ad. R. P. Magiſtro Fr. Antonino Seraphino Camarda Provinciæ noſtræ Romanæ, ut Opus à te compoſitum, cui titulus: *Romanorum Pontificum Decretalium a primo uſque ad Sextum Librum &c.* de mandato noſtro à duobus in Sacra Theologia Magiſtris Ordinis noſtri reviſum, & approbatum, Typis mandare valeas, ſervatis de jure ſervandis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. In quorum fidem his ſigillo noſtro munitis, manu propria ſubſcripſimus, Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ ſuper Minervam 20. Junii 1715.

Fr. Antoninus Cloche Magiſter Ordinis.

Loco ✠ Sigilli.

Reg. fol. 21.

Fr. Thomas Maria Laſcaris Magiſter, & Socius.

AP-

APPROBATIO.

SYnopſin hanc, opus novum Patris Magiſtri Antonini Seraphini Camarda Ordinis Prædicatorum, non ſine labore, & ſtudio diſpoſitum, ac Doctrinâ Angelici Doctori mirificè exornatum, mihi a Reverendiſs. Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici commiſſam, omni diligentia perlegi; nihilque in ea inveni, quod aut puritati fidei contraveniat; aut Catholicis Moribus adverſetur. Immò, cùm, quæ latè parebant, admirabili claritate, in unum contracta, ſimul omnia conſpici, cernique poſſint, imprimendam cenſeo, legentium utilitati, & commodo. Romæ tertio Idus Junii 1715.

Antonius Panitari Sacræ Indicis Congregationis Conſultor.

APPROBATIO.

JUbenti Reverendiſs. P. Magiſtro Gregorio Selleri, Ord. Præd. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro obtemperans, Opus, cui Titulus: *Romanorum Pontificum Decretalium, à primo uſque ad ſextum Librum Synopſis accurata, & plana* à Rev. admodum P. F. Antonino Seraphino Camarda, Ord. Præd. Sac. Theologiæ Magiſtro, & in Collegio Caſanatenſi de Urbe Textus Summæ Theologiæ Angelici Doctoris præclariſſimo Moderatore compoſitum, perluſtravi, fundituſque recognovi. Cùmque illud non tantùm à veris Fidei Orthodoxæ principiis, & bonis moribus, atque Canonicis Summorum Pontificum ſtatutis in ullo nequaquàm deflectere animadverterim, ſed etiàm prima Juris Pontificii principia, Angelici Præceptoris Doctrinâ adamuſsim illuſtrata, continere: Eademque unà cùm diſtinctione Librorum, Titulorum, atque Capitum fideliter, & perbellè explanare; univerſalemque illius cognitionem ſuccinctè exhibere adnotaverim: Idcirco Typis illud cenſeo dignum, ut ad communem Cunctorum Sacro Juri operam navantium utilitatem, in lucem prodeat; cùm minimè dubitem, quin ab eo plurimum lucis non ſolùm ad Sacrorum Canonum ſcientiam adſpirantibus; ſed etiam, vel ipſis Juris Pontificii Candidatis, congruè adferatur. Romæ ex Aedibus Sancti Andreæ de Valle die 26. Junii 1715.

D. Antonius Thomas Schiara, C. R. Sac. Theologiæ, ac Jurium Profeſſor, Sac. Indicis Congregationis Conſultor, & Sanctæ Romanæ, ac Univerſalis Inquiſitionis Qualificator, atque Miſſionum Apoſtolicarum ſuæ Religionis Procurator Generalis.

IM-

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Archiep. Capuæ Vicesgerens.

IMPRIMATUR

Fr. Gregorius Selleri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter Ordinis Prædicatorum.

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

PRÆFARI pauca in hujuſce Operis limine duxi operæ pretium. Inſcriptio ejus ſublime quid, ſed ad brevitatem redactum præſefert. Profiteor, nolle me, hac quaſi venditatione ingenii gloriam aucupari, ſed communi utilitati, commodoque inſervire; immò tàm ſpecioſa, tàm honeſta, tàm utilia non ſtudio jactantiæ, ſed Officii, & obſequii voluntate proſequi. Hac igitur ductus, cùm in commune Bonum quidquid ex privatis ſtudiis collegeram, conferre vellem, nihilò me magis profuturum putavi, quàm hoc opere ſuſcepto, Synopſin Decretalium Summorum Pontificum exhibendo, ac Doctrinâ Angelici Doctoris elucidando, ut facilius ad hujuſmodi ſtudia Theologiæ Candidati excitentur, & ea hilari animo amplectantur.

Hæc autem omnia quâ potui ſedulitate præſtiti, Titulos, & Singula Capitula à primo libro uſque ad ſextum Decretalium non prolixâ Verborum multitudine, ſed brevi Orationis periodo fideliter repræſentando, ac pro re natâ Præceptoris Aquinatis Doctrinâ illuſtrando. Regulas etiam Juris Canonici, quas Bonifacius VIII. ad calcem ſexti Libri Decretalium ſubjecit, juxta mearum virium imbecillitatem ſub finem Operis explanavi, cùm valde utiles ſint ad judicia dirigenda, & ad mores Chriſtianæ Reipublicæ componendos. In quibus id præcipuè ſervare enixus ſum, ut nec brevitate jejunum Lectorem dimitterem, nec prolixitate faſtidium ingererem.

Arduum quidèm opus aggredior, difficillimumque ſanè laborem, in quo plura forſitan erunt caſtigatione digna, quæ libenter, & æquo animo examini tuo emendanda relinquo. Planum iter perago, & eò tutius, quò planius; materia quippe non patitur, quam tractamus, ut acumine tantùm ingenii ſine ſpiritu veritatis diſcutiatur, ne ſtudium fortaſsè, quod omnibus ſaluberrimum eſt, in perniciem cedat animarum. Proprios animi mei ſenſus in præſenti, neque privatas Recentiorum opiniones propugnandas proferre auſus ſum, ſed Eccleſiæ tantùm Doctrinam ex Conciliis probatis, S. S. Patribus, Summorumque Pontificum ſanctionibus hauſtam ſectari ſtudui, non eâ quidèm eruditionis ubertate, quæ Theologicis in ſubſelliis, aut exercitationibus Academicis Luxuriare ſolet, ſed eâ tantùm integritate, quæ Viris Eccleſiaſticis ad fidem Chriſtianæ Plebi exponendam, nutriendamque ſufficiat.

Quamvis

Quamvis Canones omnes à primo libro uſque ad ſextum Decretalium ſummâ fide contraxerim, præmonitum tamen te velim Lectorem Candidum, & ingenuum, permultos ex iis hoc in Opere contentos in præſentia non vigere, complures, vel exoletos, vel deſuetudine antiquatos, vel omninò, aut ex parte immutatos novâ Eccleſiæ Diſciplinâ, & Politiâ pro temporum varietate id exigente. Placuit tamen omnes proferre in medium, ut quiſque veterem Eccleſiæ Diſciplinam habeat exploratam; neque ullum conturbet Fidelem, Legum circà Eccleſiaſticam Politiam variatio, cùm tot antè ſæculis hoc fuerit in uſu, id expoſcente ſecundùm temporum opportunitatem prudentiâ ſuavi, ac proſpero ſub dulci Chriſti jugo, Regimine Eccleſiæ. Illud tamen attentè quiſque contempletur, Doctrinam circa fidē eamdem ſemper, & inconcuſſam extitiſſe, quantumvis in tot diverſarum nationum Conciliis, & à tot Summis Romanis Pontificibus per decem, & ſeptem ſæcula declaratam.

Non defuere Viri eruditione clariſſimi, qui huic operi inſudarunt, quos inter Eminentiſſimus Cardinalis Lauræa, & Pater Frater Hyeronimus Romanus Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, qui ordine Alphabetico materias juris Canonici in Epitomen redactas contemplandas propoſuere. Petrus Alagona e Societate Jeſu de Doctrinâ Sancti Thomæ optimé meritus, qui Summæ Angelicę Compendium, & totius Juris Canonici Epitomen in lucem edidit. Ludovicus Engel Ordinis Sancti Benedicti, qui per tres partes Sacros Canones in Epitomen redegit, exhibendo Argumenta ſingulorum Titulorum Juris Canonici, eaque Commentariis illuſtrando; Joannes Clericatus J. U. D. qui viam Lacteam, ſeu inſtitutiones Juris Canonici compoſuit præcipuas materias proponendo, & explicando; Et tandem Andreas Vallenſis, qui Juris Canonici Summariam, & Methodicam explicationem compoſuit; Sed quia in hiſce aliiſque Auctoribus, vel non inveniuntur ſinguli Tituli, & Capitula juxta Ordinem, quo in ſex Libris Decretalium repræſentantur, vel potius in commentariis eorum immorantur, vel nulla fit mentio de Regulis Juris Canonici, vel tandem Doctrina Angelici Præceptoris non exhibetur, ideo operæ pretium duxi, hæc omnia pro utilitate ſtudioſorum in præſenti opere proponere, Synopſin Decretalium in novam Methodum redigendo.

Index rerum, quæ in hoc tomo continentur, in ejus fine deſideratur, ſed Deo dante in ſequenti volumine addetur, in quo erit Synopſis Clementinarum, Extravagantium, ac Decreti Gratiani, cùm Indice Materiarum, qui utrique Tomo inſerviet.

Quod igitur in tui bonum, Candide Lector, agere inſtitui, benignè excipe, errata corrige, incongrvè diſpoſita pro ſtudio dirige, in reliquis, ſicut humana me paſſum cognoveris, ſic humaniter parcas.

Vale.

TRA-

TRACTATUS
PRÆLIMINARIS
AD JUS CANONICUM.
CAPUT PRIMUM.
Quid, & Quotuplex ſit Jus in Communi.

JUS ſecundum Angelicum Præceptorem 2. 2. quæſt. 57. art. 1. in corpore, eſt Juſtum in Operibus Juſtitiæ, ſeù eſt illud, quod eſt rectum ſecundùm rectitudinem Juſtitiæ. Ecce Verba D. Thomæ. *Illud enim in opere noſtro dicitur eſſe Juſtum, quod reſpondet ſecundùm aliquam æqualitatem alteri, (puta recompenſatio Mercedis debita pro ſervitio impenſo). Sic ergo Juſtum dicitur aliquid, quaſi habens rectitudinem Juſtitiæ, ad quod terminatur actio Juſtitiæ, etiam non conſiderato, qualiter ab agente fiat, ſed in aliis virtutibus non determinatur aliquid rectum, niſi ſecundùm quòd aliqualiter fit ab agente, & propter hoc ſpecialiter Juſtitiæ præ aliis virtutibus determinatur ſecundùm ſe obiectum, quod vocatur Juſtum, & hoc quidem eſt Jus.* Hæc D. Thomas.

Jus ſecundùm Angelicum Præceptorem, primò dividitur in Jus naturale, Poſitivum, & Jus Gentium art. 2., & 3. q. citatæ, Jus naturale eſt opus alteri adæquatum ex ipſa naturâ rei. Jus poſitivum eſt opus alteri adæquatum ex condicto publico. Jus tandem Gentium eſt opus alteri adæquatum, & commenſuratum non ſecundùm abſolutam ſui rationem, ſed ſecundùm aliquid, quod ex ipſo ſequitur, puta proprietas poſſeſſionum, ut docet S. Thomas Art. 2. in corpore. *Jus, ſive Juſtum eſt aliquod opus adæquatum alteri ſecundùm aliquem æqualitatis modum. Dupliciter autèm poteſt alicui homini aliquid eſſe adæquatum; uno quidèm modo ex ipſa naturâ rei, puta cùm aliquis tantum dat, ut tantundèm recipiat, & hoc vocatur Jus naturale; alio modo aliquid eſt adæquatum, vel commenſuratum alteri ex condicto, ſivè ex communi placito, quando ſcilicèt aliquis reputat ſe contentum, ſi tantùm accipiat; quod quidèm poteſt fieri duplicitèr, uno modo per aliquod privatum condictum, ſicut quod firmatur aliquo pacto inter Privatas Perſonas. Alio modo ex condicto publico, puta cùm totus Populus conſentit, quòd aliquid habeatur quaſi contentum, & commenſuratum alteri, vel cùm ordinat hoc Princeps, qui curam Populi habet, & ejus Perſonam gerit, & hoc dicitur Jus poſitivum.* Hæc D. Thomas.

Et in art. 3. ſequenti ait in corpore. *Dicendum, quod Jus, ſivè Juſtum naturale eſt, quod ex ſui natura eſt adæquatum, vel Commenſuratum alteri: hoc autem poteſt contingere dupliciter, uno modo, ſecundùm abſolutam ſui conſiderationem, ſicùt maſculus ex ſuâ ratione habet commenſurationem ad fœminam, ut ex ea generet, & Parens ad filium ut eum nutriat. Alio modo aliquid eſt naturaliter alteri Commenſuratum non ſecundùm abſolutam ſui rationem, ſed ſecundùm aliquid, quod ex ipſo ſequitur, puta proprietas poſſeſſionum, (& hujuſmodi eſt Jus Gentium) Si enim conſideretur iſte ager abſolutè non habet undè magis ſit hujus, quàm illius, ſed ſi conſideretur per reſpectum ad opportunitatem colendi, & ad pacificum uſum agri, ſecundum hoc habet quamdam Commenſurationem ad hoc, quod ſit unius, & non alterius.* Hæc D. Thomas.

Secundò dividitur Jus in Paternum, & Dominativum. Paternum eſt Jus, quod habet Pater ad Filium. Dominativum verò, quod habet Dominus ad Servum. Sic D. Thomas art. 4. ſeq. in Corpore ubi ait. *Dicendum quod Jus, ſive Juſtum dicitur per commenſurationem ad alterum; alterum autem poteſt dici dupliciter, uno modo quòd eſt ſimpliciter ad alterum, ſicut quod eſt omninò diſtinctum, ut apparet in duobus hominibus, quorum unus non eſt ſub altero, ſed ambo ſunt ſub uno Principe Civitatis, & inter tales ſecundum Philoſophum in 5. Æthicor. eſt ſimpliciter Juſtum. Alio modo dicitur aliquid alterum non ſimpliciter, ſed quaſi aliquid ejus exiſtens, & hoc modo in rebus humanis filius eſt aliquid Patris, quia quodammodo eſt pars ejus, ut dicitur in 8. Æthicor., & ſeruus eſt aliquid Domini, quia eſt inſtrumentum ejus, ut dicitur in primo Politicorum, & ideò Patris ad Filium non eſt comparatio ſicut ad ſimpliciter alterum, & propter hoc non eſt ibi ſimpliciter juſtum, ſed quoddam juſtum, ſcilicet Paternum, & eadem ratione nec inter Dominum, & Servum, ſed eſt inter eos dominativum juſtum.* Hæc D. Thomas.

Tertio tandem dividitur Jus in Civile, & Canonicum. Civile eſt regula recta, qua homines ad temporalem felicitatem diriguntur pacificè vivendo. Canonicum verò eſt regula recta, quæ Chriſtianorum actiones ad finem æternæ Beatitudinis dirigit, ex Scripturis Sacris, Summorum Pontificum Decretis, & Sanctorum Patrum Scriptis deducta, ſed de hoc in Capite ſequenti.

CAPUT II.

Quid ſit Jus Canonicum, ejuſque Primus Author.

JUS Canonicum plures Æthimologias ſibi eleganter uſurpat, dicitur enim *Jus* à Jubendo, quia jubet, & præcipit ea, quæ ſunt agenda, & prohibet ea, quæ à Juſtitiæ rectitudine elongantur; Ulterius dicitur Jus à Juſtitia, quia ea quæ juſta ſunt præcipit, & quæ injuſta, & criminoſa ſunt, prohibet. Dicitur verò *Canonicum* à verbo Græco *Canon*, quod latinè idem eſt àc *Rectum*, vel Regula, quià regulas præcipit, quibus homo ſecundum rectitudinem rationis operatur. Tandèm Jus Canonicum ſolet etiàm appellari Lex Canonica, quià ſecundum D. Thomam 1. 2. quæſt. 90. art. 1. in corpore. Lex dicitur à *ligando*, quia homines obligat ad agendum, vel ſecundum Marcum Tullium lib. 1. de Legibus dicitur à *legendo*, & *delegendo*, quatenùs ex præviâ Lectione, & ex præcedenti maturâ conſideratione componitur, vel ſecundum Iſidorum lib. 2. Æthimologiarum cap. 10. quià in ſcriptis dari debet, ut homines in eam inſpicientes, & præ oculis habentes, ea quæ recta ſunt operentur.

Jus autèm Canonicum ſic poteſt definiri, eſt regula recta, quæ Chriſtianorum actiones ad finem æternæ Beatitudinis dirigit, ex Sacra Scriptura, Summorum Pontificum Decretis, & Sanctorum Patrum Scriptis deducta. Additur *quæ Chriſtianorum actiones ad finem æternæ Beatitudinis dirigit*, per quod explicatur finis Juris Canonicì, & differentia illius à Jure Civili: Jus enìm Civile habet pro fine dirigere Populum ad temporalem felicitatem, pacificè vivendo: Jus verò Canonicum felicitatem æternam, ſanctè, ac juſtè vivendo. Dicitur tandem *ex Sacra Scri-*

Scriptura &c. ad deſignandum quòd Jus Canonicum ortum habuit ex præceptis Juris Divini, conſuetudine, & traditione Eccleſiæ, àc ex Eccleſiaſticis Conſtitutionibus.

Circà primum Authorem Juris Canonici, dico quòd Chriſtus Dominus fuit primus Author, & Inſtitutor Juris Canonici: Ipſe enim Petro poteſtatem dedit ad Leges Canonicas condendas, quibus Chriſtifidelium Grex regeretur, & gubernaretur, ejuſque Succeſſoribus Summis Pontificibus per illa verba Joann. 21. *Paſce Oves meas*; Quapropter Chriſtifidelibus præcipit, ut Eccleſiæ obediant, & quòd Contumaces ab Eccleſiæ gremio excludantur. Matthæi 10. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Æthnicus, & Publicanus.*

Quamvis autem primus Author fuerit Chriſtus, in Eccleſia tamen Jus Canonicum primò initium habuit, quando poſt Judæ proditionem, & prævaricationem Matthias fuit ad Apoſtolatum electus. Actorum 1. Electio enim Prælatorum eſt de Jure Canonico. 2. Quando Apoſtoli Hyeroſolimis Evangelium Chriſti prædicabant actor. 6. ubi dicitur, *factum eſt murmur Græcorum adverſus Hæbreos, eo quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum*, ideſt in diſtributione eleæmoſynarum, quæ quotidie fiebant pro alimentis Converſorum ad Fidem. 3. ex conſuetudine, & traditionibus Apoſtolicis. 4. tandem ex Conciliis, & Decretis Summorum Pontificum.

CAPUT III.

Quid ſit, & quotuplex ſit Lex.

LEX ſecundum D.Thomam 1.2.quæſt. 90. art. 1. in Corpore definitur, quòd eſt quædam regula, & menſura actuum humanorum, ſecundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur. Lex autem dividitur primò in Legem naturalem, humanam, & divinam, ſeu æternam. Lex naturalis nihil aliud eſt, quàm quædam participatio legis æternæ in rationali Creatura exiſtens. Sic D. Thomas 1. 2. quæſt. 91. art. 2. in Corpore, ubi ſic habet: *Participatio legis æternæ in rationali Creatura, Lex naturalis dicitur; unde cum Pſalmiſta dixiſſet, ſacrificate ſacrificium Juſtitiæ, quaſi quibuſdam quærentibus, quæ ſunt Juſtitiæ opera, ſubjungit, Multi dicunt quis oſtendit nobis bona? Cui quæſtioni reſpondens dicit, Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, quaſi lumen rationis naturalis, quo diſcernimus, quid ſit bonum, & quid malum, quod pertinet ad naturalem legem, nihil aliud ſit, quàm Impreſſio divini Luminis in nobis: unde patet, quod Lex naturalis nihil aliud eſt, quàm participatio Legis æternæ in rationali Creatura.*

Lex humana definitur à D. Thoma quæſt. nuper citata art. 2. in Corpore, quòd eſt quædam regula, & menſura actuum humanorum, qua ratio humana ex quibuſdam Communibus principiis procedit ad aliqua magis particulariter diſponenda. Hæc eſt doctrina D.Thomæ. *Dicendum quòd Lex eſt quoddam dictamen practicæ rationis: Similis autem proceſſus eſſe invenitur rationis practicæ, & ſpeculativæ: Utraque enim ex quibuſdam principiis ad aliquas Concluſiones procedit. Secundum hoc ergo dicendum eſt, quod ſicut in ratione ſpeculativa ex principiis indemonſtrabilibus naturaliter cognitis producuntur Concluſiones diverſarum ſcientiarum, quarum cognitio non eſt nobis naturaliter indita, ſed per induſtriam rationis inventa, ita etiam ex præceptis legis naturalis, quaſi ex quibuſdam principiis communibus, & indemonſtrabilibus, neceſſe eſt, quòd ratio humana procedat ad aliqua magis particulariter diſponenda, & iſtæ particulares diſpoſitiones adinventæ ſecundum rationem humanam dicuntur leges humanæ.*

Lex tandem divina eſt quædam regula humanorum actuum in intellectu divino exiſtens, illorum directiva in ordine ad finem Beatitudinis æternæ. Quare autem propter legem naturalem, & humanam debeat etiam dari Lex divina, quadruplicem aſſignat S. Thomas rationem quæſt. cit. art. 4. Primò quia homo ordinatur ad finem Beatitudinis æternæ, quæ excedit proportionem naturalis facultatis humanæ, & ideò neceſſarium fuit, ut ſupra le-

gem naturalem, & humanam, dirigeretur etiam ad ſuum finem lege divinitus data. Secundo ut homo abſque omni dubitatione ſcire poſſit quid ei ſit agendum, & quid vitandum, neceſſarium fuit, ut in actibus propriis dirigeretur per legem divinitus datam, de qua conſtat quod non poteſt errare. Tertio quia de actibus internis non potuit dari aliqua Lex, niſi divina, quę de motibus interioribus poteſt judicare. Quarto tandem ut nullum malum improhibitum, & impunitum remaneat, neceſſarium fuit ſupervenire legem divinam, per quam omnia peccata prohibentur.

Legatur D. Thomas loco ſupra citato, ubi has quatuor cauſas ex Sac. Scriptura colligit, his verbis. *Et iſtæ quatuor cauſæ tanguntur in Pſalmo 18. Lex Domini immaculata, ideſt nullam peccati turpitudinem permittens, convertens animas, quia non ſolùm exteriores actus, ſed etiam interiores dirigit. Teſtimonium Domini fidele propter certitudinem veritatis, & rectitudinis, ſapientiam præſtans parvulis, in quantum ordinat hominem ad ſupernaturalem finem, & divinum.* Hæc D. Thomas.

Lex divina dividitur in legem novam, & veterem, nova eſt illa, quæ à Chriſto Domino fuit Eccleſiæ in ſuis Evangeliis tradita. Vetus verò eſt, quam Deus per Moyſen, & Prophetas hominibus tradidit, & vocabatur Lex Moſayca: Lex autem vetus diſtinguitur à nova, non ſicut duæ res omninò ſpecie diverſæ, ſed ſicut perfectum, & imperfectum in eadem ſpecie; quapropter Apoſtolus ad Galath. 3. Comparat ſtatum veteris legis ſtatui puerili exiſtenti ſub pædagogo, ſtatum autem novæ legis comparat ſtatui Viri perfecti, qui jam non eſt ſub pædagogo. In quibus verò conſiſtat perfectio, & imperfectio legis novę, & veteris, explicat egregiè S. Thomas 1. 2, quęſt. 91. art. 5, in Corpore his verbis. *Attenditur autem perfectio, & imperfectio Legis ſecundum tria, quæ ad legem pertinent. Primo enim ad legem pertinet, ut ordinetur ad bonum commune ſicut ad finem, quod quidem poteſt eſſe duplex, ſcilicet bonum ſenſibile, & terrenum, & ad tale bonum ordinabat directè Lex vetus; unde ſtatim Exod. 3. in principio legis invitatur Populus ad Regnum terrenum Chananæorum. Et iterum bonum intelligibile, & cæleſte, & ad hoc ordinat Lex nova: unde ſtatim Chriſtus ad Regnum Cælorum in ſuæ prædicationis principio invitavit, dicens, pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum Cælorum Matth. 4. & ideo Auguſtinus dicit in 4. contra Fauſtum quod temporalium rerum promiſſiones in Teſtamento veteri continentur, & ideò vetus appellatur, ſed æterna vitæ promiſsio ad novum pertinet Teſtamentum. Secundo ad legem pertinet dirigere humanos actus ſecundum ordinem Iuſtitiæ, in quo etiam ſuperabundat Lex nova legi veteri interiores actus animi ordinando ſecundum illud Matth. 5. Niſi abundaverit Iuſtitia veſtra plus quàm Scribarum, & Phariſeorum non intrabitis in Regnum Cælorum, ideòque dicitur, quòd Lex vetus cohibet manum, Lex nova animum. Tertio ad legem pertinet inducere homines ad obſervantiam mandatorum, & hoc quidem Lex vetus faciebat timore pœnarum. Lex autem nova facit hoc per amorem, qui in cordibus noſtris infunditur per gratiam Chriſti, quæ in lege nova confertur, ſed in lege veteri figurabatur, & ideò dicit Auguſtinus contra Adamantium Manichæi diſcipulum, quod brevis differentia eſt Legis, & Evangelii, timor, & amor.* Hæc D. Thomas.

Lex autem tam vetus, quam nova in varia præcepta dividebantur; præcepta enim veteris legis, alia dicebantur moralia, alia ceremonialia, & alia tandem judicialia. Moralia erant illa, quæ in Decalogo continebantur Exod. 20. Cæremonialia erant illa, quæ Populo Hæbreo ad Deum ritè colendum per ſacrificia, alioſque ritus ſacros, & cæremonias ab ipſo Deo fuerant præſcripta Exodi 23. Tandem Judicialia erant illa, quæ à Deo fuerant præcepta ad Populum Hæbreum juſtè, & pacificè gubernandum, ut habetur Exodi 21. 22. & 23., ex prædictis autem præceptis ſola moralia in ſuo robore permanſerunt; cæremonialia verò, & judicialia in adventu Chriſti Domini per Legem Evangelicam ſunt extincta. Præcepta Legis novæ tandem, alia ſunt Fidei, alia Spei, alia Charitatis, & alia Sacramentorum.

Sed pro completa notitia legis adver-

vertendum eſt, quod in præceptis Juris naturalis, vel divini, non poteſt fieri diſpenſatio, nec etiam per Summum Pontificem, & ſi quando Summus Pontifex in votis diſpenſat, quæ ſunt de jure divino, non diſpenſat in ipſa obligatione voti, ſed ſolùm determinat aliquid ſecundum aliquam circumſtantiam non eſſe materiam convenientem voti: quapropter non diſpenſat, ſed ſolùm in dubiis jus divinum, vel naturale interpretatur. Sic D. Thomas 2. 2. quæſt. 88. art. 10. ad ſecundum, ubi ait: *Dicendum quod ſicut ex jure naturali, & divino præcepto tenetur homo implere votum, ita etiam tenetur ex eiſdem obedire Superiorum Legi, vel mandato, & tamen cum diſpenſatur in aliqua lege humana, non fit, ut legi humanæ non obediatur, quod eſt contra legem naturæ, & mandatum divinum, ſed fit, ut hoc, quod erat lex, non ſit lex in hoc caſu. Ita etiam authoritate Superioris diſpenſantis fit, ut hoc, quod continebatur ſub voto, non contineatur in quantum determinatur in hoc caſu, hoc non eſſe congruam materiam voti; ideòque cum Prælatus Eccleſiæ diſpenſat in voto, non diſpenſat in præcepto juris naturalis, vel divini, ſed determinat id, quod cadebat ſub obligatione deliberationis humanæ, quæ non potuit omnia circumſpicere*. Hæc D. Thomas.

CAPUT IV.

De Conſuetudine.

Quia Jus, & Lex Canonica, non ſolùm ex præceptis juris divini, ſed etiam ex conſuetudine promanavit, ideò poſt notitiam juris in communi, & in particulari, ſicut etiam, & legis, aliquid de conſuetudine dicendum eſt. Conſuetudo autem poteſt ſic definiri. Eſt jus quoddam ex multiplicatis actibus cauſatum, quod pro lege ſuſcipitur, dummodò juri divino, & naturali, ac canonicis conſtitutionibus non opponatur. Sic D.Thomas 1. 2. quæſt. 97. art. 3. in Corpore, ubi ſic ait. *Manifeſtum eſt autem, quòd verbo humano poteſt & mutari lex, & etiam exponi, in quantum manifeſtat interiorem motum, & conceptum rationis humanæ: undè etiam & per actus maxime multiplicatos, qui conſuetudinem efficiunt, mutari poteſt lex, & exponi, & etiam aliquid cauſari, quod legis virtutem obtineat, in quantum ſcilicet per exteriores actus multiplicatos, interior voluntatis motus, & rationis conceptus efficaciſſimè declaratur. Cum enim aliquid multoties fit, videtur ex deliberato rationis judicio provenire, & ſecundùm hoc conſuetudo, & habet vim legis, & legem abolet, & eſt legum interpretratrix.* Hæc D. Thomas.

Conſuetudo dividitur in conſuetudinem contra legem, præter legem, & ſecundùm legem. Conſuetudo contra legem eſt illa, quæ conſiſtit in frequentatis actibus contra legem, & vim habet abrogandi legem, ſi debitæ conditiones concurrant. Conſuetudo præter legem conſiſtit in frequentatione actuum, qui nulla lege vetantur. Tandem conſuetudo ſecundùm legem eſt illa, quæ declarat, ſeu interpretatur legem, ſeu conſiſtit in frequentatione actuum per legem præceptorum, & per hanc conſuetudinem lex dicitur confirmari.

Ulterius conſuetudo dividitur in ſcriptam, & non ſcriptam: ſcripta eſt quam Decuriones Civitatis in ſcriptis redigerunt, & tales ſunt conſuetudines Feudorum. Non ſcripta verò eſt, quæ caret ſcriptis, & hæc eſt propriè conſuetudo, quam tamen allegans, probare tenetur.

Advertendum tamen eſt, quòd ſæpè conſuetudo à Doctoribus vocatur præſcriptio, cum ſint hæc duo nomina, quaſi Synonima, ac unum, & idem ſignificare videantur, ſed re vera conſuetudo aliquo modo à præſcriptione diſtinguitur; Conſuetudo enim ab univerſitate Populi obſervatur, Præſcriptio verò ſolùm eſt in uſu apud Privatas, & ſingulares Perſonas.

Quot verò ſint conditiones requiſitæ ad hoc, ut legitima conſuetudo introducatur, vel per abrogationem legis, vel per novæ legis inſtitutionem, dico quòd principaliores conditiones ſunt. Prima, ut id, quod per conſuetudinem introducitur, poſſit eſſe materia legis, & per actus voluntarios inducatur, cùm conſuetudo abrogans legem habeat vim legis, & ſit

& ſit voluntaria, libera, & humana. Secunda ut conſuetudo abrogans legem inducatur ab his, qui legem ſervare tenentur. Tertia, ut conſuetudo ſit univerſalis, ideſt ut major pars Communitatis perfectè illam inducat, vel ſaltem Populus frequentiam actuum ſimilium videat, & toleret. Quarta, ut ſit rationabilis, nec adverſetur bonis moribus; tunc enim non poſſet dici conſuetudo, ſed potius corruptela. Quinta, quòd ſit legitimo obſervata tempore, ideſt in rebus civilibus ſaltem per decem annos, in Eccleſiaſticis verò per quadraginta. Sexta, quòd adſint actus frequentes: quapropter unicus actus non eſt ſufficiens ad inducendam conſuetudinem. Septima tandem conditio eſt, ut adſit conſenſus Principis ſaltem juridicus, ſeu tacitus ad legem abrogandam.

CAPUT V.

De Conſtitutionibus.

QUia Jus Canonicum etiam ex Eccleſiaſticis Conſtitutionibus ortum habuit, aliquid de illis prælibabimus.

Conſtitutio ergò nihil aliud eſt, quàm omnis Lex ſcripta, quapropter dicitur Conſtitutio quaſi communis Statutio, quatenùs obligat omnes ſubditos illius à quo ipſa ſit, & promulgatur. Conſtitutiones autèm aliæ ſunt Civiles, aliæ verò Eccleſiaſticæ. Civiles ſunt, quæ à Principe, vel Magiſtratu Laico obſervandæ proponuntur, vel quas Populi ſibi ipſis obſervandas proponunt, & iſtæ debent ab omnibus ſervari, & reverentèr ſuſcipi, dummodò non ſint contrà Ius naturale, vel divinum. Eccleſiaſticæ verò ſunt, quæ in corpore Iuris Canonici reperiuntur, & ſunt collectæ, vel ex Conciliis, vel ex Decretis, & Conſtitutionibus Summorum Pontificum.

Sed ut plenè intelligatur, an Conſtitutiones ſivè Civiles, ſivè Eccleſiaſticæ, quæ ſunt leges ſcriptæ obligent in foro conſcientiæ? Audiatur S. Thomas 1. 2. quæſt. 96. art. 5. in corpore, ubi ſic ait. *Dicendum, quòd leges poſitæ humanitus, vel ſunt juſtæ, vel injuſtæ, ſi quidem juſtæ ſint habent vim obligandi in foro conſcientiæ à lege æterna, à qua derivantur ſecundùm illud Proverb.* 8. *Per me Reges regnant, & legum Conditores juſta decernunt. Dicuntur autem leges juſtæ, & ex fine, quando ſcilicet ordinantur ad bonum commune, & ex Actore, quando ſcilicet lex lata non excedit poteſtatem ferentis, & ex forma, quando ſcilicet ſecundùm æqualitatem proportionis, Subditis imponuntur onera in ordine ad bonum commune. Cum enim unus homo ſit pars multitudinis, quilibet homo hoc ipſum, quod eſt, & quod habet, eſt multitudinis, ſicut & qualibet pars id, quod eſt totius: undè ex natura aliquod detrimentum infert parti, ut ſalvet totum, & ſecundum hoc leges hujuſmodi onera proportiobiliter inferentes juſtæ ſunt, & obligant in foro conſcientiæ, & ſunt leges legales. Injuſtæ autem ſunt leges dupliciter, uno modo per contrarietatem ad bonum humanum è contrario prædictis, vel ex fine, ſicut cum aliquis Præſidens leges imponit oneroſas Subditis, non pertinentes ad utilitatem communem, ſed magis ad propriam cupiditatem, & gloriam, vel etiam ex Actore, ſicut cum aliquis legem fert ultra ſibi commiſſam poteſtatem, vel etiam ex forma, puta cum inæqualiter onera multitudini diſpenſantur, etiamſi ordinentur ad bonum commune, & hujuſmodi magis ſunt violentiæ, quàm leges, quia ſicut Auguſtinus dicit in libro de libero arbitrio, lex eſſe non videtur, quæ juſta non fuerit: undè tales leges non obligant in foro conſcientiæ, niſi fortè propter vitandum ſcandalum, vel turbationem, propter quod etiam homo juri ſuo debet cedere, ſecundum illud Matth.* 5. *Qui angariaverit te mille paſſus, vade cum eo alia duo, & qui abſtulerit tibi tunicam da ei, & pallium. Alio modo leges poſſunt eſſe injuſtæ per contrarietatem ad bonum divinum, ſicut leges Tyrannorum inducentes ad Idololatriam, vel ad quodcumque aliud, quod ſit contra legem divinam, & tales leges nullo modo licet obſervare, quia ſicut dicitur, Actor.* 4. *obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.* Hæc D. Thomas.

Ex quibus patet, quòd conſtitutiones ſive Civiles, ſive Eccleſiaſticæ, quando ſunt juſtæ, & ex fine, ex Actore, & ex parte formæ obligant in foro conſcientiæ.

CA-

CAPUT VI.

Quæ, & Quot nam ſint Volumina Juris Canonici, eorumque Authores.

VOlumina Juris Canonici communiter ſunt tria. Primum eſt Decretum Gratiani, quod in quatuor partes principaliter dividitur. Prima pars continet diſtinctiones centùm, & unam, Secunda Cauſas triginta ſex cum ſuis quæſtionibus. Tertia Tractatum de Pænitentia in ſeptem diſtinctiones diviſum. Quarta agit de Conſecratione tàm rerum inanimatarum, quæ ſunt Ecclesiæ, quàm animatarum, quæ ſunt homines Dei ſervitio per minores Ordines, vel Sacros mancipati.

Secundum Volumen continet quinque Libros Decretalium, quod fuit confectum, & ordine quodam collatum à S. Raymundo de Pennafort juſſu Gregorij IX. ex Pontificum reſponſis, & Conſtitutionibus, nèc non ex Generalium Conciliorum, & aliquorum Provincialium, atque Diœceſanorum Decretis. In primo libro per titulos 43. agitur de Summa Trinitate, & fide Catholicà, de Conſtitutionibus, de Reſcriptis, de Judicibus eorumque officijs. In ſecundo libro per Titulos 30. de Judicijs, & cooperantibus ad Judicia. In tertio libro per Titulos 50. de Vita, & honeſtate Clericorum. In quarto libro per Titulos 21. de Sponſalibus, & Matrimonijs, eorumque Impedimentis. In quinto tandèm libro per Titulos 41. agitur de accuſationibus Criminalibus, eorumque pœnis.

Tertium Volumen continet Librum ſextum Decretalium, & fuit compoſitum, & collectum ex epiſtolis Summorum Pontificum juſſu Bonifacij Papæ VIII. anno 1230. à tribus doctiſſimis Viris, ac Sacrorum Canonum Profeſſoribus Gulielmo videlicet Archiepiſcopo Ebrudunenſi, Berengario Epiſcopo Biterrenſi, àc Magiſtro Riccardo de Senis S. R. E. Vicecancellario, & in quinque Libros, àc Titulos ſeptuaginta ſeptem ſubdiviſum. In primo libro per Titulos 22. agitur de Summà Trinitate, & Fide Catholicà, de Conſtitutionibus, de Conſuetudine, de Reſcriptis, de Electione &c. In ſecundo libro per Titulos 15. de Judicijs, & ijs, quæ ad Judicia ſpectant. In tertio libro per Titulos 24. de Vita, & honeſtate Clericorum. In quarto libro per Titulos 3. de Sponſalibus, & Matrimonijs. Et in 5. libro per Titulos 12. agitur de accuſationibus, Inquiſitionibus, denunciationibus Cenſuris, àc alijs pœnis. Tandèm in calce hujus libri ex eodem Bonifacio VIII. adduntur 88. regulæ Juris Canonici.

His Voluminibus poſſumus addere, ptimò Clementinas, ideſt Conſtitutiones à Clemente Papa V. anno 1305. electo in Concilio Viennenſi promulgatas, quas Joannes Papa XXII. ipſius Succeſſor in quinque libros, àc 52. Titulos ſubdiviſas anno 1318. publicavit. In primo libro per Titulos 11. agitur de Summa Trinitate, & Fide Catholicà, de Reſcriptis, Electione &c. In ſecundo libro per Titulos 12. de Judicijs, & de ijs, quæ ad judicium ſpectant. In tertio libro per Titulos 17. de Vita, & honeſtate Clericorum. In quarto libro per Titulum unicum de Conſanguinitate, & Affinitate. In quinto tandem libro agitur de Magiſtris, de Judæis & Saracænis, de Hæreticis, de Pœnis &c.

Secundò extravagantes Joannis Papæ XXII. quæ continent 20. Conſtitutiones, & comprehenduntur ſub 14. Titulis.

Tertiò Conſtitutiones extravagantium Communium, quæ à varijs Romanis Pontificibus poſt ſextum emanarunt, & in quinque libros comprehenduntur, unoquoque libro ſuos habente titulos, & unoquoque Titulo unum, vel plura Capita.

Quartò Bullaria continentia Conſtitutiones Summorum Pontificum, quæ non habentur in Corpore Iuris, ſed fuerunt collectæ à Laertio Cherubino Iuris-Conſulto Romano, & incipiunt à S. Leone Papa uſque ad Urbanum VIII., quibus adduntur alij duo Tomi, qui continent ultimas Conſtitutiones ejuſdem Urbani VIII. uſque ad Clementem XI. nunc felicitèr regnantem. Quintò addi poſſunt Concilia tàm Generalia, quàm Provincialia in quinque Tomos diſtributa, Venetijs Impreſſa 1585., & poſtremum Generale Concilium Tridentinum tàm quoad articulos

culos Fidei, quàm quoad optimum Regimen Chriſtianæ plebis in materia Sacramentorum, Cultus Divini, in Eccleſiaſtica reformatione Prælatorum, & Regularium.

CAPUT VII.

Quæ nàm ſint materiæ Voluminum Juris Canonici, & Quantæ authoritatis in Eccleſia?

MAteriæ, quæ diſcutiuntur in his Voluminibus ſunt quadruplicis Generis, aliæ enim pertinent ad Perſonas Eccleſiaſticas, ſivè Regulares, ſivè Sæculares, aliæ ad Sacramenta, eorumque rectam adminiſtrationem, ad Eccleſiarum Immunitatem ſervandam, & earum Cultum, & nitorem reparandum. Aliæ ad formam in Iudicijs ſervandam, & ad forum Contentioſum pro Perſonis Eccleſiaſticis, ſivè Regularibus, ſivè Sæcularibus, rectam, & juſtam regulam ad judicandum ſecundum Sacros Canones ſtatuendo. Aliæ tandem pertinent ad Perſonarum Eccleſiaſticarum delicta, illis debitam, & juſtam pœnam imponendo, & præcipuè Eccleſiaſticas Cenſuras. De his ergo omnibus miro ordine, & diviſione in libros, Titulos, & Capitula, vel alia hujuſmodi in Voluminibus Iuris Canonici pertractatur.

Sed quantæ ſint authoritatis in Eccleſia hujuſmodi Volumina, Dico, quod primum Volumen, in quo continetur Decretum Gratiani, (prout communiter ab omnibus Canoniſtis aſſeritur) non habet authoritatem Iuris, nèc vim legis in tribus, videlicet in Rubricis, in Capitibus quæ inſcribuntur *palea*, & in legibus Civilibus, ac Canonibus, qui non reperiuntur in locis ab eodem Gratiano citatis, & deſumptis, ut plenè differit Fagnanus in capite *Canonum Statuta* à numero 37. & ſeqq. de Conſtitutionibus, Tomo primo. Quoad Rubricas, quæ ſingulis Capitulis Decreti reperiuntur præpoſitæ, Decretum Gratiani vim Iuris, & Canonis authoritatem non habet propter plures rationes, quas Fagnanus num. 40. ut suprà adducit, ſed præcipuè quià, ſivè eas fecerit Gratianus, ſivè aliquis ejus Diſcipulus, neuter poterat illis vim Canonis tribuere. Ulterius Capitula ejuſdem Gratiani cum hac voce *Palea* non ſunt pro Canonibus recipienda, quia proveniunt ab incerto Authore, imò idem Gratianus videns poſteà additionem illorum Capitulorum ait, ut teſtatur Fagnanus num. 44. *Palea eſt, non eſt de grano meo*. Tandem plures leges Civiles, & Canones antiqui per errorem ab eodem Gratiano in ſuo Volumine Decreti inſerti ſunt, qui in originalibus libris Iuris Civilis, vel Canonici nullo modo reperiuntur, ut notat Eminentiſſimus Belarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis verbo Gratianus, & hujuſmodi leges, vel jura ſi in fonte non reperiantur, vim legis, & Canonis habere non poſſunt; Sed cœtera Capitula totius Decreti, quæ vera ſunt, vim legis obtinent, præcipuè poſt expurgationem ejuſdem Voluminis Gratiani factam de mandato Gregorij Papæ XIII. ut notat Fagnanus in capite Canonum Statuta à num. 37. & ſeqq. de Conſtitutionibus Tom. 1.

Quoad ſequentia duo Volumina, & alia de quibus ſupra, in quibus continentur Decretales Gregorij IX., liber 6. Bonifacij Papæ VIII., Clementinæ extravagantes Joannis XXII., & Extravagantes communes, dico quod omnia iſta vim legis habent, & ab omnibus ſunt ſervanda tamquàm ſerinia Sacroſancta, in quibus recondiri ſunt Theſauri Iuris Canonici.

Quoad Bullaria Romana dico, quòd cùm Decreta Pontificum contineant, ità ſunt ab omnibus ſervanda, àc ſi eſſent à D. Petro facta, ut communiter docent omnes Theologi, & Canoniſtæ; & traditur capite *ſi Romanorum*, diſt. 19.

Tandèm quoad Concilia Generalia, & præcipuè Concilium Tridentinum, dico, quòd habent vim legis, & poſt Sacroſancta Evangelia ſunt magnà veneratione colenda. Ut dicitur capite *ſicut Sancti Evangelij* diſt. 15. & notat Eminentiſſimus de Lauræa in Epitome Conciliorum Generalium verbo *Conciliorum generalium Sanctitas Pag:* 190.

DECRE-

DECRETALES
EPISTOLÆ PONTIFICIÆ

Collectæ juſsu Gregorij Papæ IX. per Fratrem Raymundum de Peñiafort Hiſpanum Ordinis Prędicatorum, qui in Sanctorum numerum ſolemni Canonizationis ritu à Clemente VIII. relatus fuit anno 1601.

EGregium hoc opus, præclariſſimum, àc utiliſſimum prò Judicijs præſertìm Eccleſiaſticis, & Canonicis in quinque partes, ſeù libros dividitur. In prima parte, ſeú libro, primò agitur de Summa Trinitate, & Fide Catholicà, de Conſtitutionibus, de Reſcriptis, de Judicibus, & eorum Officijs. In ſecunda parte agitur de Judicijs, & cooperantibus ad Judicia. In tertia de Vita, & honeſtate Clericorum. in quarta de Sponſalibus, & Matrimonijs, eorumque Impedimentis. In quinta de Accuſationibus, & Criminalibus, & pœnis eorum.

Quilibet iſtorum librorum, ſivè partium partitur in plures Titulos, & ſub quolibet Titulo, una ſaltem, vèl plures Decretales compræhenduntur. Primus liber continet Titulos 43. Secundus liber continet Titulos 30. Tertius liber continet Titulos 50. Quartus liber continet Titulos 21. Quintus liber continet Titulos 41. Sicqué omnes Tituli Decretalium ſimùl ſumpti, ſunt num. 185. Ad quos Titulos omnes ferè materiæ Juris Canonici redactæ ſunt, àc per Decretales Epiſtolas Pontificum, uſque ad tempus Gregorij IX. ſunt definitæ. Quæ Decretales in hoc Opere ſub his Titulis collectæ, ſunt numero 2982. Tituli, & Capitula Decretalium videri poterunt in Indicibus poſitis in fine libri, ad quos Indices ſæpè recurrendum eſt prò inveniendis materijs, de quibus agitur.

SUMMARIUM
PRIMI LIBRI DECRETALIUM
Cujus Tituli ſunt numero 43.

TITULUS PRIMUS.
De Summa Trinitate, & Fide Catholicà in duo Capita diſtinctus.

HIC Titulus meritò primus utpotè materiam continens præſtantiſſimam, àc diviniſſimam, unicam tantum Decretalem compræhendit, quæ eſt Innocentij III. in Concilio Generali Lateranenſi quarto anno 1215. quod maximum dictum eſt, non quòd præcedat dignitate quatuor illa Generalia Concilia, Nicœnum ſcilicèt, Conſtantinopolitanum, Ephæſinum, & Calcedonenſe (ijs enim tamquàm quatuor Evangelijs omnis honor, & fides ex SS. Patribus eſt adhibenda.) Sed hoc Lateranenſe Concilium Maximum nominatur, proptèr univerſalitatem eorum, qui tali Concilio interfuerunt; In eo enim interfuere Hyeroſolimitanus, & Conſtantinopolitanus Patriarchæ, Metropolitani 70. Epiſcopi 400. Abbates 12. Priores Conventuales 800. Græci, & Romani Imperij Legati, Regum verò Hieruſalem, Franciæ, Hiſpaniæ, Angliæ, & Cypri Oratores. Proptèr ergò hanc omnium Nationum confluentiam, & conſenſum hoc Concilium Generale Romæ in Laterano celebratum, dictum eſt Maximum, in quo Concilio cap. 1. præfata Conſtitutio, ſivè Decretalis poſita eſt, tamquàm Fidei Catholicæ Profeſſio, ſeu Symbolum contrà errores, tùm Abbatis Joachimi, qui putavit Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum non eſſe propriè, & realitèr unam, & eamdem ſubſtantiam, naturam, & eſſentiam, ſed ſolùm collectivè, & ſimilitudinariè; undè docuit contrà Petrum Lombardum Magiſtrum ſententiarum hanc ſubſtantiam eſſe generantem, genitam, & procedentem; Tùm etiàm contrà perverſiſſimum dogma impij Almerici, qui multa falſiſſima, & impijſſima docuit, ut Potentiam Patris non duraſſe, niſi tempore legis Moſaycæ, qua terminata incœpiſſe Potentiam Filij, & duraſſe uſque ad adventum ejuſdem Almerici, à quo tempore incępiſſe Potentiam Spiritus Sancti præcipientis, omnia facienda eſſe ex Charitate, & ſic facta, peccata non eſſe, etiam adulteria, ſtupra, fornicationes, & alia hujuſmodi: propter quas hæreſes talis Almericus Lutetiæ Pariſiorum fuit tamquàm Hæreſiarca impænitens publicè combuſtus anno 1204. ut ex prima parte Directorij Inquiſitorum pag. *6.*

Redeundo argò ad præfatam Decretalem *Firmitèr*: Hæc dividitur in duas partes principales, ſeù Capita. Primum ſcilicet *Firmiter*, ſecundum *Damnamus*. In primo capite ponit Summus Pontifex ea quæ de Fide ſunt poſitivè credenda. In ſecundo capite, damnat errorem Abbatis Joachimi, & hæreſes impij Almerici.

Primum caput partitur in quinque partes. In prima dicitur, quòd firmiter credere debemus, & ſimpliciter confiteri, quòd unus, ſolus, & verus eſt Deus æternus, Omnipotens &c. ſcilicet Pater; Filius, Spiritus Sanctus, tres Perſonæ, ſed una eſſentia, ſubſtantia, & natura. Pater à nullo, Filius à Patre, & Spiritus Sanctus ab utroque procedens. Similiter credere

dere debemus, Deum ab initio temporis creaſſe res tàm inviſibiles, quàm viſibiles; ſpirituales ſcilicet, & corporales, Angelos nempè, & homines, utroſque in genere condidiſſe, ſed ex propria malitia aliquem ex Angelis cecidiſſe, & Adam primum hominem propter eſum pomi vetiti infeliciter cum tota ſua Progenie corruiſſe, & à Paradiſo ejectum. Videatur D. Thomas 1. par. quæſt. 28. uſque ad 44. ubi fusè de Trinitate tractat, & quæſt. 44. uſque ad 49. ubi fuſiſſime de Proceſſione Creaturarum à Deo tractatum aggreditur.

In ſecunda parte ſtatuit credendam eſſe Incarnationem Filii Dei, corpore aſſumpto Spiritus Sancti cooperatione in utero Virginis per unionem hypoſtaticam, ſubſiſtente una tantûm perſona in duabus naturis, divina ſcilicet, & humana: Impaſſibili, & immortali prima; paſſibili, & mortali ſecunda exiſtente, cui veritati adnumerantur ſex articuli Fidei circa Chriſti humanitatem.

In tertia parte dicitur, quòd eſt una tantum univerſalis Eccleſia, extra quam nullus ſalvatur, in qua Eccleſia ſunt Sacramenta, & ſpecialiter Sacramentum Euchariſtiæ, quod à ſolis Sacerdotibus confici poteſt.

In quarta parte ſtatuitur de Sacramento Baptiſmi, dandum eſſe in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, per quod Sacramentum omnia delentur peccata, tàm originale, quàm actualia in adultis: ſed ſi poſt Baptiſmum aliquis ex Fidelibus peccet, dicit eſſe Sacramentum Pœnitentiæ a Chriſto inſtitutum, collata poteſtate abſolvendi, & ligandi Apoſtolis, & eorum Succeſſoribus, ſcilicet Sacerdotibus.

In quinta parte docet, quòd non ſolùm Virgines, & continentes, ſed etiam conjugati per fidem rectam, & per operationes meritorias poſſunt pertingere ad æternam beatitudinem.

Secundum caput partitur in duas partes principales. In quarum prima reprobat doctrinam Abbatis Joachimi. In ſecunda damnat hæreſes Almariei.

Circa primam partem refellit primò doctrinam Abbatis Joachimi, qui contra Magiſtrum ſententiarum aſſerebat, in Deo non dari quamdam rem, & ſubſtantiam abſolutam, quæ ſit Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, quæ ſubſtantia non ſit generans, nec genita, nec ſpirata, aliàs, ut idem aſſerebat, poneretur quaternitas in Deo, & tolleretur Trinitas; ſed docebat has Tres Perſonas Divinas eſſe unum unitate collectiva, & ſimilitudinaria, ſicut multi homines ſunt unus Populus, & multi Fideles una Eccleſia, quod nitebatur probare multis authoritatibus Sacræ Scripturæ.

Secundò hanc doctrinam Abbatis Joachim reprobat Innocentius in hoc Concilio per hanc Decretalem, aſſerendo cum Magiſtro Sententiarum, quòd una quædam ſumma res eſt, divina ſcilicet eſſentia, incompræhenſibilis quidem, & ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres ſimul Perſonæ, & ſigillatim quælibet earumdem, & ideò in Deo non eſt Quaternitas, ſed Trinitas, quia quælibet trium Perſonarum eſt illa res, quę à nulla earum ne dum eſt ſeparabilis, ſed nec realiter diſtinguibilis, licet non ut generans, nec genita, nec procedens; hæ enim ſunt actiones perſonales, & relativæ, illa autem res eſt ſubſtantialis, & abſoluta; & ita reſpondet argumentis Abbatis Joachim deſumptis ex Scriptura. Sicque damnatur talis ſententia, tamquàm hæretica, & omninò prohibetur.

Videatur S. Thomas 1. par. quæſt. 39. art. 1. in Corpore, ubi concludit, quòd eſſentia eadem eſt re, ac perſona his verbis: *Perſona ſignificat relationem prout eſt ſubſiſtens in natura divina; relatio autem ad eſſentiam comparata non differt re, ſed ratione tantum. Comparata autem ad oppoſitam relationem habet virtute oppoſitionis realem diſtinctionem, & ſic remanet una eſſentia, & tres Perſonæ*, & Auguſtinus 11. de Trinitate cap. 6.: *Cùm dicimus Perſonam Patris, non aliud dicimus, quàm ſubſtantiam Patris.*

In ſecunda parte reprobat, & condemnat impiiſſimum dogma cum omnibus hæreſibus impii Almarici, cujus doctrinam non tantùm hæreticam declarar, ſed etiam inſanam, ut videre eſt apud Alphonſum

de Caſtro de hæreſi &c., & apud Emericum in Directorio inquiſitorum 1. par. quæſt. 7. num. 3. & D. Thomas 1. part. quæſt. 27., & ſequentibus ubi fusè de ſumma Trinitate pertractat.

TITULUS II.

De Conſtitutionibus in 13. Capita diſtinctus.

IN primo capite, quod incipit *Canonum* ex Concilio Meldenſi, ſtatuitur, Conſtitutiones Canonum ab omnibus eſſe ſervandas, neque aliquem poſſe proprio ſenſu judicare ſecundùm Statuta Sacrorum Canonum. Quod tamen intelligendum eſt de Statutis Canonum, qui univerſales ſunt, non perſonales, aut Locales: hi enim ſolùm obligant perſonas,& loca particularia. Similiter de Canonibus, qui abrogati non ſunt per contrariam conſtitutionem, aut contrarium uſum, vel conſuetudinem; hi enim amplius non obligant.

In ſecundo capite, quod incipit *Cognoſcentes* ex Gregorio in regiſtro, ſtatuitur Conſtitutionem de novo factam reſpicere tempus futurum, non præteritum; nam nullus puniri debet ſine culpa; culpa autem non eſt, niſi quando lex eſt ſtatuta, & promulgata: quæ promulgatio debet eſſe publicè facta in ſolitis locis, ut omnes afficiat. Sic D. Thomas 1. 2. quæſt. 91. art. 4. in Corpore, ubi definit legem, quòd eſt *quædam rationis ordinatio ad bonum commune ab eo, qui curam Communitatis habet promulgata*, & ſtatuit promulgationem requiri ad legem, quia lex eſt regula, & menſura; menſura autem debet applicari his, qui à lege regulantur, quod per ſufficientem promulgationem fit.

In tertio capite, quod incipit *Translato* ex Auguſtino ſuper illud Apoſtoli ad Hæbreos, ſtatuitur, poteſtatem condendi leges canonicas, eaſque mutandi, reſidere pænès Chriſti Vicarium, Pontificem Romanum, qui eſt Caput univerſale totius Eccleſiæ: Quæ leges non ſolùm obligant in propriis terminis, ſed etiam extenduntur ad connexa, & ſimilia, prout probatur ex Apoſtolo, qui ex translatione Sacerdotii intulit in conſequentiam translationem legis, cum lex, & Sacerdotium ſint connexa: connexorum enim idem eſt judicium. Ità D. Thomas 1. 2. quæſt. 1. art. 3. in Corpore ubi docet, *quòd condere legem, vel pertinet ad totam multitudinem, vel pertinet ad perſonam publicam, quæ totius multitudinis curam gerit, cum ordinetur ad bonum commune*, atquì Pontifex quantùm ad regimen ſpirituale Eccleſiæ eſt perſona publica, quæ totius Orbis Catholici curam gerit; igitur in ipſo eſt ſumma Poteſtas condendi leges canonicas.

In 4. capite, quod incipit *Nam concupiſcentia &c.* ex eodem Auguſtino ſtatuitur, omne prohibitum à lege peccatum eſſe, & ſimiliter eſſe peccatum omne id, quod ex illo ſequitur. Dicit enim Apoſtolus ad Romanos 7. *Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, non concupiſces*. Ex quo duo ſequuntur, ſcilicet peccatum cognoſci per legem, & poſita lege, prohiberi per illam ne dum peccatum, ſed omne id, quod eſt ei annexum, & omne, quod ex eo derivatur; undè Auguſtinus utitur exemplo concupiſcentiæ, ex qua omnia mala oriuntur.

In 5. capite, quod incipit *Ne innitaris* ex Hieronymo, ſtatuitur conſtitutiones Decretorum eſſe præferendas opinionibus ſingularibus cujuſcumque, nàm Proverbiorum 3. dicitur: *Fili mi habe fiduciam in Deum ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ, & ne ſis ſapiens apud temetipſum*. Inniti autem prudentiæ ſuæ, eſt proprium judicium in agendis, vel dicendis præponere ſtatutis, vel doctrinis Sanctorum Patrum, vel legibus, quod peſſimum eſt, & perniciosum.

In 6. capite, quod incipit *Cùm omnes* ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd abſque cauſa rationabili non poteſt major pars Capituli, vel Collegii tollere legitimam conſuetudinem propter utilitatem privatam aliquorum, ſtatuendo aliquid in proprium commodum, & in damnum aliorum; lex enim debet eſſe omnibus communis, & æqualis.

In 7. capite, quod incipit *Quæ in Eccleſiarum &c.* ex eodem Innocentio III. ſta-

ſtatuitur, conſtitutionem Laicorum, Eccleſiam, ſive ejus bona non adſtringere, nulla enim eſt authoritas apud Laicos ſuper res Eccleſiæ, & Eccleſiaſticos; ſunt enim ordinis ſuperioris, & immunes à poteſtate laicali.

In 8. capite, quod incipit *Cum acceſſiſſent* ex eodem Innocentio III. ſtatuitur, quòd dignitas aliqua, puta Primiceriatus, vel Archipræsbiteratus alicujus Eccleſiæ, ſi de communi conſenſu Capituli ſupprimatur, quæ ſuppreſſio ſit confirmata per Papam, ulterius non cenſetur vacare, niſi per contrarium actum Statutum illud fuerit revocatum: nam vacare non eſt, quod omninò ſublatum eſt.

In 9. capite, quod incipit *Cum M. Ferrarenſis* ex eodem Innocentio III. ſtatuitur, quòd non obſtante certo Canonicorum numero, etiam per Papam confirmato, ſi recipiantur alii Canonici ſupra numerum, iis providendum eſt de fructibus Capituli excreſcentibus, & extraordinariis, maximè ſi illi voluntariè per eoſdem Canonicos fuerint recepti, cùm ex hoc habeant jus ad hujuſmodi fructus.

In capite 10., quod incipit *Eccleſia Sanctæ Mariæ* ex eodem Innocentio III. ſtatuitur, quòd Statutum generale Laicorum ad Eccleſias, vel ad Eccleſiaſticas Perſonas, vel ad earum bona in earum præjudicium nullo modo extendi poteſt: nec etiam ſtatutum ſpeciale, etiamſi factum fuerit in earum commodum, & favorem: quia Eccleſia, & Eccleſiaſticæ Perſonæ, ac earum bona gaudent exceptione, & immunitate, ut dictum eſt.

In capite 11., quod incipit *Ex literis* ex eodem Innocentio III. ſtatuitur, quòd pœna ſimpliciter appoſita propter contumaciam in dubio, debet intelligi temporalis, & non perpetua: in pœnalibus enim, quando adeſt dubium, mitior interpretatio facienda eſt, juxta illud vulgare juris axioma. Pœnæ ſunt reſtringendæ, & favores ampliandi.

In capite 12., quod incipit *Ex parte Epiſcopi* ex Honorio III. ſtatuitur, Canonicos non poſſe ſine juſta, & legitima cauſa à Summo Pontifice approbata, reſtringere numerum Canonicorum, ſeu Præbendarum: non enim valet Statutum, per quod divinus cultus ſine legitima cauſa diminuitur. Statutum enim, & lex ſemper debent eſſe de meliori bono.

In capite 13., quod incipit *Quoniam conſtitutio &c.* ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd conſtitutiones, ſeu decreta, aut leges, futura reſpiciunt, non præterita, niſi fortè in eis aliquando de præteritis caveatur, quod tamen fieri non valet, ſpecialiter loquendo de lege pœnali, quæ nullatenus extendi poteſt ad præterita. Videatur D. Thomas 1. 2. quæſ. 90. de legibus, per totam quæſtionem, & in quæſtionibus ſequentibus.

TITULUS III.

De Reſcriptis in Capita 43. diſtinctus.

IN primo capite ex Alexandro III., quod incipit *Sicut Romana* ſtatuitur, quòd privilegio generali obtento ſecundùm Jus commune derogat Reſcriptum ſpeciale, etiam de eo mentionem non faciens: & datur exemplum in eo, qui aliàs habilitatus ſit ad appellandum ſecundum jus commune, & deinde pars adverſa obtinuit à Papa Reſcriptum commiſſionis cauſæ ad aliquem Judicem, omni appellatione remota, in quo ſecundum reſcriptum derogat primo, quia ſpeciale mandatum derogat generali.

In capite 2. ex eodem, quod incipit *Ex parte Comnentrenſis Epiſcopi* ſtatuitur, quòd in quolibet Reſcripto Papæ ſemper ſubintelligitur Clauſula, ſi præces veritati nitantur, etiamſi expreſsè non apponatur, quia aliàs Reſcriptum eſſet dolosè obtentum, dolus autem nulli patrocinatur. Quòd ſi Reſcriptum prohibet cauſæ cognitionem, videtur tale Reſcriptum de veritate ſuſpectum, & dolo impetratum: undè pars adverſa poteſt reclamare.

In capite 3. ex eodem, quod incipit *Cæterum ſi aliquis &c.* ſtatuitur, quòd ſi in ſecundo Reſcripto per Adverſarium impetrato non fiat mentio de primo Reſcripto priùs à parte contraria obtento, valet primum, & non ſecundum: ſi autem de eo fiat mentio, & hoc non obſtante, impetrat ſecundum contrarium, valet ſecun-

cun-

cundum, & non primum. Si autem de communi conſenſu partium fuit primum Reſcriptum impetratum à Papa, deinde ab una tantum parte, primo reſcripto non expreſſo, fuerit impetratum aliud contrarium, non valet hoc ſecundum, ſed primum, quia in tali impetratione præſumitur dolus, & obreptio, eo quòd non exprimitur, quod exprimendum eſt: imò talia agens debet condemnari in expenſis.

In capite 4. ex eodem, quod incipit *Inter cæteras*, ſtatuitur, quòd ſi Papa in ſuo reſcripto mandat aliquid ſub diſtinctione, & disjunctivè, ut ſi Petrus fecerit hoc, vel fecerit illud, damnetur ad talem pœnam, ſufficit, ut una ex his partibus verificetur: nàm ad verificationem disjunctivæ ſufficit, quod una tantùm pars ſit vera, undè ſi probetur, Petrum feciſſe hoc licèt illud aliud non fecerit, debet damnari.

In capite 5. quod incipit *Si quando* ſtatuitur, quòd quotieſcumque Papa dirigit reſcriptum alicui, committendo ei aliquam Cauſam, ille debet parere, aut rationabilem Cauſam adducere *cur ei parere non poſſit*.

In capite 6. quod incipit *Cum Ordinem Ciſtercienſem* ex eodem ſtatuitur, quòd Ciſtercienſes, & alij Monachi, vel Religioſi habentes Privilegium aliquod particulare exemptionis à Decimis, vel alijs gravaminibus non tenentur reſpondere, nec poſſunt conveniri ab eo, qui obtinuit Reſcriptum Papæ, nulla facta mentione de eorum Privilegijs, quia tale reſcriptum doloſè eſt impetratum, nulla facta mentione de eo, quod neceſſariò erat explicandum.

In capite 7. quod incipit *Eam te* ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Papa vacante Sede Epiſcopali ſcribat Capitulo, vel gerenti vices Epiſcopi, ipſi mandando, ut Canonicatum, vel Præbendam alicui conferat; ſi ſit Epiſcopus de novo creatus, antè executionem mandati; ad ipſum ſpectabit mandatum Papæ exequi, etiàmſi collatio Canonicatus, vel Præbendæ ad Epiſcopum ſpectaret, quià Papæ mandatum fuit expeditum antè Electionem Epiſcopi, licèt non exequutum; vis autèm, & efficacia mandati pendet à data litterarum.

In capite 8. quod incipit *Ad aures noſtras*. Ex Lucio III. ſtatuitur, quòd non valet Reſcriptum impetratum ad minora Beneficia, ſi in tali Reſcripto ſubticetur dignitas, quam impetrans actu poſſidet; doloſa eſt enim talis reticentia; nàm ſi Papæ hoc innoteſceret, non ei conceſſiſſet illud minus Beneficium.

In capite 9. quod incipit *Si autèm aliquis* ex eodem ſtatuitur, quòd valet Reſcriptum impetratum ab Adverſario in aliqua cauſa, etiàmſi in ipſo non ſit facta mentio de priori reſcripto, ſi primus impetrans dolo, vel negligentia eo non fuerit uſus; ſecus autèm ſi per ipſum non ſtetit, ut eo uteretur; tunc enim ſubſiſtit primum, & non valet ſecundum.

In capite 10. quod incipit *Ad hæc ſumus* ex eodem, ſtatuitur Reſcripta illa per quæ incerti Judices dantur, vel futura negotia committuntur eſſe invalida, & omninò ſuſpecta, àc proindè non admittenda.

In capite 11. quod incipit *Ad audientiam* ex eodem, ſtatuitur quòd falſa latinitas vitiat Reſcriptum Papæ; non enìm eſt veriſimile, tot Miniſtros, per quorum manus tranſit Papæ Reſcriptum, eſſe latinitatis ignaros; undè ſi Reſcripta Papæ ſint in latinirate vitiata, præſumuntur fictitia, àc proindè viribus carent.

In capite 12. quod incipit *Ex parte*. Ex Clemente III. ſtatuitur, quòd non poteſt opponi contrà ſecundum Reſcriptum de taciturnitate primi Reſcripti impetrati per Appellarionem, de ſua Appellatione non facta mentione, & hoc quià appellans appellationem ſuam non fuit proſecutus in toto tempore per biennium.

In capite 13. quod incipit *Sciſcitatus* ex Cœleſtino III. ſtatuitur, quòd ſi Papa committat cauſam per ſuum Reſcriptum duobus, vel tribus Judicibus, ut inſimul procedant, cum illa tamen clauſula, ſcilicet quòd ſi ambo, vel tres in tali caſu procedere non poſſint, alter eorum procedat; illa clauſula interprætanda eſt non ſolùm de impotentia Juris ad judicandum, ut ſi ſit infamis &c. ſed etiam facti; debet tamèn talis impotens alios Conjudices certiores reddere de ſua impotentia.

In capite 14. quod incipit *Paſtoralis*

officij

officij ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd in caſu, quo quis obtinuerit à Sede Apoſtolica litteras Commiſſoriales in aliqua cauſa ad aliquos Judices, & pars adverſa obtinuerit poſteà ab eàdem Sede Apoſtolica eamdem cauſam alijs Judicibus delegari, facta mentione de prioribus litteris, quas ſupponebat hæc pars adverſa fuiſſe impetratas per falſi ſuggeſtionem, vel veri ſuppreſſionem; Si Judices priores nolint deferre poſterioribus, aut poſteriores prioribus circà legitimitatem talis revocationis, in tali caſu pertinet ad omnes illos, tàm priores, quàm poſteriores judicare de tali legitimitate: quòd ſi non concordaverint, Arbitri ab eis ſunt eligendi, & ad illos ſpectabit judicare de tali revocatione Reſcripti.

In capite 15. quod incipit *Sedes Apoſtolica* ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi impetretur Apoſtolicum Reſcriptum cum hâc clauſula, contrà Titium, & quaſdam alias Perſonas, vel in tali cauſa, & quibuſdam alijs; per tale Reſcriptum non compræhenduntur Perſonæ maioris dignitatis, quàm ſit illa, quæ expreſſa eſt, nec cauſæ majoris ponderis, quàm illa, quæ expreſſè proponitur, ſed ſolùm pares, aut minores; nàm in deſcriptione tàm Perſonæ, quàm cauſæ, digniores debent exprimi, aliàs præſumitur dolus.

In capite 16. quod incipit *Ex tenore litterarum* ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi quis in eàdem cauſâ diverſas impetrat à Papa litteras commiſſoriales ad plures Judices, quarum litterarum poſteriores non revocant priores, carere debet commodo tàm primarum, quàm ſecundarum; quià hoc præſumitur factum per fraudem; Fraus autem nulli debet patrocinari.

In capite 87. quod incipit. *Cum adeò* ex eodem, ſtatuitur, non valere Reſcriptum ad Beneficium impetrandum, ſi de anteriori Beneficio ab impetrante poſſeſſo mentio expreſſa non fiat; laborat enim tale Reſcriptum vitio obreptionis ex dolo impetrantis, cum non exprimat, quod exprimendum eſt; undè redditur invalidum.

In capite 18. quod incipit *Cauſam* ex eodem. Statuitur quod ſi Reſcriptum Papæ ponatur ſub hac forma. *Si alterutra parte citata non venerit, vel Judicio parere contempſerit, Judices recipiant partis præſentis probationes, & quorum de Jure præſunt, in cauſa cognitione, ac deciſione procedunt.* Si altera pars 3. citata non venerit, poterit condemnari in contumacia, ordine Juris ſervato. Ordo enim Reſcripti interprætationem recipit à Jure communi.

In capite 19. quod incipit *Conſtitutus* ex eodem, ſtatuitur in Eccleſia habente numerum taxatum Canonicorum non valere impetrationem Canonicatus non vacantis, aut ſupra numerum, non facta mentione in Reſcripto de tali numero taxato; videtur enim fraudolentèr impetratum tale Reſcriptum propter reticentiam ejus quod debebat exprimi.

In capite 20. quod incipit *Supèr litteris* ex eodem, ſtatuitur, quòd exprimens falſum, vel tacens verum, in Reſcripto, ſi malitiosè hoc factum eſt, caret prorſus impetratis; nàm nulli dolus patrocinari debet; Si autem hoc factum fuit per ſimplicitatem, aut ignorantiam, quod pluries evenit, videndum eſt, an talis narratio falſi, aut reticentia veri fuerit cauſa motiva ad impetrandum tale Reſcriptum, vel fuerit cauſa nihil, aut parùm conducens. Si primum, Reſcriptum eſt invalidum, & non ſubſiſtit. Si ſecundum, eſt validum, quià non cenſetur nec ſubreptum, nec obreptum, quia error accidentalis eſt, non cauſa ſubſtantialis.

Ex capite 21. quod incipit *Edoceri poſtulaſtis* ex eodem, ſtatuitur quòd ſi in cauſa Monaſterij convenitur Abbas per Reſcriptum à Papa, etiàm in litteris nulla facta mentione de Monaſterio, talis Abbas non poteſt appellare, quià ad ipſum ſpectant negotia Monaſterij. In uno tantùm caſu poſſet appellare, quando ſcilicet bona menſæ Abbatis, & bona Monaſterij eſſent diverſa; tùnc enim pro bonis Monaſterij Abbas non poteſt conveniri, quià nullus convenitur pro alienis.

Ex capite 22. quod incipit *Cum dilecta* ex eodem, ſtatuitur quòd Proceſſus factus vigore litterarum per ſubreptionem obtentarum ad petitionem partis adverſæ eſt irritandus, tamquàm invalidus; non.n. eſt formatus legitima authoritate. Similiter omninò invalidus Proceſſus formatus contrà formam Reſcripti, quià mandatarius

rius invalidè agit, non ſervando formam mandati, quam mandans illi præſcribit, cùm agat nomine, & authoritate illius

Ex capite 23. quod incipit *Plerumque* ſtatuitur valere ſecundum Reſcriptum, etiamſi in eo nulla fiat mentio de primo Reſcripto, ſi is, qui impetravit primum, eo uti noluit, cum poſſet, infrà annum; diuturnitate.n. tanti temporis habetur, ac ſi non fuiſſet obtentum.

Ex capite 24. quod incipit *Cum contingat* ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi contingat in aliqua cauſa à diverſis fuiſſe impetrata à Sede Apoſtolica contraria reſcripta, ſeù mandata, Ordinarius Judex, qui debet ea exequi, debet diligenter videre, ſi reſcriptum poſterius faciat mentionem de primo, & illud revocat, àn non; ſi non revocat primum, debet exequi primum, quià prior tempore eſt potior jure; ſi revocat, debet exequi ſecundum, nàm primum revocatum viribus caret; Si autem eſt lis ſuper hoc inter partes, debet Executor ſuſpendere executionem, quouſque conſtet de validitate Reſcripti.

Ex capite 25. quod incipit *Olim ex litteris*: Ex eodem ſtatuitur, quòd quando in reſcripto plura narrantur, & apponitur illa clauſula: *Si eſt ità*, aut alia ſimilis, non ſufficit impetranti aliqua tantum probare eſſe vera, ſed tenetur omnia verificare; nàm clauſula illa omnia præcedentia reſpicit; eſt enìm ad illa omnia correlativa.

Ex capite 26. quod incipit *Dilectus Filius*, ſtatuitur, Reſcriptum non valere ſuper reſtitutione Beneficij impetratum à Papa, ſi de cauſa amiſſionis, ſeù privationis Beneficij hujuſmodi nullam faciat mentionem: præſumitur enìm tale Reſcriptum dolosè, & obreptitiè obtentum; non enìm explicatur, quod eſt exprimendum.

Ex capite 27. quod incipit *Poſtulaſti* ex eodem ſtatuitur, quòd Epiſcopus non tenetur providere de novo Beneficio, habenti perpetuam Vicariam, aut ſufficiens Patrimonium, unde poſſit ſubſtentari, etiàm ſtante Reſcripto Papæ ab Oratore impetrato, ſi in eo non ſit facta mentio de tali perpetua Vicaria ab eo poſſeſſa, cùm hæc neceſſariò eſſet exprimenda; habetur enìm ratione Beneficij: Beneficium autem quod jàm poſſidetur eſt neceſſariò exprimendum ab eo, qui aliud Beneficium prætendit; aliàs Reſcriptum eſt obreptitium.

Ex capite 28. quod incipit *Nonnulli* ex eodem, in Concilio ſtatuitur, quòd nullus ex litigantibus per litteras Apoſtolicas trahi poteſt ultrà duas Diætas extrà ſuam Diœceſim, niſi de conſenſu partium præfatæ litteræ fuerint impetratæ, aut niſi in prædictis litteris huic Conſtitutioni, ſeù Decretali fuerit expreſſe derogatum; nam petere Judices valde remotos eſt nimis grave, & incommodum parti adverſæ; unde abſque ejus conſenſu peti non debent, nec valent litteræ impetratæ à tertia Perſona abſque ſpeciali mandato Domini, in cujus favorem impretantur.

Ex capite 29. quod incipit *Dilectus Filius* ex Honorio III. ſtatuitur, quòd ſi emanaverunt duo Reſcripta à Sede Apoſtolica, primum ſcilicet in cauſa principali, ſecundum in cauſa Appellationis; non Judex ſuper principali, ſed Judex deputatus ſuper Appellatione debet cognoſcere de validitate præfatæ Appellationis.

Ex capite 30. quod incipit *Capitulum Sanctæ Crucis* ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi plures impetrent à Papa idem Beneficium, debet ſtari datæ, ut primus impetrans præferatur alijs, & ſolus admittatur: nàm Prior tempore eſt prior jure, ut alibi dictum eſt; niſi primum Mandatum revocetur per ſecundum.

Ex capite 31. quod incipit *Ad audientiam* ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi aliquis habens litteras Papæ pro aliquo Beneficio, eis renunciet propter annuam Penſionem, ſi alias litteras impetraverit ad Beneficia obtinenda non valent, ſi hoc non expreſſerit: eſt enìm circumſtantia neceſſariò exprimenda, difficultatem Papæ ingerens; quià videtur gratiam ei per primas litteras factam vendidiſſe, recipiendo penſionem: Qui autem abutitur Privilegio, meretur privari.

Ex capite 32. quod incipit *In noſtra*. Ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd receptus per litteras Apoſtolicas in Canonicum, vel Beneficiatum alicujus Eccleſiæ, licet Præbendam talis Canonicatus, vel Beneficij expectet, quia adhuc non vacat: ſi interim impetret à Papa literas pro alio

Cano-

Canonicatu, vel Beneficio alterius Eccleſiæ, priore Canonicatu, vel Beneficio non expreſſo, præfatæ literæ non ſubſiſtunt; ſunt enim obreptitiæ.

Ex capite 33. quod incipit *Ex parte Decani*, ex eodem ſtatuitur, quòd non valet Reſcriptum, quod Procurator à ſuo Principali revocatus, & de hoc ipſemet certificatus per literas, extra judicium à Papa impetravit, ſecus tamen ſi in judicio jam incæpto, dummodò ejus revocatio ad notitiam Adverſarij, vel Judicis non pervenerit; habita enim tali notitia revocationis procuræ, præfatus Procurator ad illud judicium admitti non debet; nam acta per illum eſſent invalida.

Ex capite 34. quod incipit. *Significante*, ex eodem ſtatuitur, quòd reſcriptum impetratum contrà hominem alicujus Diœceſis, non extenditur ad hominem ejuſdem nominis alterius Diœceſis, vel etiam ejuſdem, ſi non ſit ille, contra quem impetratum eſt reſcriptum: nam in executione Reſcripti attendenda eſt identitas Perſonæ, & error nominis vitiat Reſcriptum.

Ex capite 35. quod incipit. *Rodulphus Clericus*, ex eodem ſtatuitur, quòd per reſcriptum impetratum contra homines Diœceſis, non debent conveniri homines Civitatis: nam Civitatis appellatione Diœceſis non continetur, neque è contra.

Ex capite 36. quod incipit. *Significavit nobis*, ex eodem ſtatuitur, quòd Reſcripta Papæ non extenduntur ad Succeſſores eorum, contra quos fuerant impetrata, ſi res adhuc ſit integra, ideſt non incæptum judicium, nec exequuta commiſſio: ſecus ſi judicium, & commiſſio ſit incæpta, & agatur de cauſa reali, & non perſonali; tunc enim hæredes in bonis, prævia citatione conveniri poſſunt ex vi Reſcripti pro debitis Defuncti: ſi autem Reſcriptum eſt perſonale ſequitur perſonam, & extinguitur cum perſona.

Ex capite 37. quod incipit. *Ex inſinuatione*, ex eodem, quòd non valent litteræ executoriæ à Papa impetratæ, in quibus impetrans falsò aſſeruit, monitoria præceſſiſſe; ſunt enim ſubreptitiæ, cum contineant falſitatem: eſt enim ſtylus Romanæ Curiæ in proviſione Beneficiorum, quòd Papa primò concedat literas monitorias, deinde Præceprorias, & tandem Executorias; poteſt tamen Papa, ſi velit, aliquando dare monitorias literas, & executorias ſimul: cæterum ſi dentur ſeparatæ, ut regulariter fit in executoriis literis debet fieri mentio de monitoriis, & Præceptoriis, aliàs executoriæ ſunt obreptitiæ: ſubreptitiæ autem, ſi dicant præceſsiſſe monitorias, quæ reverà non præceſſerunt.

Ex capite 38. quod incipit, *Mandatum Apoſtolicum*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Papa dederit Reſcripta duabus Perſonis ſuper proviſione ejuſdem Beneficii, ille, qui primus litteras accepit eſt alteri præferendus; nam prior tempore eſt potior jure, ſi per ſecundas literas non fuerint revocatæ; cum Papa non intendat aliquem gravare, vel ab ipſo gratiam jam factam tollere, ſi hoc non exprimat: Beneficium enim Principis oportet eſſe ſtabile, & firmum.

Ex capite 39. quod incipit. *Litteris Apoſtolicis*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi litteræ præceptoriæ ſint cùm hac clauſula, ut habeant ſuum effectum in proviſione alicujus in Canonicum, niſi eadem Eccleſia fuerit per eumdem Pontificem gravata in proviſione alterius Canonicatus; ſi proviſio alterius Canonicatus facta ſit per litteras præceptivas anteceſſoris Pontificis, & per hunc ſucceſsivè fuerint alicui expeditæ literæ executoriales, valent literæ præceptivæ in proviſione hujus 2. Canonicatus; quia Eccleſia non dicitur gravata per executorias, ſed per præceptorias. Præceptoriæ autem fuerunt non ſuæ, ſed Anteceſſoris, ipſe verò dedit executorias vigore præceptoriarum litterarum, unde gravamen Eccleſiæ factum eſt non ab illo, ſed à ſuo Anteceſſore.

Ex capite 40. quod incipit. *Abbatem* ex eodem ſtatuitur, quòd Diœceſanus, cui à Papa ſcribitur, ut in ſua Diœceſi, ubi pro alio ſcriptum non eſt, provideat, vel faciat provideri aliquem de Beneficio, non poteſt id exequi circa Beneficium ſpectans quoad collationem alteri jam pro alio gravato: Nam mandatum Papæ debet exequi in propriis, non

in alienis Beneficiis, quorum collationes ad alios ſpectant: hoc enim eſſet mittere falcem in meſſem alienam.

Ex capite 41. quod incipit. *Ab excommunicato*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Reſcriptum impetratum à Papa directum Excommunicanti, ut abſolvat à ſe excommunicatum, ſi ipſum excommunicavit contra formam Concilii, ſcilicet non præmiſsis monitionibus, aſsignatis executoribus, qui, excommunicatore non parente, exequantur; Non excommunicatori tradatur, ſed executoribus cognitio cauſæ demandetur; ſi aliàs excommunicator renuat excommunicatum abſolvere, eſt enim valdè conveniens, ut Prælatus, qui, non ſervatâ formâ Concilii, ſubditum excommunicavit, ſine difficultate ipſum abſolvat, ut ipſemet corrigat errorem ſuum: quòd ſi renuat, dandi ſunt executores, qui ex mandato Papæ ipſum abſolvant, præmiſſa cognitione cauſæ.

Ex cap. 42. quod incipit. *Proponente*. Ex eodem, ſtatuitur, quòd Beneficiatus quamvis modico, & tenui Beneficio proviſus, ſi in litteris obtentis à Papa ad aliud Beneficium, non faciat mentionem de illo exiguo Beneficio, quod actu poſsidet, fraudolenter operatur: unde literæ obreptitiæ ſunt, & invalidæ ad obtinendum.

Ex cap. 43. quod incipit. *Quia nonnulli*. Ex eodem, ſtatuitur, quòd qui abutuntur Reſcriptis Apoſtolicis fraudolēter, condemnentur à Judice in ſumptibus, & damnis Adverſario illatis. Sex autem ſpecies fraudis damnantur in hac Decretali, quarum tres committuntur in impetrando. In impetrando triplex fraus committi poteſt. Primò litteras impetratas ſuo nomine, dando aliis ejuſdem nominis, vel illas recipiendo. Secundò impetrando litteras contra aliquem, contra quem nulla eſt controverſia. Tertio impetrando litteras ad futuras lites, actu non exiſtentes. In exequendo ſimiliter triplex poteſt eſſe fraus. Primò impetrando ſuper uno negotio plures litteras ad diverſos, & diſtantes Judices ad defatigandum Adverſarium. Secundò citando Adverſarium ad comparendum eodem tempore in diverſis locis. Tertiò citando Adverſarium indeterminatè, non individuando locum, aut utendo nomine æquivoco, ut tamquam contumax poſsit à Judice condemnari. Omnes hi non poſſunt gaudere commodo litterarum, & conſtito de fraude damnentur in expenſis; Fraus enim nulli patrocinatur. Videatur D. Thom. 2. 2. quæſt. 55. de Vitiis oppoſitis Prudentiæ, & præcipuè Art. 3. 4. & 5. ubi agit de aſtutia, fraude, & dolo, ex quibus elucidantur quæ in hoc Titulo continentur.

TITULUS IV.

De Conſuetudine in capita II. *diſtinctus*.

POſtquàm in primo Titulo actum eſt de ſumma Trinitate, & Fide Catholica tamquàm fundamento, ac baſi totius Juris Canonici, & deindè fuerit ſermo de Conſtitutionibus, & de legibus Eccleſiaſticis, tàm generalibus, quàm ſpecialibus, quæ Reſcripta dicuntur, nunc proponitur preſens Titulus de conſuetudine, quæ eſt quædem lex, ſed non ſcripta, & dividitur in II. capita, ut dictum eſt.

In primo, quod incipit. *Conſuetudines*. Ex Gregorio, ſtatuitur, quòd conſuetudines oneroſæ, & quæ valdè lædunt jura, & Privilegia Eccleſiarum, ſunt à Judice Eccleſiaſtico omninò removendæ, & radicitus extirpandæ: ad hoc enim ut ſit legitima conſuetudo, debet eſſe rationabilis, & non contra rationem, ut ſunt illæ conſuetudines, quæ introducuntur contra Privilegia Eccleſiarum, quæ potius Abuſus dici poſſunt quàm uſus, & Conſuetudines legitimæ.

In ſecundo quod incipit. *Ex litteris*. Ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd donationibus, quæ fiunt Eccleſiis, aut locis piis, introduci poteſt legitima conſuetudo, ut Poſſeſsio transferatur abſque reali traditione rei donatæ, ſed per alium actum manifeſtativum, & proteſtativum talis donationis, qui actus in jure Canonico nuncupatur *Scotatio*, quæ jure Conſuetudinis exprimit poſſeſsionem rei donatæ. Sed pro hujus Canonis Intelligentia Advertendum eſt, quòd *Scotatiō* antiquitus ſic fiebat; ſi enim

enim erat aliquis,qui in ſanitate cõſtitutus vellet aliquas Poſſeſsiones locis Piis conferre, accipiebat modicum terræ in Pallii extremitate,quod manu Prælati ſuſtinebatur,& ſuper Altare ponebatur;& hujuſmodi donatio vulgariter dicebatur *Scotatio*,& à Sacris Canonibus approbatur, etiàmſi nullum intervenerit teſtamentum.

In 3., quod incipit. *Ad noſtram audientiam*. Ex eodem, ſtatuitur, quòd non valet Conſuetudo, quòd in Cauſis Eccleſiaſticis dictum populi, prò ſententia habeatur; hujuſmodi enim uſus eſſet abuſus intolerabilis, cùm populus nullum Jus, ſivè authoritatem poſſit habere in decidendis cauſis ad Eccleſiam ſpectantibus, ut de ſe patet.

In 4.quod incipit.*Quanta de benignitate*. Ex eodem,ſtatuitur,quòd nulla Conſuetudo poteſt dare juriſdictionem Clerico,ſeu ſimplici Sacerdoti, ut exerceat ea, quæ ſunt propria Ordinis Epiſcopalis, ut Chriſma, vel Ordines conferre; Ad ea enim exercenda neceſſariò requiriturCharacter Epiſcopalis, aliàs invalidè fiunt.

In 5. quòd incipit. *Cum inter vos*. Ex eodem, ſtatuitur, Conſuetudinem illam non valere, per quam ſententia interdicti publicè violatur; Ex tali enim conſuetudine, ſive potius abuſu frangeretur nervus Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, quod tolerari non debet.Poteſt tamen concedi Privilegium aliquibus Eccleſiaſticis, ut tempore Interdicti celebrent in Eccleſia Divina Officia,ſed ſubmiſſa voce, Januis clauſis,& non pulſatis Campanis; ſed hoc ex Privilegio, non ex Conſuetudine.

In 6.quod incipit.*Cum olim*.Ex eodẽ, ſtatuitur, quòd in conſtituendis in aliqua Eccleſia Officiis novæ Dignitatis, debet obſervari conſuetudo vicinarum Civitatum, quæ ſi fuerint diverſæ, ſervanda erit Conſuetudo magis rationabilis, & aliis nullo modo præjudicans: non enim debet conſuetudo, ut ſit rationabilis, aliis præjudicium afferre, aliàs eſſet injuſta.

In 7., quòd incipit. *Cum Venerabilis*. Ex eodem, ſtatuitur, ut non poſſit Conſuetudine introduci, ut aliquis dignitatem, quam habet, poſſit dimittere abſque ſui Superioris licentia, nec poſſit electus adminiſtrare, antequam habeat confirmationem à Superiore; in utroque enim caſu requiritur neceſſariò aſſenſus Superioris, qui tolli non poteſt per conſuetudinem in contrarium.

In 8., quod incipit. *Cum dilectus Filius*. Ex eodem, ſtatuitur, quòd ex conſuetudine introduci poteſt, quòd una Eccleſia, licèt ſit de gremio alterius, poſſit, & debeat ſibi proprium Prælatum eligere abſque conſenſu illius Eccleſiæ, de cujus gremio eſt Eccleſia, in qua fit Electio. Conſuetudo enim habet vim interpretandi Jus commune, unde dicitur optima legum interpretratrix.

In 9., quod incipit. *Cum conſuetudinis*. Ex Honorio III. ſtatuitur, quòd Capitulum Canonicorum ſine ſuo Epiſcopo non poteſt ſtatuta facere, ſivè novas Conſuetudines introducere, vel antiquas immutare: hoc enim pendere debet ab aſſenſu Paſtoris.

In 10., quod incipit. *Ex parte veſtra*. Ex eodem, ſtatuitur, quòd illa conſuetudo non valet, per quam quis inducit ad peccandum, vel ad propria bona diſſipandum. Conſuetudo enim rationabilis non debet eſſe præjudicialis,nec animæ bonis, nec corporis.

In 11. quod incipit. *Cum tanto*. Ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd Conſuetudo non habet vim derogandi juri naturali, & divino, cujus tranſgreſſio, quâcumque conſuetudine in contrarium non obſtante, peccatum inducit. Nec etiam derogat Juri poſitivo, niſi conſuetudo ſit rationabilis, & præſcripta. Primum probatur, quia conſuetudo contrà jus naturale, aut divinum eſt potius corruptela, quàm conſuetudo, nec excuſat, imò aggravat peccatum. Secundum conſtat ex eo, quòd Conſuetudo, quæ non eſt rationi conformis, & legitimè præſcripta, non eſt conſuetudo, ſed abuſus; unde non poteſt derogare juri communi, & poſitivo. Sic D. Thom. 2. 2. quæſt. 57. art.3. ad prim. ubi ſic ait: *Lex naturalis, & Divina procedit à Voluntate Divina; Unde non poteſt mutari per conſuetudinem procedentem à Voluntate hominis,ſed ſolùm per Authoritatem Divinam mutari poſſet*, & Iſidorus: *uſus authoritati cedat, pravum uſum lex, & ratio vincat*.

TITULUS V.

De Poſtulatione Prælatorum in ſex Capita diſtinctus.

POſtquàm actum eſt de Jure non ſcripto, ſcilicet conſuetudine, agitur de iis, qui jura debent tueri; hi autem ſunt Prælati, & Miniſtri Eccleſiæ; unde de eorum aſſumptione ad Prælaturas eſt agendum; aſſumuntur autem tribus modis, vel per poſtulationem, vel per electionem, vel per translationem. In hoc titulo agitur de poſtulatione.

In primo capite, quod incipit *Ad hac in B. Petro* ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd qui Interdictum Apoſtolicum publicè publicatum non ſervat, nec eſt eligibilis, nec poſtulabilis ad dignitates; eſt enim indignus promoveri, imò eſt puniendus tamquam contumax, & inobediens; & talem eligentes, vel poſtulantes puniuntur privatione juris eligendi pro illa vice, diſpenſantur tamen à Papa, ut alium poſtulent, vel eligant.

In ſecundo, quod incipit *Gratum gerimus* ex eodem ſtatuitur, quòd ii, qui poſtulationem caſſatam vitio Perſonæ, ut in caſu præcedenti, innovant, ſunt eligendi, & poſtulandi poteſtate ipſo facto privati, & jus eligendi, vel poſtulandi, in eo caſu, ad alios licèt numero pauciores, qui non fuerunt in culpa, devolvitur; quia illi fuerunt culpabiles, iſti non: unde gaudent jure eligendi.

In 3., quod incipit *Bona memoria* ex eodem ſtatuitur, quòd poſtulatio non debet admitti, ſi ſit in præjudicium communis, vel majoris boni, nàm majus bonum, & univerſale debet præferri bono minori, & privato. Similiter non debet admitti poſtulatio, quæ non ſit à majori, quàm à tertia parte Collegii: eſt enim Poſtulatio inſufficiens, & ideò non admittenda.

In 4., quod incipit *Bona memoria 2.* ex eodem ſtatuitur, quòd Archiepiſcopus unius Eccleſiæ poteſt in Archiepiſcopum alterius Eccleſiæ poſtulari, & ex quo poſtulatio Papæ præſentata eſt, ſi orta fuerit lis, & controverſia pro validitate talis poſtulationis, expectandum eſt Papæ judicium deciſivum, nec interim qui poſtulationem fecerunt, poterunt aliquid innovare abſque Papæ conſenſu.

In 5., quod incipit *Poſtulationem* ex eodem, ſtatuitur, quòd Poſtulatus ex vi poſtulationis nullum jus acquirit, unde ſine præjudicio poteſt à Papa reiici; quia admiſſio poſtularionis pendet à gratia, non à juſtitia: ſecus in electione, quæ dat jus electo.

In 6., quod incipit *Et ſi unanimiter* ex Honorio III. ſtatuitur, quòd Epiſcopus unius Eccleſiæ non poteſt eligi in Epiſcopum, vel Archiepiſcopum alterius Eccleſiæ: benè tamen poſtulari, cum ſuæ jam ſit alligatus Eccleſiæ; unde non poteſt ſine conſenſu, & diſpenſatione Papæ ad aliam jus acquirere: poterit ergo poſtulari ab Electoribus, non eligi.

TITULUS VI.

De Electione, & electi Poteſtate in Capita ſexaginta diſtinctus.

POſtquam actum eſt de Poſtulatione Prælatorum, quæ eſt primus, ſed extraordinarius modus aſſumendi aliquem ad Prælaturam, agitur de electione, quæ eſt ſecundus modus, & magis ordinarius, per quem eligentes in eum canonicè conſentientes, & nominantes ad prædictam dignitatem actu vacantem, aſſumunt, & eligunt.

Agitur de hac materia in decreto Gratiani diſtinct. 60., & ſeqq., & cauſa 1. queſt. 6., & 8. quæſt. 1., & 3. per totum. In 6. Decretalium lib. 1. tit. 6. in Clementinis lib. 1. tit. 3. in Extravagant. lib. 1. tit. 1. de Electione. Igitur

In primo capite, quod incipit *Nullus* ex Lucio Papa, ſtatuitur, quòd Eccleſiæ Collegiatæ (quæ eſt illa, quæ habet ſaltèm duos, vel tres collegialitèr unitos, & ad talem Eccleſiam ſpectantes) non eſt providendum de Prælato per Collationem, ſed per Canonicam electionem faciendam per ipſum Collegium prædictæ Eccleſiæ. Quod enim omnes tangit, ab omnibus

bus debet approbari, vel ſaltèm à majori vel ſaniori parte.

In capite ſecundo, quod incipit *Oſius Epiſcopus* ex Concilio Sardicenſi, ſtatuitur, quòd electus, vel poſtulatus ad clamorem Populi, vel per litteras ſæcularium, non debet confirmari, quià præſumptio eſt contrà ipſum, quòd populum præmio corruperit, vel mercede.

In 3. quod incipit *Poſtquàm* ex Gregorio III. ſtatuitur, quòd electio Canonica debet à Superiore confirmari, ſi ei conſtiterit de vita, & moribus electi; unde debet prius diligentèr informari de idoneitate ipſius.

In 4. quod incipit *Significaſti* ex Paſchali Papa, ſtatuitur, quòd Apoſtolica Sedes nulli Archiepiſcopo electo Pallium concedere, vel mittere debet, niſi prius ab eo fuerit præſtitum fidelitatis, & obedientiæ ſpeciale juramentum, & hoc ad exemplum Chriſti, qui antequàm demandaret Petro curam ſuarũ Ovium, trinã proteſtationẽ ſui amoris ab eo exigere voluit, quò enim major eſt dignitas in Eccleſia, ac proinde periculoſior, eo major requiritur fidelitas, & obedientia ſupremo Capiti.

In 5. quod incipit *Quià diligentia tua* ex Alexandro III. Statuitur, quòd ſi Schiſmaticus ad unitatem Eccleſiæ reverſus fuerit, & in Epiſcopum electus; poterit quidem ex diſpenſatione Papæ confirmari talis electio, ſi ille electus, dum erat in Schiſmate, à Schiſmaticis non fuerit ſcientèr ad Ordines promotus; ſecùs autèm ſi ab eis fuerit Ordinatus; tunc enim non eſt diſpenſabilis.

In 6. quod incipit *Licet de vitanda* ex Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. Statuitur, quòd electio Romani Pontificis facta ſaltèm à duabus partibus ex tribus Cardinalium præſentium in Conclavi, nulla exceptione obſtante, rata, & Canonica eſt habenda. Electus autèm à minori numero gerens ſe prò Papa, unà cùm ſibi adhærentibus incidit in pœnã excommunicationis, ità ut nec etiàm in morte ei Communio danda eſt, niſi reſipiſcat.

In 7. quod incipit *Cum in cunctis* ex eodem, ſtatuitur, quòd eligendus in Epiſcopum debet eſſe dignus ſcientia, moribus, & ætate ad minus 30. annorum completorum, & de legitimo Matrimonio natus. Quòd ſi Electus aliqua habuerit Beneficia Eccleſiaſtica, illa vacant per adeptionem poſſeſſionis, & conſecrationem ſecutam. Eligendus autem ad dignitates, & officia citrà Epiſcopatum, & ad curam animarum, debet vigeſimum quintum annum ſaltem attigiſſe, & ſcientiâ, & moribus eſſe idoneus; & ſi uon eſt in ordine requiſito, debet in proximis temporibus promoveri; aliàs monitus, ſi non pareat, privandus eſt Beneficio, niſi ex cauſa legitima excuſetur. Si autem tales electiones, ſeu proviſiones fiant de Perſona indigna, & non ſecundùm formam hujus Decretalis, eligentes, vel taliter providentes remanent privati prò prima vice poteſtate eligendi, & providendi, & prò illa vice defectum Capituli ſupplet Epiſcopus, & è cõverſo, ſi Capitulum fuerit negligens, Collatio illa devolvitur ad Metropolitanum.

In 8. quod incipit *Cauſam* ex eodem, ſtatuitur, quòd Electores poſſunt providere ſuæ Eccleſiæ per compromiſſum, promittentes ratam habere electionem faciendam à Compromiſſarijs, quià ſemel factâ de Perſona idoneâ, tenentur compromittentes eam recipere, nec poſſunt reclamare.

In 9. quod incipit *Noſti quomodò* ex eodem, ſtatuitur, quòd Electus antequam ſit confirmatus, nullum jus habet conferendi Beneficia, vel res Eccleſiæ adminiſtrandi; quòd ſi fecerit, ex hoc ipſo repellitur.

In 10. quod incipit *Conſideravimus* ex eodem, ſtatuitur, quòd Electio facta ab aliquibus Electoribus, non expectatis alijs, qui de jure debebant intervenire Electioni, iiſque appellantibus, Electio confirmanda non eſt; nec eſt confirmanda ſecunda Electio, antequàm à Confirmatore prima caſſata fuerit.

In 11. quòd incipit *Suffraganeis* ex eodem, ſtatuitur, quòd Metropolitanus poſt electionem confirmatus, licet nondùm receperit à Papa Pallium, per quod confertur plenitudo officij Pontificalis, poteſt mandare ſuis ſuffraganeis, ut alium ſuum Suffraganeum conſecrent; hoc enim mandatum eſt actus Juriſdictionis, quæ per confirmationem confertur, non actus mi-

miniſterij Conſecrationis

In 12. quod incipit *Super eo* ex Clemente III. ſtatuitur quòd ſi contingat, electionem caſſari, non vitio Perſonæ, ſed electionis modo, poterit sic electus iterum eligi; talis enim caſſatio nullo modo præjudicat Perſonæ electæ, cùm ipſa non ſit in culpa.

In 13. quod incipit *Cum Monaſterium* ex Cœleſtino III. ſtatuitur, quòd ex aliqua bona cauſa poteſt non profeſſus poſtulari in Abbatem alicujus Monaſterii, & ab Epiſcopo, ſeù Sede Apoſtolica ex rationabili cauſa concedi poſtulantibus.

In 14. quod incipit. *Cum terra*, ex eodem ſtatuitur, quòd quælibet Electio Canonica debet eſſe in libertate eligentium, non obſtante qualibet Conſuetudine in contrarium: pendet enim electio ab arbitrio, & conſcientia, quæ violentari, nec debent, nec poſſunt.

In cap. 15. *Tranſmiſſum*. Ex eodem, ſtatuitur, quòd ex vi confirmationis electo non confertur electo poteſtas exercendi ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis: hæc enim confertur per conſecrationem ſed per confirmationem ei conferuntur ea, quæ ſunt Juriſdictionis.

In cap. 16. quod incipit. *Cum inter*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd ille, qui electioni de ſe factæ renunciat, nullo modo poteſt ſe ingerere ad impediendam electionem alterius. Similitèr ſtatuitur, quòd electio celebrata ab Electoribus ſuſpenſis eſt nulla.

In 17. quod incipit. *Quilibet*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd electio caſſanda eſt, ſi electus non habet ſufficientem ſcientiam, vel ſi adminiſtrare cæperit antè confirmationem. Nullus enim debet ex ſe accipere honorem, ſed qui eſt vocatus à Deo tamquam Aaron.

In 18. quod incipit. *Cum inter*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi fortè vocentur ad electionem non legitimè vocandi, electio facta valet, eis non expectatis: non enim illi poſſunt præjudicare electioni, quæ ad ipſos non ſpectat.

In cap. 19. quod incipit. *Cum nobis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd pertinet ad confirmatorem inſpicere, an appellatio facta poſt electionem fuerit contra ipſum electum, vel contrà modum electionis. Item quòd, ſi vocandi ad electionem fuerint legitimè intimati, vel expectati, & non venerint, & contempſerint venire, jus eligendi ſpectabit ad eos, qui ſunt præſentes. Item quòd ſpectat ad officium confirmatoris inveſtigare de ætate, & qualitatibus Electi, etiam nemine opponente; quòd ſi illi hæc non conſtent, nec conſtare poſſint, debet haberi prò non legitimè electo.

In cap. 20. quòd incipit. *Innotuit*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Illegitimus poteſt quidèm poſtulari ab Electoribus, non autem eligi: quòd ſi ipſum elegerint, niſi probaverint hoc ignoranter feciſſe, non ſolùm privantur jure eligendi, ſed incidunt in pœnas taxatas à Lateranenſi Concilio 7. Excommunicationis &c.

In capite 21. quod incipit *Cum inter* ex eodem, ſtatuitur, quòd ſtante electione jàm facta, & ipſo electo conſentiente, vel volente conſentire, non poſſunt Electores in præjudicium illius compromittere, ut ſequatur nova electio, quàmvis contra electum ſit appellatum, niſi priùs conſtet de inhabilitate Electi: quòd enim ſit de aliena Eccleſia, non ſufficit.

In 22. quod incipit *Dudùm* ex eodem ſtatuitur, quòd qui eſt electus à majori, & ſaniori parte Capituli eſt confirmandus, ſi aliàs tempore electionis, electus erat dignus, & habilis tum in ætate, moribus, & ſcientia: Si autèm fuerit indignus, & inhabilis, reijcietur; & confirmabitur, qui à minori parte fuerit electus, ſi aliàs ſit dignus.

In 23. quod incipit *Bonæ memoriæ* ex eodem, ſtatuitur, quòd Electores, vel Poſtulatores recipientes Poſtulatum ad adminiſtrationem Eccleſiæ, ſive temporalem, ſive ſpiritualem, antequàm talis Poſtulatus fuerit à Superiore admiſſus, privati ſunt poteſtate eligendi, & ipſe Poſtulatus sìc adminiſtrans eſt reijciendus: In quo caſu Jus eligendi devolvitur ad alios, licèt pauciores; quòd ſi omnes eum admiſerint, omnes ſunt privati, & Jus eligendi devolvitur ad Papam, quià iſte dicitur intruſus, non poſtulatus.

In 24. quod incipit *Querelam* ex eodem, ſtatuitur, quòd ad hoc ut ſit valida,

da, & legitima electio, ſufficit, quòd Elector oſtendat, ſe eſſe in pacifica poſſeſſione, vel quaſi poſſeſſione eligendi tempore quo eligit, nèc cogendus eſt ad oſtendendum Jus proprietatis: quià pacifica poſſeſſio diuturna dat illi ſufficiens Jus eligendi; unde taliter electus debet confirmari.

In 25. quod Incipit *Cùm VVuintonien. Eccleſia* ex eodem, ſtatuitur, quòd Electores ſcienter indignum eligentes ſunt prima vice de Jure privati poteſtate eligendi; poſſunt tamen per Superiorem rehabilitari; quòd ſi non rehabilitentur, electio devolvitur ad Superiorem, ſi omnes eligentes fuerint in culpa; ſi non omnes, ſed major pars, electio pertinebit ad partem minorem, quæ non fuit culpabilis.

In 26. quod incipit *Per Inquiſitionem* ex eodem, ſtatuitur, quòd eligentes ſcienter indignum in Epiſcopum, ſunt ipſo jure ſuſpenſi à beneficijs Eccleſiæ per triennium, nec poſſunt interìm ad dignitatem aliquam eligi, vel aſſumi.

In 27., quod incipit: *Cum cauſam*, ex eodem, ſtatuitur, quòd non poteſt eligi in Prælatum, ſeu Superiorem alicujus Eccleſiæ Regularis, qui profeſſus non eſt eamdem Regulam, quacumque conſuetudine non obſtante; debet enim Caput convenire cum membris. Hoc tamen fieri poteſt ex ſpeciali Papę diſpenſatione propter neceſſitatem, vel maximam illius Eccleſiæ utilitatem, ut ſuprà dictum eſt, per poſtulationem.

In 28., quod incipit· *Quod ſicut* ex eodem, ſtatuitur, quòd nominatio, vel appellatio ejus, cujus non intereſt, impedire non poteſt electionem, nec eam invalidare: ſecùs dicendum de eo, qui habet jus ad eligendum, & contemnitur, ſi appellet contra electionem, & conſtiterit de contemptu; tunc enim caſſanda erit electio, niſi ipſe appellationi renunciet, & electioni jàm factæ conſentiat.

In 29., quod incipit *Auditis* ex eodem, ſtatuitur, quòd electio, quæ fit à minori parte Capituli non tenet, etiamſi fortè accederet aliorum conſenſus privatus· id enim, quod de jure à principio non ſubſiſtit, per conſequentem conſenſum ratificari non poteſt; ſed in tali caſu deberet nova fieri electio.

In 30., quod incipit *In cauſis* ex eodem, ſtatuitur, quòd poteſtas conceſſa ab Electoribus compromiſſariis ad eligendum Prælatum revocari non poteſt re non integra: tunc autem res dicitur non integra, cum Compromiſſarii cæperunt habere tractatum.

In 31., quod incipit *Cum Eccleſia* ex eodem, ſtatuitur, quòd in Eccleſiis Cathedralibus circa electionem Canonicorum legitima conſuetudo ſervari debet; licèt enim de jure communi Canonicorum electio ſpectet ad Capitulum, & Epiſcopum, poſſunt tamen Canonici ex conſuetudine præſcribere hoc jus contra Epiſcopum; tunc enim nullam injuriam ei faciunt, ſi utantur jure ſuo, ut in præſenti caſu.

In cap. 32., quod incipit *Cum Dilectus* ex eodem, ſtatuitur, quòd compromittentes tenentur recipere electum à compromiſſariis, ſi aliàs ſit dignus, & niſi contra formam compromiſſi eum appareat electum: ſecùs autem, ſi vel indignum elegerint, vel ſi formam compromiſſi compromiſſarii non ſervaverint: tunc enim compromittentes non tenentur electum à compromiſſariis recipere.

In cap. 33., quod incipit *Cum in jure* ex eodem, ſtatuitur, quòd Perſona electa per conſenſum, quem dat ſuæ electioni, auget numerum, taliter quòd ſi ſint ſeptem compromiſſarii, in quos compromittentes tranſtulerunt jus eligendi ſub hac forma; *ut aliquem eligerent, vel de ipſis, vel de aliis, de gremio tamen illius Eccleſiæ, dummodo electus fuerit à majori parte eorum*; ſi eligetur à tribus aliquis eorum, & ab aliis tribus alter non ex ipſis, ſed de gremio Eccleſiæ, prima electio ſubſiſtet, ſi electus ſuæ electioni conſentit; videtur enim per ſuum conſenſum augere numerum eligentium.

In cap. 34., quod incipit *Venerabilem* ex eodem, ſtatuitur, quòd electio Imperatoris de jure communi ſpectat ad Principes Germaniæ, quorum tres ſunt Eccleſiaſtici, & quatuor Laici, & quòd electio facta à majori parte eorum, ſi nullus fuerit contemptus, tenet; ad Papam autèm pertinet electum confirmare, inungere, coronare, & conſecrare, ſi eſt dignus,

gnus, vel reiicere, ſi eſt indignus; tunc autem dicetur indignus, ſi eſt excommunicatus, Tyrannus, fatuus, hæreticus, Paganus, perjurus, vel Eccleſiæ perſecutor, in quo caſu àPapa non eſt confirmandus. Si autem Electores nolint eligere, tunc Papa poteſt ſupplere; ſicut etiam Papa poteſt ſupplere, ſi data paritate vocum, duos eligant in diſcordia, & hac poſita uni earum partium gratificari, & ratione talis gratificationis ille erit Imperator.

In cap. 35., quod incipit. *Coram.* èx eodem ſtatuitur, quòd ſunt vocandi ad electionem etiam abſentes, ſi ſint intrà Provinciam, electio autèm debet confirmari, ſi ſit à maiori,& ſaniori parte; reijci autèm ſi ſit à minori.

In 36., quod incipit. *Bona memoria.* ex eodem ſtatuitur, quòd ſi electio facta fuerit à maiori parte, contemptâ minori, ſcilicet non vocatâ, aùt non expectatâ, caſſanda eſt talis electio, etiamſi unùs tantum legitimorum Vocalium fuerit contemptus, & reclamaverit pèr appellationem: non tamen in tali caſu electio devoluitur àd minorem partem, ſèd iterùm debet fieri àb omnibus vocalibus.

In 37.,quod incipit. *Cùm àd noſtram.* èx eodem, ſtatuitur, quòd nullus debet ſimul fieri Monachus,& Abbas: nàm ſecundùm Canonicas traditiones priùs quis debet monâchari, quàm Abbas fieri; unde ſi quis nonMonachus eligetur inAbbatem, electio non valet: nèc valet ſi quis ſimul fiat Monachus, ut eligatur in Abbatem;

In 38., quod incipit. *Offitij tui.* ex eodem ſtatuitur, quòd nullus eſt eligendus in Abbatem, niſi priùs ſit inſtructus, & exercitatus in Regula monachali: nàm aliàs quis priùs eſſet magiſter, quàm diſcipulus.

In 39. quod incipit.*Illa quotidiana*, ſtatuitur, quòd ligatus minori excommunicatione, etiàm ſi communicaverit cum Excommunicato vitando, poteſt canonicè eligere, quià excommunicatio minor non tollit jus eligendi, ſicùt excommunicatio maior, ſed ſolùm privat uſu paſſivo Sacramentorum.

In 40., quod incipit. *Scripum eſt.* èx eodem, ſtatuitur, quòd ſi ſimul fiat electio unius, & poſtulatio alterius: ſi numerus poſtulantium ſit duplo maior, quâm eligentium, & aliàs poſtulatus ſit dignus, debet admitti poſtulatio, reiecta electione: Si autèm poſtulatus ſit indignus. & hoc maior pars poſtulantium ignoraverit, tùnc poſtulatio, & electio reprobantur: Si autèm poſtulati indignitatem ſciebant, & electus eſt dignus, tùnc debet confirmari electio, quià poſtulantes eò quod poſtulaverint ſcientèr indignum, voce privantur. Similitèr confirmatur electio, ſi votum poſtulantium non ſit duplo maius.

In 41., quod incipit. *Nè prò defectu*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi electores, ad quos ſpectat electioCathedralis,vèlRegularis Eccleſiæ intrà tres menſes negligant eligere ſuum Prælatum, electio, & inſtitutio devoluetur àd proximum Superiorem talium electorum: quòd ſi ipſe etiàm intrà tres alios menſes non providerit canonicè eſt puniendus.

In cap. 42., quod incipit. *Quia proptèr*, ex eodem, ſtatuitur, quòd triplex eſt modus, ſivè forma procedendi àd electionem in Eccleſiis Cathedralibus, ſcilicet, vèl pèr Scrutinium, vèl pèr Compromiſſum, vèl per communem inſpirationem: alitèr facta electio non valet, & contrafacientes privandi ſunt ea vice poteſtate eligendi.

In 43., quod incipit. *Quis quis.* ex eodem ſtatuitur, quòd ſi electio contingat fieri per abuſum Poteſtatis Sæcularis, talis electus, ſi ſuæ electioni conſentiat, evadit ineligibilis ad dignitates, & electio ipſo iure eſt nulla: eligentes autèm remanent ſuſpenſi pèr triennium à ſuis Beneficijs, & tunc privati poteſtate eligendi.

In cap. 44. quod incipit. *Nihil eſt.* ex eodem, ſtatuitur quòd ſi Prælatus negligentèr ſe geſſit, & confirmaverit indignum electum àd regimen animarum, talis confirmatio non tenet; & ipſe talitèr confirmans amittit poteſtatem confirmandi primum Succeſſorem in tali regimine, & remanet ſuſpenſus à proprio beneficio. Si verò Confirmator hoc fecerit malitioſè,& ſcientèr, graviùs eſt puniendus; electi verò immediatè ſubiecti Papæ debent adire Sedem Apoſtolicam pro confirmatione: Si verò ſint electi in concordia, & valdè re-

remoti, ſcilicet extra Italiam, interim poterunt adminiſtrare, cum hoc tamen quòd nihil alienent de rebus Eccleſiæ: Benedicentur autem, & conſecrabuntur juxtà conſuetudinem locorum.

In cap. 45. quod incipit *Vt præterita* ex Honorio 3. ſtatuitur, quòd expenſæ neceſſariæ, quæ fiunt à Capitulo Canonicorum occaſione electionis Prælati, debent fieri, vel reſtitui de bonis ipſius Prælaturæ, ſi aliàs Canonici, vèl Capitulum non occupent Bona Epiſcopi prædefuncti: tùnc enim ex ipſis faciendæ eſſent expenſæ prò electione Succeſſoris.

In cap. 46. quod incipit *Cum poſt*, ex eodem ſtatuitur, quòd Ordo ſervandus eſt in electione: ut 1. conveniant Electores, deinde eligantur ſerutatores, qui ſigillatim & ſecretò vota omnium diligentèr in ſcriptis recipiant; deindè facta collatione numeri ad numerum, videant, ſi ſecuta eſt electio à maiori parte facta, quæ ſtatim publicanda eſt,& abſque intervallo; ſi enim hoc fiat medio intervallo temporis, vèl ſi antè electionem eligendus, præſtet conſenſum ſuæ electioni, talis electio non eſt confirmanda: 1: quià non eſt ſervatus Ordo 2. quià eligendus præſtando conſenſum antè electionem, preſumitur ambitioſus, àc proinde indignus; poſt electionem autem poteſt conſentire, & diſſentire abſquè nota ambitionis.

In cap. 47. quod incipit *Conſtitutis*. ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Abbas unius Monaſterij ſit factus Abbas alterius Monaſterij, vocem non habet in electione Abbatis prioris Monaſterij, quâcumq. conſuetudine in contrarium non obſtante; ex eo enim quòd ſit factus Abbas alterius Monaſterij, non amplius ſpectat ad primum, ſed àd 2. in quo eſt Abbas.

In cap. 48., quòd incipit. *Eccleſia veſtra*. ex eodem ſtatuitur, quòd electio debet eſſe èx maiori parte eligentium, & non ſufficit, quòd ſit maior numerus, ſi non excedat medietatem eligentium.

In cap. 49., quod incipit *Cùm in Magiſtrum*. Ex Gregorio IX. ſtatuitur quòd adhuc non profeſſi in monachali obſervantia, in Abbates eligi non poſſunt: non enim ſunt præferendi ad Prælaturas, qui adhùc ſubeſſe non noverunt.

In cap. 50., quod incipit. *Cumana Eccleſia*, ex eodem, ſtatuitur, quòd electio facta à non maiori parte Capituli, & omiſſa collatione numeri àd numerum, non eſt confirmanda, cùm ſit nulla, & inſufficiens.

In cap. 51., quod incipit *Sacroſancta* ex eodem ſtatuitur, quòd in Eccleſijs Collegiatis jus eligendi Superiorem, nullo pacto poteſt competere Laico, etiàm Patrono, quamvis facta fuerit compoſitio cùm Prælato, & Capitulo; talis enim compoſitio, ſivè tranſactio nulla eſt, utpotè in præjudicium Juris Eccleſiaſtici.

In cap. 52. quod incipit. *Cùm in veteri lege*, ex eodem ſtatuitur, quòd in electione, in qua eſt mandatum Papæ, quòd electores non eligant, niſi cùm conſilio aliquorum, aliòquin Conſiliarij provideant, in tali caſu Electores tenentur conſilium requirere,& illud expectare congruo tempore, aliàs electio non tenet.

In cap. 53. quod incipit. *Congregato*. ex eodem ſtatuitur, quòd ſi maior pars Capituli ſcienter elegerit indignum,& minor pars elegerit dignum, valet electio minoris partis etiam facta in eodem ſerutinio, quià maior pars in tali caſu eſt privata voce proptèr electionem ſcientèr factam de indigno.

In cap. 54. quod incipit *Dudùm*. ex eodem ſtatuitur, quòd qui habet plures Dignitates, vèl Beneficia curata, non poteſt abſq. Papæ diſpenſatione eligi, & ſi eligatur, caſſanda eſt electio.

In cap. 55. quod incipit. *In Geneſi*: ex eodem ſtatuitur, quòd nulla eſt electio, quæ non eſt communis, ſcilicet omnibus Electoribus vocatis, & expectatis. 2. ſi facta non ſit à maiori parte Capituli. 3. ſi antè publicationem electionis non ſit facta collatio numeri ad numerum; hæc enim tria ſunt de ſubſtantia electionis Canonicæ.

In Cap. 56. quod incipit *Maſſana*. ex eodem, ſtatuitur, quòd nullatenùs ſubſiſtit Electio Epiſcopi pèr Canonicos, & laicos facta, quâcumq. conſuetudine non obſtante: nàm laicus nullo modo poteſt præſcribere jus in Electione Eccleſiaſticâ Prælati.

In cap. 57. quod incipit *Eccleſia veſtra* ex eodem ſtatuitur, quòd ad confirma-

torem ſpectat examinare,non ſolùm, quòd electio facta fuerit à maiori parte Capituli, ſed etiam ad ipſum ſpectat videre, quòd illa pars fuerit ſanior; nàm poteſt evenire, quòd pars minor ſit ſanior, utpotè maiori zelo prædicta, moribus, & ſcientia eminens, melioremq;, & digniorem elegerint; maior autèm pars,licèt excedens numero, in his tamen qualitatibus deficiens; undè in tali caſu electus à minori parte eſt præferendus.

In cap. 58. quod incipit *Publicato*. ex eodem ſtatuitur, quòd publicato ſcrutinio, Electores non poſſunt variare, ſed à Superiori debent compelli ad collationem, & electionem.

In cap. 59. quod incipit. *Si alicuius*. ex eodem ſtatuitur, quòd caſſatâ electione proptèr vitium Simoniæ, etiàm ſinè culpa Electi, Epiſcopus non habet facultatem diſpenſandi câ vice cum caſſato. Secùs autèm ſi Electus liberè renũciaverit tali electioni: tunc enim poterit ab Epiſcopo diſpenſari, ut iterùm poſſit canonicè eligi.

In cap. 60. quod incipit. *His quibus*. ex eodem ſtatuitur, quòd illud Axioma legale, quòd impedito non currit tempus, debet intelligi de impedimento,quod tolli non poteſt: nàm ſi Electores aliàs impediti poſſunt tollere impedimentum, quod aliàs illis obſtat, impediti non cenſentur, undè eorum excuſatio non cenſetur ſufficiens. Videatur D. Thomas 2. 2. q. 63. de acceptione perſonarum, ubi fusè hanc materiam de electione, & electi qualitatibus pertractat per quatuor Articulos, & præcipuè Art. 2. ad 3.ubi ait *Dicendum, quòd quantum ad hoc, quòd electio impugnari non poſſit in foro judiciali, ſufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem, quia ſic omnis electio poſſet habere calumniam, ſed quantùm ad conſcientiam eligentis, neceſſè eſt eligere meliorem, vel ſimpliciter, vel in comparatione ad bonum commune*, legatur per totum Articulum.

TITULUS VII.

De Tranſlatione Epiſcopi in quatuor Cap. diſtinctus.

POſtquàm de Poſtulatione, & Electione actum eſt, ſequitur agendum de Translatione, quæ eſt tertius modus providendi Eccleſijs viduatis, cum ſcilicet transfertur Epiſcopus unius Eccleſiæ àd aliam. De hac materia tractatur in Decreto cauſa 7. quæſt. 1. per totum.

In cap. 1. quod incipit *Cùm ex illo*. Ex Innocentio 3. ſtatuitur quòd nulli,nèc etiam Patriarchæ licitum eſt transferre Epiſcopum, vel Archiepiſcopum unius Eccleſiæ ad aliam Eccleſiam abſq. licentia Papæ, etiamſi talis Archiepiſcopus, vel Epiſcopus ſit ſolùm confirmatus, & non conſecratus: nàm per confirmationem contrahitur coniugium ſpirituale intèr ipſum, & ſuam Eccleſiam: ſicut ergo in coniugio carnali,quos Deus coniunxit,homo non poteſt ſeparare, ſed ſolus Deus; ità in coniugio ſpirituali, ſolus Papa poteſt, tamquam Chriſti Vicarius, diſpenſare cum Epiſcopo, ut ab una àd aliam tranſeat Eccleſiam.

In cap. 2. quod incipit. *Inter corporalia*. ex eodem ſtatuitur, quòd licèt Archiepiſcopus poſsit Epiſcopos conſecrare, eos tamèn damnare non poteſt, ſcilicet à proprijs ſedibus expellere, eoſque privare, vel eos ab una ad aliam Eccleſiam trãsferre proptèr ſpirituale coniugium in quo ſolus Papa, tanquàm Chriſti Vicarius, poteſt diſpenſare, ut dictum eſt.

In cap. 3., quod incipit. *Quanto*.ex eodem, ſtatuitur, quòd Epiſcopus, qui abſque aſſenſu Sedis Apoſtolicæ, ſed propria authoritate relinquendo propriam Eccleſiam ad aliam ſe transfert, eſt utrâque privandus. 1., quià eam per ſuperbiam ſprevit, & improbè dereliquit 2. quià abſque legitima authoritate, & per avaritiam eam occupavit.

In cap. 4., quod incipit. *Licet in tantùm* ex eodem, ſtatuitur, quòd licentia Papæ, quæ conceditur alicui Epiſcopo, ut poſſit ad aliam Eccleſiam tranſire, intelligi

de-

debet ad literam, & ſtrictò modo, quià derogat juri communi, & ſpirituali coniugio intèr ipſum, & ſuam Eccleſiam, quod in Electione initiatum, in confirmatione ratum, & in conſecratione intelligitur conſummatum. Vndè ſi Papa conceſſerit hanc licentiam ſub hac forma, ſcilicet: *Quòd ſi àd maiorem forſitàn vocaberis dignitatem, eam tibi liceat aſſumere, niſi tamèn nihil tibi de Statutis Canonicis obſiſtat.* Hæc conceſſio eſt interpretanda in ſenſu rigoroſo, & àd literam; itàut non liceat præd. Epiſcopo ex vi talis conceſſionis tranſire de ſua Eccleſia ad aliam, eiuſdem dignitatis, ſed tantùm ad aliam maioris dignitatis.

TITULUS VIII.

De Authoritate, & uſu Pallij in ſeptem cap. diſtinctus.

POſtquàm viſum eſt de Poſtulatione, Electione, & Translatione, quæ ſunt modi aſſumendi aliquem ad Prælaturam: modò de ipſis poſtulatis, & electis, aut tranſlatis eſt agendum, ſcilicèt de Prœlatis aſſumptis, & 1. de his, qui aſſumuntur àd eas Eccleſias, quæ habent dignitatem Pallij, ut ſunt Patriarchales, & Metropolitanæ.

Agitur de hac materia in Decreto Gratiani diſt. 100. pèr totum, & Causâ 25. queſt. 2.

In 1. Cap. quod incipit. *Cùm ſupèr.* ex Clemente 3. ſtatuitur, quòd quilibet Archiepiſcopus poteſt uti pallio, non ſolùm in ſua Eccleſia Cathedrali, ſèd in qualibet Eccleſia ſuæ Provinciæ, sèd non in Eccleſijs extrà ſuam Provinciam: uti enim Pallio ſpectat àd Juriſdictionem, quam exercere nequit Archiepiſcopus extrà ſuam Provinciam.

In 2. cap., quod incipit *Ad hoc* ex Cæleſtino 3. ſtatuitur, quòd Pallium tranſmiſſum à Sede Apoſtolica alicui Archiepiſcopo talitèr eſt Perſonale, ut illud alteri Archiepiſcopo accommodari non poſſit, ſèd tantùm debet àb eo, cui mittitur deferri, & cùm eo ſepeliri.

In 3. cap. quod incipit. *Niſi ſpecialis.* ex Innocentio 3. ſtatuitur, quòd pèr pallium, quod conceditur à Papa alicui, ei confertur plenitudo Officij Pontificalis in ſua Provincia, & nomen Archiepiſcopi.

In cap. 4. quod incipit. *Ad honorem* èx eodem, ſtatuitur, quòd Romanus Pontifex tamquam Caput Eccleſiæ poteſt uti Pallio ſempèr, & ubiquè, quià Papa aſſumptus eſt in ſupremam, & omnimodam plenitudinem Eccleſiaſticæ Poteſtatis; alij verò, ſcilicet Patriarchæ, & Archiepiſcopi non ſempèr, nec ubiquè, ſed ſolùm in ſua Provincia eo uti poſſunt, quià non in omnem plenitudinem poteſtatis, ſed in partem ſollicitudinis ſunt aſſumpti. Dies autèm in quibus Archiepiſcopi uti poſſunt Pallio in Miſſarum Solemniis, ſunt Nativitas Domini, Feſtivitas S. Ioannis Evangeliſtæ, & S. Stephani, Circumciſionis, Epiphaniæ, in Ramis Palmarum, in Cæna Domini, in Sabb. Sancto, tribus diebus Reſurrectionis, Pentecoſtes, in Feſtivitate S. Ioann. Baptiſtæ, & omnium Apoſtolorum, in omnibus Feſtivitatibus B. Mariæ, in Feſto omnium Sanctorum, in Dedicatione Eccleſiarum, in principalibus Feſtivitatibus ſuarum Eccleſiarum, in Ordinationibus Clericorum, & in Conſecrationibus Epiſcoporum, & in die Anniverſario ſuæ Conſecrationis.

In cap. 5. quod incipit. *Ex tuarum* ex eodem, ſtatuitur, quòd nullus Archiepiſcopus extrà ſuam Provinciam poteſt uti Pallio, quàcumque conſuetudine non obſtante, proptèr rationem ſuperiùs dictam.

In cap. 6. quod incipit. *Cùm ſit.* ex eodem, ſtatuitur, quòd in diebus deſignatis, Archiepiſcopus celebrans ſolemnitèr in Eccleſijs ſuæ Provinciæ, uti debet, & poteſt Pallio.

In cap. 7. quod incipit. *Quid nos.* ex Honorio 3., ſtatuitur, quòd Archiepiſcopus non ſempèr; quandò celebrat uti debet Pallio, ſèd ſolùm quando celebrat in ſua Provincia, & in illis diebus iàm deſignatis. An autèm quandò ſolemnitèr celebrat prò Defunctis poſſit uti Pallio, reſpondet Summus Pontifex; quòd ſi hoc habet ex ſpeciali Privilegio, poteſt, ſecùs autem non. Videatur D. Thom. in 4. diſt. 24. qu. 2. Art. 3. in corpore, ubi ſic ait: *Epiſcopi addunt novem ornamenta ſuper Sa-*

cerdotes quæ ſunt caligæ ſandalia, ſuccinctorium, tunica, Dalmatica, Mitra, Chirotheca, anulus, baculus; quia novem ſunt, quæ ſupra Sacerdotem poſſunt, ſcilicet Clericos ordinare, Virgines benedicere, Baſilicas dedicare, clericos deponere, ſynodos celebrare, chriſma conficere, Veſtes, & Vaſa conſecrare &c. ſed ulterius Archiepiſcopi habent Pallium in ſignum Privilegiatæ poteſtatis, ſignificat enim torquem auream, quam ſolebant legitime certantes accipere. & in Solut. ad 7. ait, *quòd quàmvis Archiepiſcopus non habeat alterius generis poteſtatem, tamen eandem habet ampliorem, & ideo ad hanc perfectionem deſignandam Sibi Pallium datur, quo undique circumdatur.* legatur per totum Articulum.

TITULUS IX.

De Renunciatione in XV. Cap. diſtinctus.

QUià dignitates Eccleſiæ, quæ pèr Poſtulationem, vèl Electionem, aùt Tranſlationem acquiruntur, quandoq. per ſpontaneam Renunciationem amittuntur; ideo poſt tales modos aſſumendi àd dignitates Eccleſiaſticas, aliqua de earum Renunciatione dicenda ſunt.

Agitur de hac materia in Decreto Gratiani cauſa 7. quæſt. 1., & 2., & cauſa 17. quæſt. 1., & cauſa 21. quæſt. 2. in 6. Decretalium lib. 1. tit. 7., & in Clementinis lib. 1. tit. 4.

In 1. cap., quod incipit *Literas tuas* ex Alexandro III., ſtatuitur, quòd non cuicumque Epiſcopo petenti facultatem renunciandi ob ſenectutem, concedenda eſt, ſi aliàs neceſſarius, & utilis eſt ſuæ Eccleſiæ; quia indecens eſt priùs ſolvere militiæ cingulum, quàm cedat Victoribus adverſitas præliorum: ſecùs autem ſi talis Senex, redditus ſit prorsùs ineptus.

In 2. cap., quod incipit *Cum inter* ex eodem ſtatuitur, quòd qui renunciaverit Beneficium, etiam cum juramento, illud iterum non petendi, ſi iterum ad illud canonicè eligatur, poterit illud licitè, & pacificè obtinere, quia nec Renunciatio ſemel facta, etiam cum juramento, non repetendi tale Beneficium, poteſt præjudicare Electoribus, ut eumdem iterum non eligant; juramentum enim non obligat niſi de facto proprio, non alieno.

In 3. cap., quod incipit *Ex tranſmiſſa* ex eodem, ſtatuitur, quòd qui Beneficium ſuum ſemel renunciaverit, illud iterum repetere non poteſt; quia actio ſemel extincta non reviviſcit.

In 4. cap., quod incipit *Admonet* ex eodem, ſtatuitur, quòd nullus Beneficiatus poteſt dimittere, ſeu renunciare Beneficium, quod habet, ſine licentia, ſeu aſſenſu ſui Prælati; ſicut enim ſine authoritate ſui Prælati Beneficium non poteſt obtinere, ità ſine ejus authoritate non poteſt dimittere: nam per eaſdem cauſas, per quas res naſcitur, per eaſdem diſſolvitur.

In 5. cap., quod incipit *Super hoc* ex Clemente III., ſtatuitur, quòd Beneficiatus, qui ſuo renunciavit Beneficio non ſpontè, ſed vi, & metu, poteſt illud Beneficium repetere, ſi hanc exceptionem evidentèr probaverit per idoneos Teſtes; aliàs præſumitur ſpontè renunciaſſe, quia unuſquiſque renunciare poteſt juri ſuo.

In 6. cap., quod incipit *In præſentia* ex eodem, ſtatuitur, quòd qui ſpontè renunciaverit electioni de ſe factæ, ſi mutatâ voluntate reclamet, ſuper ipsâ ulteriùs audiri non debet: quia quod ſemel placuit, ampliùs diſplicere non poteſt.

In 7. cap., quod incipit *Sanè* ex Cæleſtino III., ſtatuitur, quòd qui renunciaverit literis Beneficialibus mediante dolo eorum, qui talem renunciationem procurarunt, non ideò cenſendus eſt renunciaſſe inſtitutioni Beneficii factę in favorem ipſius; renunciatio enim illa non ſpontanea videtur, ſed dolosè obtenta. Dolus autem nulli patrocinatur.

In 8. cap., quod incipit *Quod in dubiis* ex Innocentio III., ſtatuitur, quòd renunciatio Beneficii facta in manibus Laici non ſubſiſtit; cum Laicus ſicut non habet facultatem canonicè inſtituendi, ità non habet facultatem canonicè deſtituendi. Talitèr tamen renuncians eſt omninò tali Beneficio privandus, quia per talem illicitam renunciationem ſe fecit indignum.

In 9. cap., quod incipit *Ad ſupplicationem* ex eodem, ſtatuitur, quòd Papa po-

poteſt concedere facultatem renunciandi illi Epiſcopo, qui ſine mortis periculo in Eccleſia ſua, ſeu Diœceſi morari non poteſt. Admiſsâ tamen renunciatione, videndum eſt, ut talis Epiſcopus alibì provideatur, nè mendicare cogatur in dedecus Eccleſiaſticæ Dignitatis.

In 10. cap., quod incipit *Niſi cum*, ſtatuitur, ex eodem, quòd ſex ſunt cauſæ, propter quas Epiſcopi poſſunt petere, & Papa ſolet concedere facultatem renunciandi, quæ cauſæ his verbis comprehenduntur.

Debilis, ignarus, malè conſcius, irregularis,
Quem mala Plebs odit, dans ſcandala cedere poſſit.

In 11. cap., quod incipit *Poſt tranſlationem* ex eodem, ſtatuitur, quòd Epiſcopus, qui proptèr aliquod grave crimen renunciavit Epiſcopatui, & ad Religionem tranſivit, non poteſt iterum epiſcopare: ſecùs ſi renunciaſſet proptèr perſecutionem, infirmitatem, defectum ſcientiæ, ſimoniam, ipſo ignorante, commiſſam, vel aliam ſimilem cauſam non criminoſam, cum in his non ſit indignitas Perſonæ, ſicut in primâ causâ, cum ſcilicet Epiſcopus eſt publicè criminoſus: nam ſemel malus in eo genere ſemper præſumitur malus.

In 12. cap., quod incipit *Quidam cedendi* ex eodem ſtatuitur, quòd Epiſcopus, qui ſemel cedendi licentiam petiit à Papa, ex quo ipſam obtinuit, cedere eſt compellendus: nam quod ſemel placuit, ampliùs diſplicere non poteſt.

In 13. cap., quod incipit *Veniens* ex Honorio III., ſtatuitur, quòd qui obtinuit literas beneficiales à Papa ſuper aliquo Beneficio litigioſo, non per hoc cenſendus eſt renunciare juri ſuo, ſi gratiæ Adverſarii ſe ſubmittit, quia non poteſt ſibi præjudicare, niſi expreſsè renunciet literis impetratis: quod enim in gratiam ſit alicujus, non debet eſſe contra juſtitiam.

In cap. 14., quod incipit *Lectæ* ex eodem ſtatuitur, quòd etſi Prælatus abſolvat Subditos ab obedientia, non per hoc cenſetur ſuæ Prælaturæ renunciaſſe, quia talis modus abſolvendi Subditos ab obedientia non eſt forma renunciandi Prælaturæ.

In 15. cap., quod incipit *Dilecti Filij* ex Gregorio IX., ſtatuitur, quòd Abbas exemptus, ſcilicet immediatè ſubjectus Romanæ Sedi, ſine licentia Papæ renunciare non poteſt: nam renunciatio fieri debet in manu ſui Prælati, qui reſpectu ejus eſt Papa, à quo fuerat inſtitutus.

Videatur D. Thom. 2. 2. quæſt. 185. per totam quæſtionem, & præcipuè art. 4. in Corpore, ubi ait: *Contingit tamen aliquando, quòd Epiſcopus impeditur procurare Subditorum ſalutem multipliciter: quandoque quidem propter defectum proprium, vel conſcientiæ, ſicut ſi ſit homicida, vel Simoniacus, vel etiam corporis, puta ſi ſit Senex, vel infirmus, vel etiam ſcientiæ, quæ ſufficiat ad curam regiminis, vel etiam irregularitatis, puta ſi ſit bigamus. Quandoquè autem propter defectum Subditorum, in quibus non poteſt proficere &c. quandoque autem contingit ex parte aliorum, puta cum de prælatione alicujus perſonæ ſcandalum ſuſcitatur &c.*

Oportet autem, quòd ſicut curam regiminis aſſumit aliquis per providentiam Superioris Prælati, ità etiam per ejus authoritatem ex cauſis prædictis deſerat ſuſceptam. Undè extravaganti de renunciatione dicit Innocentius III., ſi pennas habeas, quibus ſatagas in ſolitudinem avolare, ità tamen adſcriptæ ſunt nexibus Præceptorum, ut liberum non habeas abſque noſtra permiſſione volatum. Soli enim Papæ licet diſpenſare in voto perpetuo, quo quis ſe ad curam Subditorum adſtrinxit, Epiſcopatum ſuſcipiens.

Et in ſolutione ad ſecundum ait: *ſi verò aliquis propter culpam ſit ab Epiſcopatu depoſitus, & in Monaſterium detruſus ad pœnitentiam peragendam, non poteſt iteratò ad Epiſcopatum revocari.*

TITULUS X.

De ſupplenda negligentia Prælatorum in quinque capita diſtinctus.

QUia inter Prælatos Eccleſiaſticos quandoque nonnulli inveniuntur negligentes, & deſides in ſuo Officio; ideo poſtquàm tractatum eſt de modo eos aſſu-

aſſumendi ad Prælaturam, & de renunciandi licentia eis à Sede Apoſtolica concedenda, aliqua dicenda ſunt de modo, quo ſupplenda eſt eorum negligentia; idcò ponitur præſens Titulus.

Agitur de hac materia in Decreto Gratiani diſt. 84. & diſt. 86. & cauſa 2. q. 7. cap. *negligere*. In 6. lib. 1. tit. 8. & in Clementinis lib. 1. tit. 5.

In cap. 1. quod incipit *Statuimus* ex Alex. III. ſtatuitur, quòd ſi Epiſcopus tertiò requiſitus noluerit benedicere, ut olìm moris erat, Ciſtercienſem Abbatem novitèr à Religione inſtitutum, ipſemet Abbas, hoc non obſtante, poſſit Monachos ſuos benedicere, & alia exercere, quæ ad ſuum ſpectant Officium: negligentiæ enim talis Epiſcopi ſupplet Papa ſuâ authoritate.

In 2. cap., quod incipit. *Sicut nobis*. Ex Clemente III., ſtatuitur, quòd Regulares habentes Eccleſias, in quibus obtinent juſpatronatus, eas non poſſunt in ſuos uſus convertere, & quandò vacaverint, ſi intra tempus à Lateranenſi Concilio ſtatutum, non præſentaverint Rectores earum, ad Epiſcopum ſpectabit de eis providere.

In 3. cap., quod incipit. *Licet*. Ex Innocentio III., ſtatuitur, quòd ſi Prælatus inferior ſit negligens in conferendis Beneficiis vacantibus ultra tempus taxatum à Lateranenſi Concilio, ſcilicet ſex menſium, poterit, & debebit Prælatus ſuperior providere, & collatio per inferiorem poſtea facta non valebit: nam mora cuilibet eſt nociva.

In 4. cap., quod incipit. *Literas*. Ex eodem, ſtatuitur, quod ſi ille, ad quem de jure ſpectat Beneficii collatio, provideat poſt tempus taxatum à Lateranenſi Concilio, ſcilicèt poſt tempus ſex menſium à notitia vacantiæ, non valebit talis collatio, quia eſt contra Statutum Concilii: ſi tamen collatio taliter facta ſit de Perſonis idoneis, de patientia, & miſericordia Papæ poſſit admitti, ſecus non; quia collatio aliàs invalida ratione moræ per Papæ tolerantiam poteſt ſanari, ſecus ſi defectus ſit Perſonæ.

In 5. cap. quod incipit. *Dilecto Filio*. Ex eodem ſtatuitur, quod ſi ille, ad quem primò ſpectat collatio Beneficii, illud non conferat intra ſex menſes ſtatutos à Lateranenſi Concilio, talis collatio volvetur ad ſuperiorem, quia primus per ſuam negligentiam pro eâ vice meretur privari jure conferendi, quòd ſi poſtea eligat, electio illa eſt nulla.

TITULUS XI.

De Temporibus Ordinationum, & qualitate Ordinandorum in 27. capita diſtinctus.

POſtquàm actum eſt de Promotione Prælatorum, aliquid eſt dicendum de Ordinatione Clericorum, ſcilicèt de Tempore, quo debent ad Ordines promoveri, & de qualitatibus ad eos requiſitis.

De hac materia tractatur in Decreto Gratiani diſt. 21. & 24. & 25. & 50. & 51. & cauſa 9. q. 1. & 2. & cauſa 15. q. 1. per totum.

In 1. cap., quod incipit. *Subdiaconos*. Ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd nulli, niſi Romano Pontifici licet conferre Ordines Sacros Dominicis diebus, & Sabbato Pentecoſtes: licèt enim Epiſcopus poſſit diebus Dominicis Minores Ordines conferre, & Virgines conſecrare, non tamen Sacros Ordines conferre, quia hoc reſervatum eſt Papæ, ſicut in Sabbato ante Pentecoſten; quia Epiſcopis conceditur in Sabbato ſubſequenti Feſtum Pentecoſtes.

In 2. cap. quod incipit. *Sanè*. Ex eodem ſtatuitur, quòd, non obſtante qualibet conſuetudine, Sacri Ordines non ſunt conferendi extra quatuor Tempora, Sabb. Sanctum, & Sabbatum poſt quartam Dominicam Quadrageſimæ; talis enim conſuetudo, ſeu abuſus, ut erat in Eccleſiis Scotiæ, & Vualliæ, in quibus Epiſcopi Ordines conferebant in Feſto Dedicationis Eccleſiæ contrariatur Juri Canonico, & ſic promoti debent remanere ſuſpenſi, & Promoventes privandi authoritate conferendi Ordines; ſed quia in illis partibus hoc fecerunt bona fide, & ſtante tali uſu, diſpenſat Dominus Papa cum illis, qui fuerunt ſic ordinati, ſed prohibet hoc fieri in futurum: conſuetudo enim

enim, & multitudo adjunctâ bonâ fide merentur diſpenſationem de præteritis, cum prohibitione tamen de futuro. Sic D.Th. in 4. diſt. 25. in expoſit. textus, ubi ſic ait: *Sciendum eſt, quòd Majores Ordines in 6. temporibus anni poſſunt celebrari, ſcilicet in quatuor Sabbatis quatuor Temporum, & in Sabbato ante Dominicam de Paſſione, & in Vigilia Reſurrectionis; Papa tamen in die Dominica, & feſtis præcipuis confert Subdiaconatum &c.*

In 3. capite, quod incipit. *De eo*, ex eodem ſtatuitur, quòd Ordines Minores conferri poſſunt in quibuſcumque diebus feſtivis; ſacri verò nonniſi in Sabbatis quatuor Temporum, vel Sabbato Sancto, vel Sabbato Paſsionis, ut dictum eſt, excepto tamen Romano Pontifice, qui his non limitatur Statutis; eſt enim Romanus Pontifex ſuper omnia Statuta Canonica, tamquàm eorum Legiſlator.

In 4. cap. quod incipit. *Ex tenore*. Ex eodem ſtatuitur, quòd criminoſus occultus poteſt quidem moneri, nè ad Ordines promoveatur, ſed prohiberi non debet, quia occultà peccata vindictam non habent, niſi à Deo: Deus enim eſt occultorum ſcrutator; undè ſi Epiſcopus peccatum alicujus occultum noverit per confeſsionem, illum non poteſt propter hoc repellere ab Ordinibus.

In 5. cap. quod incipit. *Ad aures*. Ex Lucio III. ſtatuitur, quòd Religioſi contra prohibitionem ſuorum Prælatorum, & abſque eorum Dimiſſoriis ad Ordines non ſunt promovendi: nihil enim eſt cum ſcandalo faciendum, ſed ordinatè, & rationabiliter.

In 6. cap. quod incipit. *Si Archiepiſcopus*. Ex eodem, ſtatuitur, quòd mortuo Metropolitano, & alio electo, & confirmato, debent omnes Epiſcopi ſuffraganei illius Provinciæ ad Eccleſiam Metropolitanam accedere, & ipſum conſecrare; Suffraganeus autem ſufficit, ut de conſenſu Metropolitani a tribus aliis Epiſcopis conſecretur: melius tamen eſſet, ſi ab eodem Metropolitano, duobus aliis Epiſcopis adhibitis, conſecraretur. Primum probatur ex illa Regula: quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. Secundum probatur ex eo, quòd melius ſit per ſe ipſum, quod per alium fieri poteſt.

In 7. cap., quod incipit *Ne Epiſcopi* ex Concilio Arelatenſi, ſtatuitur, quòd Metropolitanus non poteſt ſuffraganeum conſecrare, niſi adhibitis ſecum duobus, vel tribus aliis Epiſcopis ejuſdem Provinciæ; habito etiam conſenſu per literas aliorum Epiſcoporum talis Provinciæ: quòd ſi inter ipſos ſit diſſenſio, majori numero Metropolitanus conſentiat, quia majori parti ſtandum eſt.

In 8. cap., quod incipit, *Cum quidam* ex Urbano III., ſtatuitur, quòd ordinatus extra tempora remanet ſuſpenſus ab exercitio Ordinis, donec cum eo diſpenſetur à Summo Pontifice, & talis ordinans graviter eſt puniendus.

In 9. cap., quod incipit *Cum ſecundùm regulas* ex Cœleſtino III., ſtatuitur, quòd Latini non debent Ordines ſuſcipere ab Epiſcopis Græcis, nec Græci à Latinis, quia habent diverſos ritus, & obſervant diverſa tempora in Ordinibus conferendis; undè hoc prohibetur, non obſtante qualibet conſuetudine in contrarium. Unuſquiſque enim tenetur proprios ritus obſervare.

In 10. cap., quod incipit *Ex parte* ex Innocentio III., ſtatuitur, quod ſi Monachus in aliqua Cōgregatione monachali profeſſus, ad aliam Congregationem monachalem ſtrictiorem tranſierit, & in eâ ad Sacerdotium fuerit promotus; ſi poſteà ad ſuam Congregationem priorem redierit, poteſt liberè in ea Sacerdotium adminiſtrare de ſui Superioris licentia: caracter enim Sacerdotalis eſt indelebilis.

In 11. cap., quod incipit *Quòd tranſlationem* ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Clericus Græcus Epiſcopo Latino ſubjectus ordinatur ab Epiſcopo Græco ſine ſui Epiſcopi licentia, remanet ſuſpenſus ab executione illius Ordinis, tamquàm illicitè promotus: ſi aurem hoc fiat cum licentia proprii Epiſcopi, licèt culpabilis ſit Epiſcopus Latinus talem concedens facultatem propter diverſos ritus, quos ſervant Græci in Ordinibus conferendis, Clericus tamen ille ſic ordinatus eſt tolerandus, ſi talis ſit conſuetudo, quouſque Summo Pontifice hoc expreſsè damnetur.

In 12. cap., quod incipit *Cum in diſtribuendis* ex eodem, ſtatuitur, quòd qui ordinatur à Papa in aliquo Ordine, puta in Ordine Subdiaconatus, non poteſt licitè ſine licentia Papæ ab alio ad Ordines ſuperiores promoveri: & hoc propter reverentiam debitam Romano Pontifici, ad quem videtur ſpectare eum, quem in minori Ordine poſuit, ad majores promovere.

In 13. cap., quod incipit *Literas* ex eodem, ſtatuitur, quòd eâdem die non poſſunt eidem conferri duo Sacri Ordines, nec etiam in duobus ſequentibus immediatè, etiamſi continuetur jejunium: ſervanda enim ſunt Canonica Interſtitia. Quòd ſi aliter fiat Ordinator manet ſuſpenſus à collatione Ordinum collatorum, & ordinatus ab executione Ordinum, quos ſuſcepit: unuſquiſque enim meretur puniri in eo, in quo deliquit.

In 14. cap., quod incipit *Vel non* ex Honorio III., ſtatuitur, quòd nullus Clericus eſt ordinandus in Sacris antè legitimam ætatem in jure canonico ſtatutam: & ſi hoc contingat, Ordinans ſuſpenditur à collatione Ordinum, & ſic ordinatus ſuſpenditur ab exercitio Ordinis ſuſcepti, uſque dum perveniat ad ætatem legitimam in odium Ordinantis.

In 15. cap., quod incipit *Dilectus Filius* ex eodem, ſtatuitur, quòd Epiſcopus conferens eâdem die eidem Clerico plures ſacros Ordines, etiam de mandato Metropolitani, ab ordinandi poteſtate ſuſpenditur; non enim ad Metropolitanum, ſed ad Summum Pontificem ſpectat diſpenſare in jure communi; undè mandato Metropolitani, utpote illicito, obedire non debet talis Epiſcopus.

In 16. cap., quod incipit *Conſultationi* ex Gregorio IX., ſtatuitur, quòd ordinatus ad ſacros Ordines extra tempora à jure ſtatuta, Ordinem quidem validè recipit, ſed non licitè. Poteſt tamen Epiſcopus pœnitentiâ ab eo peractâ, cum illo ex permiſſione Papæ diſpenſare.

In 17. cap., quod incipit *Quæſitum eſt* ex eodem, ſtatuitur, quòd Clerici criminoſi occulti non poſſunt miniſtrare in ſuſceptis Ordinibus, nec ad ulteriores Ordines aſcendere, niſi peractâ congruâ pœnitentiâ, exceptis homicidis, qui remanent irregulares, nec abſque ſpeciali diſpenſatione Papæ poſſunt ad Ordines promoveri. Alii verò criminoſi ſi volunt miniſtrare in ſuſceptis Ordinibus ante peractam debitam pœnitentiam, monendi ſunt ſub obteſtatione Divini Judicii, ne in periculum ſuæ damnationis, in præfatis Ordinibus ante actam pœnitentiam miniſtrent. Videatur D. Thomas in ſupplemento 3. partis quæſt. 36. ubi per quinque articulos fusè pertractat de qualitate Ordinandorum, & præcipuè art. 4. in Corpore ait: *Dicendum, quòd à Domino deſcribitur fidelis Servus, qui conſtitutus eſt ſuper familiam ſuam, ut det illi tritici menſuram, & ideò infidelitatis eſt reus, qui alicui ſupra menſuram ejus divina tradit, hoc autem facit quicumque indignos promovet, & ideò crimen mortale committit, quaſi ſummo Domino infidelis, & præcipuè cum hoc in detrimentum Eccleſiæ vergat, & honoris divini, qui per bonos Miniſtros promovetur; eſſet enim infidelis terreno Domino, qui in ejus officio aliquos inutiles poneret.*

Legatur etiam quæſt. 38. art. 2., ubi in Corpore concludit, quòd *Hæretici, & ab Eccleſia præciſi verè poſſunt Ordines conferre, quamvis non licitè*; ex quo à fortiori infertur, quòd Epiſcopus Græcus poteſt validè alicui Latino ordines conferre, quamvis illicitè.

TITULUS XII.

De ſcrutinio in Ordine faciendo unico capite comprehenſus.

Quia in ſuperiori titulo dictum eſt de Ordinandis, modò aliquid dicitur de ſcrutinio, quod fit in ſuſcipiendis Ordinibus, & in Conſecratione Epiſcoporum.

De hac materia agitur in Decreto Gratiani diſt. 23. cap. *Qui Epiſcopus*, & diſt. 24. per totum, & diſt. 51. cap. *Qui in aliquo*.

In cap. unico, quod incipit *Ex parte tua* ex Innocentio III., ſtatuitur, quòd in Ordinatione, & Conſecratione Epiſcopi, quando Archiepiſcopus interrogat Epiſcopos conſecrantes ordinandum, ſeu

ſeu conſecrandum, & poſtulantes ipſum conſecrari his verbis: *Reverende Pater poſtulat Mater Eccleſia hunc electum in Epiſcopum conſecrari*; & ipſe illos interrogat: *Scitis ipſum eſſe dignum?* poſſunt affirmativè reſpondere abſque mendacio, cùm hac tamen clauſula: ſcimus, & teſtificamur hunc eſſe dignum ad hoc onus, quantùm humana fragilitas noſſe ſinit; ſi aliàs ipſum non noverint poſitivè indignum, quia unuſquiſque præſumendus eſt dignus, niſi conſtet eſſe indignum. Si autem illis conſtet eſſe indignum, tunc monendus, & certiorandus eſt Archiepiſcopus conſecrans, antequàm deveniatur ad publicum ſcrutinium, nè ſcilicet conſecrandus publicè diffametur. Hanc Regulam, dicit Papa, quòd obſervat Eccleſia etiàm in Ordinationibus Diaconorum, vel Presbyterorum aſſerendo dignos, quos non novit indignos. Si autem noſcerentur indigni, & atteſtarentur digni, committeretur peccatum mortale, quia fieret contrà conſcientiam in materia gravi. Sic D. Thom. in ſupplemento 3. part. quæſt. 36. art. 4. ad 3., ubi ſic ait: *dicendum, quòd non ſolùm ad minus hoc requiritur, quòd neſciat Ordinans aliquid contrarium Sanctitati in ordinando eſſe, ſed etiam exigitur amplius, ut ſecundùm menſuram Ordinis, vel Officii injungendi diligentior cura apponatur, ut habeatur certitudo de qualitate promovendorum, ſaltim ex teſtimonio aliorum, & hoc eſt, quòd Apoſtolus dicit 1. ad Timoth. 5. Manus citò nemini impoſueris.* Legatur per totum Articulum.

TITULUS XIII.

De Ordinatis ab Epiſcopo, qui renunciavit Epiſcopatui in duo Capita diſtinctus.

Quià actum eſt de ordinandis, breviter quæritur, quid dicendum de his, qui ordinantur ab Epiſcopis, qui proprio Epiſcopatui renunciarunt.

De hac materia agitur in Decreto Gratiani cauſâ 9. quæſt. 1. per totum, & cauſâ 1. quæſt. 1., & quæſt. 7.

In cap., quod incipit *Requiſivit*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd ſi Epiſcopus renunciavit loco tantùm, & non dignitati Epiſcopali, invitatus poteſt validè, & licitè Ordines conferre: ſi verò non ſolùm loco renunciavit, ſed etiam dignitati, talitèr ordinati ignoranter ad Ordines Sacros, licèt ſint ſuſpenſi, poterunt tamen diſpenſari à propriis Epiſcopis: ſi verò ſcientèr, cum eis ſolus Papa diſpenſare poterit: in utroque enim caſu valida eſt Ordinatio ratione caracteris, ſed illicita.

In 2. cap., quod incipit *Cum Clericis*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd Clerici, qui ignoranter ordinantur ab Epiſcopo excommunicato poſſunt diſpenſari per ſuos Epiſcopos; ſecùs autem ſi ſcienter, ſicut in ſuperiori capite dictum eſt. Hæc docet D. Thom. in ſupplemento 3. part. art. 2. in Corpore, ubi ait; *Omnis poteſtas, quæ datur cum aliqua conſecratione, nullo caſu contingente tolli poteſt re ipſâ durante, ſicut nec ipſa conſecratio annullari, quia etiam Altare, vel Chriſma ſemel conſecrata perpetuò conſecrata manent. Undè cum epiſcopalis poteſtas cum quadam conſecratione detur, oportet, quòd perpetuò maneat, quantumcumque aliquis peccet, vel ab Eccleſia præcidatur.*

Ex quibus verbis colligitur ratio, cur Ordinati ab Epiſcopo, qui renunciavit Epiſcopatui, ſint validè ordinati.

TITULUS XIV.

De ætate, & qualitate, & ordine Præficiendorum in Capita 15. diſtinctus.

Poſtquam dictum eſt de Ordinandis, dicendum eſt de Præficiendis; & quia in præficiendis neceſſaria ſunt hæc tria, ſcilicet actus, qualitas, & Ordo, ideò de his tractatur in præſenti Titulo.

Agitur de hac materia in Decreto Gratiani diſt. 33. 36. & 37., & cauſâ 8. quæſt. 1. cap. 9. & 11. in 6. titulo de electione, & electi poteſtate, ſimiliter in Clementinis, & Extravagant. eodem titulo.

In 1. cap., quod incipit *Ut Abbates*, ex Concilio Pictavienſi ſtatuitur, quòd

qui

qui præficiuntur in Abbates, vel Decanos, vel Præpoſitos, debent ad Sacrum Præsbyteratus Ordinem promoveri, aliàs hujuſmodi Prælaturas dimittere; qui verò præficiuntur in Archipræsbyteros, fieri debent Præsbyteri; ſicut qui Archidiaconi, ſaltem Diaconi, aliàs amittunt dignitatem; nam Beneficium datur propter Officium; undè incapax Officii eſt incapax Beneficii.

In 2. cap., quod incipit *Ex ratione*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd ſi aliquis in minori ætate conſtitutus ex diſpenſatione Apoſtolica Dignitatem, aut Beneficium Eccleſiaſticum obtinuerit, Eccleſia illa commiſſa, non per Laicos, ſed per idoneos Eccleſiaſticos regi, & adminiſtrari debet, donec ille ad legitimam perveniat ætatem.

In 3. cap., quod incipit *Indecorum eſt*, ex eodem ſtatuitur, quòd regimen Eccleſiæ nullatenus conferendum eſt exiſtenti in minori ætate quatuordecim annorum, quod etiam intelligitur de Beneficiis ſimplicibus.

In 4. cap., quod incipit *Eam te*, ex eodem ſtatuitur, quòd qui aſſumuntur ad regimen Eccleſiarum, debent eſſe digni ſcientiâ, moribus, & ætate. Et ſi quis duas obtinuerit Eccleſias, alteram earum dimittere cogatur, niſi ex rationabili cauſa cum eo diſpenſetur.

In 5. cap., quod incipit *Præterea*, ex eodem ſtatuitur, quòd poteſt Epiſcopus conferre Beneficium Parrochiale etiam alicui non Sacerdoti, dummodò ſit idoneus, & in debita ætate conſtitutus, & quamprimùm in Sacerdotem promoveatur.

In 6. cap., quod incipit *Quæris*, ex eodem ſtatuitur, quòd propter neceſſitatem, & utilitatem Eccleſiarum Clerici ſunt ab Epiſcopis compellendi ſuſcipere majores Ordines, ſi aliàs ſint idonei, & hoc ſub pœna amiſſionis Beneficiorum, etiamſi cum talibus Beneficiis non ſint annexi majores Ordines.

In 7. cap., quod incipit *Ad aures*, ex Clemente III. ſtatuitur, quòd qui ſecundùm artem medetur infirmis, etiamſi aliqui malignitate morbi moriantur, non per hoc tales impediuntur, ne poſſint promoveri ad Ordines, dummodò ſecundùm conſcientiam tuti ſint, ſe omnem adhibuiſſe diligentiam, & ſecundùm artem operatos fuiſſe; ſecùs non.

In 8. cap., quod incipit *Cum bonæ memoriæ* ex Cœleſtino III. ſtatuitur, quòd qui eſt ſuſpenſus ab homine, & in tali ſuſpenſione acquirit Beneficium, tali Beneficio eſt privandus; nam talis collatio eſt nulla. Similitèr eſt privandus Beneficiis acquiſitis Clericus perſeverans in ſuſpenſione per triennium.

In 9. cap. quod incipit. *A multis*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd conſtitutus in Ordine Subdiaconatus eligi poteſt in Epiſcopum: licèt enim ex Decreto Urbani I. eligi non poſſint in Epiſcopos, niſi in Sacris conſtituti, & tunc temporis ſubdiaconatus non eſſet Ordo ſacer, ex Decreto tamen poſteà Urbani II. Subdiaconatus declaratus eſt Ordo ſacer, unde Subdiaconus in Epiſcopum eligi poteſt.

In 10. cap. quod incipit *Tuam*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in caſu neceſſitatis, & propter maximam utilitatem Monaſterii, poteſt etiàm Irregularis, aut in Minoribus conſtitutus diſpenſari, ut Abbas eligatur: nam Officium Abbatis in adminiſtratione conſiſtit.

In 11. cap. quod incipit. *Cum contingit*, ex eodem ſtatuitur, quòd Abbas, ſi Præsbyter eſt, & Benedictus, poteſt ſuos ſubditos tonſurare, & eis Minores Ordines conferre; ſicut in 7. Synodo eis fuit conceſſum.

In 12. cap. quod incipit. *Intelleximus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſiquis Canonicus Regularis ex levitate tranſeat ad Ordinem Monaſticum, deindè poſt aliquod tempus revertatur ad priorem Ordinem, & exigentibus meritis ad Prælaturam eligatur, licitè, & abſque ſcrupulo poteſt Prælaturam adminiſtrare; per ſubſequentem enim pœnitentiam ſupponitur ſatisfactum priori levitati.

In 13. cap. quod incipit. *Accepimus* ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi aliquis ordinetur ad Sacros Ordines ſinè titulo, Epiſcopus Ordinator ipſius, tenebitur illi providere de Beneficio in ſua Diœceſi: neque obſtat, quòd Epiſcopus dicat, eum eſſe indignum; quià ſi fuit dignus, ut ab eo, præ-

prævio examine, promotus ſit ad Sacerdotium, eſt exiſtimandus, ut etiam dignus ſit ad Beneficium obtinendum.

In 14. cap. quod incipit. *Cùm ſit*, ex eodem, ſtatuitur, quòd maxima cura debet obſervari ab Epiſcopo circà promovendos ad Sacerdotium, & ad curam animarum; itaùt maximè idonei promoveantur, & minus idonei omnino repellantur.

In 15. cap. quod incipit. *Quamvis*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd Epiſcopus non ſolùm electus, ſed etiàm conſecratus poteſt, & debet propter defectum ſcientiæ ſuſpendi ab executione Officii,& amoveri ab adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ:tolerare enim hujuſmodi defectum inEpiſcopo eſt contrà Deum,& CanonicasSanctiones.

TITULUS XV.

De Sacra Unctione unico cap. comprænhenſus.

QUià in ſuperioribus actum eſt de Ordinandis,& præficiendis, & quia ex Ordinandis,& pręficiendis aliqui inunguntur:ideò de Sacra Unctione in præſenti eſt agendum.

De hac materia tractatur in Decreto Gratiani diſt. 95. & 96. per totum.

In hoc unico cap. quod incipit. *Cum veniſſet*, ex Innocentio 3. ſtatuitur, Eccleſiam Græcorum in Ordinationibus, & Conſecrationibus teneri adhibere Unctiones Sacras, quibus utitur Eccleſia Romana, quæ ſi prætermiſſæ ſint, debent ſuppleri. Quà occaſione idem Pontifex diſtinguit Unctionem in interiorem ſcilicet Cordis, quę fit à Spiritu Sancto,& exteriorem, quæ in membris fit à Miniſtro Eccleſiæ. Hæc autèm unctio exterior exhibetur tùm Baptizandis antè, & poſt Baptiſma, quod fit Oleo Cathecumenorum; tùm conſtitutis in extremo vitæ, quod fit Oleo Infirmorum; tùm in confirmandis, quod fit Chriſmate in fronte; tùm in promovendis ad Presbyteratus Ordinem, quod fit in manibus; tùm in conſecrandis in Epiſcopos, quod fit Chriſmate in capite, & in manibus; tùm in conſecrandis Regibus, quòd fit in humero, ſeù in Brachio; tùm tandèm in conſecrandis Templis, Altaribus, Calicibus &c. exemplo B. Sylveſtri, & juxtà præceptum Domini in veteri lege, in qua præcepit Dominus Moyſi, ut faceret Oleum unctionis, quo inungeret Teſtamenti Tabernaculum. In his autem unctionibus adhibetur Oleum, quòd ſignificat nitorem vitæ, & Balſamum, quòd ſignificat odorem claræ famæ, etenim ex utroque fit Chriſma. In fine autem Decretalis adducit Pontifex rationem: quarè Summus Pontifex non utatur Baculo Paſtorali, ut alii Epiſcopi; & hoc tùm propter Hiſtoriam B. Petri, qui Baculum Paſtoralem uni ex Diſcipulis ſuis dedit ad ſuſcitandum mortuum; tum propter Myſterium, quia alii Epiſcopi ab alio poteſtatem accipiunt, in cujus ſignum accipiunt Baculum, ſed Summus Pontifex immediatè à ſolo Deo poteſtatem habet, unde non debet ab ullo Baculum accipere. Videatur D. Thom. in ſupplem. 3.Par. quæſt. 29. de Sacramento extremæ unctionis per totam quæſt:, & in duabus ſequentibus. Legatur etiam in 4. diſt. 24. quæſt. 2. art. 3. ad 8. ubi ſic ait: *Dicendum, quòd Romanus Pontifex non utitur baculo, quia Petrus miſit ipſum ad ſuſcitandum quemdam Diſcipulum ſuum, qui poſtea factus eſt Epiſcopus Treverenſis, & ideo in Diœceſi Treverenſi Pontifex baculum portat, & non in aliis, vel etiam in ſignum quòd non habet coarctatam Poteſtatem; quòd curvatio baculi deſignat*,

TITULUS XVI.

De Sacramentis non iterandis in tria cap. diſtinctus.

QUià Sacra unctio in aliquibus præſtatur Sacramentis, ſcilicet Baptiſmate, Confirmatione, Ordine Sacro, & Extrema unctione, quæ Sacramenta, exceptâ extremâ unctione: iterari non poſſunt; ideò poſtquàm de unctione Sacra dictum eſt, agitur de Sacramentis non iterandis.

De hac materia tractatur in Decreto Gratiani diſt. 68. cap. *Eccleſiis*, & Causâ primâ quæſt. 7. *Saluberrimum*, & de Conſecra-

ſecratione diſt. 4. cap. *Quibus*.

In 1. cap. quod incipit. *Paſtoralis*. ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd ſi contingat aliquem ordinari in Subdiaconum ſinè manuum impoſitione: aut ſi quis in Sacramento confirmationis fuit inadvertenter unctus non Chriſmate, ſed Oleo benedicto, in utroque caſu non debent ea Sacramenta iterari, ſed debet cautè ſuppleri, quòd incautè eſt prætermiſſum. Advertendum tamen eſt, quòd ex hoc Capite videtur colligi, quòd Chriſma confectum ex Oleo, & Balſamo non ſit de neceſſitate Sacramenti Materia Confirmationis, quod tamen eſt contra D. Thom. in 3. par. quæſt. 72. art. 2. in Corpore; Cœterum hoc factum Innocentii III. explicatur; Summus enim Pontifex ſolùm voluit, quòd quia prior Unctio in Oleo Benedicto fuerat publicè facta, propter ſcandalum publicè iterari non debuit, ſed privatim, & occultè abſque ſolemnitate defectus ſubſtantialis ſupplendus, utendo omnibus, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti in Confirmatione, & accidentalia dumtaxat omittendo. Sic Gonet Tom. 5. diſput. 6. art. 2. §. 4. in ſol. ad 3.

In 2. cap. quod incipit. *A Vobis*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd ſi accidat caſus, quòd Catholici moriantur — apùd Schiſmaticos, & ab eis eorum corpora ſepeliantur; non per hoc ea corpora debent exhumari, cùm illis non noceat talis ſepultura: ſicut ſi Sacerdos aliàs degradatus celebret, non per hoc veſtes Sacræ ſunt iterum benedicendæ, & Altare, ſeù Eccleſia iterum conſecranda; quia non propter hoc ſunt ea execrata: nam *utile per inutile non vitiatur*, nec propter defectum perſonę veſtes Sacrę polluuntur.

In 3.cap. quod incipit. *Presbyter*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd ſi in Ordinatione Præsbyteri, aut Diaconi fuerit prætermiſſa ab Epiſcopo Ordinante manuum impoſitio, juxta formam ab Apoſtolis acceptam; non propter hoc Ordo eſt iterandus, ſed ſolum eſt ſupplendum in die deputato ad Ordines conferendos, quod incautè prætermiſſum eſt. Ratio deſumitur ex D.Thom. in ſupplemento quæſt. 37. art. 5. quia caracter Sacerdotalis in ipsâ datione Calicis ſub formâ verborum determinatâ, & Caracter Diaconatus in ipsâ libri Evangeliorum datione imprimitur.

TITULUS XVII.

De Filijs Præsbyterorum ordinandis, vel non in 18. *capita diſtinctus*.

Quià ſermo eſt in præſenti de Ordinandis, & inter eos aliqui poſſunt eſſe, qui patiuntur defectum originis, propter quem àd Ordines promovèri non poſſunt: idèo ponitur præſens Titulus de Filijs Præsbyterorum, ân ſint ordinandi, nèc ne.

De hac materia agitur in Decreto Gratiani diſt. 56. per totum. & in 6. Decretalium eodem Titulo, qui eſt XI.

In 1. Cap. quod incipit *Vt Filij*. Ex Concilio Pictavienſi, ſtatuitur, quod illegitimè nati non poſſunt àd ordines promoveri, niſi ut fiant monachi, vèl Canonici Regulares, in quo ſtatu conſtituti abſquè ſpeciali diſpenſatione non habilitantur ad Prælaturas. Similiter Servi non debent ordinari, niſi à ſuis Dominis libertàte doneutur.

In 2. cap., quod incipit *Ad præſentiam*. ex Alexandro 3., ſtatuitur, quòd Filius Sacerdotis in Sacerdotio poſitus obtinens, hac conditione Papæ expreſsâ, àb eo Cappellaniam in Eccleſia, in qua Pater ſuus adminiſtravit, eſt omninò àb eâ removendus, non obſtantibus prædictis literis, quæ ſunt obreptitiæ.

In 3. cap., quod incipit. *Præſentium*. ex eodem, ſtatuitur, quòd Filij Sacerdotum non debent, nèc poſſunt in Eccleſijs paternis miniſtrare, nèc eas quomodolibet obtinere, niſi ex ſpeciali Papæ diſpenſatione & hoc in odium paternæ incontinentiæ.

In 4. cap. quod incipit *Conquærente*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Filij Sacerdotum non poſſunt obtinere Beneficium in Eccleſijs, in quibus Patres eorum publicè, & notoriè miniſtrant; unde portant iniquitatem Patrum, temporalitèr tamèn, non æternalitèr.

In 5. cap. quod incipit *Veniens*, ex eodem,

eodem, ſtatuitur, quòd ſi Filius Sacerdotis obtinuerit ſcientèr àb Epiſcopo Beneficium in Eccleſia, in qua Pater eius adminiſtravit, non poteſt deinde ab eodem Epiſcopo tali Beneficio privari, ſed petità diſpenſatione tolerari: ſi verò ignorantèr hoc fecit Epiſcopus, debet tolerari proviſus, quoùſque de alio Beneficio provideatur, nè mendicare cogatur.

In 6. cap. quod incipit *Propoſuit*, ex eodem, ſtatuitur, quòd filius Sacerdotis, ex quo eſt in Sacris ordinatus àd Titulum Beneficij, ad quod à Patrono fuit præſentatus, non debet eo Beneficio privari: Unde ſi Subdiaconus ſit, & non diſpenſetur cùm eo àd ſuſcipiendos reliquos Ordines, deputetur aliquis Sacerdos prò tali Beneficio cùm medietate fructuum, alia medietate ipſi attributa.

In 7. cap., quod incipit. *Ex tranſmiſſa*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Filius aliàs legitimus Sacerdotis, genitus ſcilicet in Matrimonio ante Sacerdotium, licèt non poſſit immediatè ſuccedere Patri in eodem Beneficio, quià hæreditaria ſucceſſio in Beneficijs eſt contrà Sanctiones Canonicas, ſuccedere tamèn poteſt ei mediatè, quia mediata Perſona tollit vitium ſucceſſionis.

In 8. cap., quod incipit *Conſtitutus*. ex eodem ſtatuitur, quod Filius poteſt obtinere Beneficium, vèl Cappellaniam in illa Eccleſia, in qua Pater adminiſtravit, ſèd ſinè titulo; ſcilicet abſquè perſonatu, & proprietate, ſed tantùm in loco alterius.

In 9. cap. quod incipit. *Ex tua*, ex eodem ſtatuitur, quòd Filij Sacerdotum, quibus èx diſpenſatione Epiſcopi, habità facultate à Papa, collatæ ſunt Eccleſiæ, in quibus Patres eorum immediatè miniſtrarunt, non ſunt privandi talibus Eccleſijs, etiamſi poſteà pèr Reſcriptum Papæ exprimatur, hoc eſſe factum contrà Canones, ſi aliàs in dicta eſpreſſione non fuerit poſita hæc particula: *non obſtante diſpenſatione habita ab Eiſcopo ex ſpeciali noſtra facultate*: nam non eſt præſumendum Papam per generale illud Decretum iuſtitiæ velle revocare ſpecialem facultatem diſpenſandi factam Epiſcopo ex gratia. Privilegium enim conceſſum à Principe perſeverat, donec eſpreſſè revocetur.

In 10. cap. quod incipit *Quoniam*; ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi manifeſtum ſit, & notorium Filios abſque diſpenſatione ſpeciali obtinuiſſe Eccleſias, in quibus Patres eorum habuerunt immediatè perſonatum; tales Filij ab illis Eccleſijs ſunt omninò excludendi de facto, & abſque ordine judiciario: nàm in manifeſtis, & publice notorijs Ordo Juris non requiritur.

In 11. cap., quod incipit *Ad extirpandas*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Filij etiam legitimi Sacerdotum non poſſunt ſuccedere Patribus in illis Eccleſijs, in quibus Patres immediatè ante habuerunt perſonatum, vèl perpetuam Vicariam, vel Rectoratum, ſecus ſi mediate; nam media Perſona purgat vitium ſucceſſionis, ut ſupra dictum eſt.

In 12. cap. quod incipit. *Ad hæc*, ex Clemente III., ſtatuitur, quòd Filij Epiſcoporum, vel Sacerdotum legitimè tamen nati promoveri poſſunt ad ordines, & in paternis Eccleſijs obtinere Beneficium, Patribus eorum vivis, vel mortuis.

In 13. cap. quod incipit *Mjchael*, ex eodem, ſtatuitur, quod Filius Sacerdotis non poteſt immediate ſuccedere Patri in illa Eccleſia, in qua Pater habuit Vicariam perpetuam, vel Rectoratum.

In 14. cap. quod incipit *Literas*, ex eodem ſtatuitur, quòd in caſu, quo Vir, & Uxor de communi conſenſu promiſerint, ſe ſervaturos Caſtitatem, & tali factâ promiſſione vir ad Ordines Sacros fuerit promotus, & Sacerdos effectus; ſi poſtea ad Vxorem acceſſerit, & ex ea filium genuerit; talis Filius tamquam canonicè illegitimus, id eſt illicitè conceptus, non pòteſt ſine diſpenſatione, nec ad Ordines promoveri, nec Beneficia obtinere.

In 15. cap. quod incipit. *Cum decorem*, ex Innocentio III., ſtatuitur, quòd Filij Canonicorum, aliàs illegitimi, non debent Canonici fieri, nec Præbendas habere in Eccleſijs, in quibus Patres eorum ſunt Canonici; quia indecorum eſt, ut non legitimus Filius impudico Patri in Altaris Officio miniſtret.

In 16. cap., quod incipit *Ad abolendam*. ex Concilio Generali Lateranenſi, ſtatuitur, ne Filij Canonicòrum, maximè

Spurij,

Spurij, Canonici fiant in Sæcularibus Eccleſijs, in quibus inſtituti ſunt Patres eorum ſub pæna ſuſpenſionis Promotoribus, & ſub pæna nullitatis talis inſtitutionis: In Eccleſijs autem Regularibus ſimul eſſe Patrem, & Filium eius illegitimum non prohibetur.

In 17. cap. quod incipit *Dilectus Filius*, ex Honorio III., ſtatuitur, quòd diſpenſare, ut Filius in Eccleſia paterna immediatè ſuccedat, ſolum ſpectat àd Papam, privative quoàd omnes alios.

In 18. cap., quod incipit. *Nimis*, ex Gregorio IX., ſtatuitur, quòd Illegitimi abſque ſpeciali diſpenſatione Papæ promoveri non poſſunt ad dignitates, Perſonatus, vel Beneficia curam animarum habentia. An autem ex diſpenſatione Epiſcopi poſſint obtinere Beneficia ſimplicia? Reſpondetur ex Gloſa negativè; cum diſpenſatio ex defectu natalium tantùm ſpectet ad Papam. De hac materia agit S.Th. in Supplem. 3.par. quæſt. 39. Art. 5. ubi fusè probat, illegitimè natos eſſe impediendos ab ordinibus ſuſcipiendis, & præcipuè propter illud Deuteron 23., ubi dicitur: *Non ingredietur Mamzer, hoc eſt de ſcorto natus in Eccleſia Domini uſque ad decimam generationem*; ex quo infert, quòd multo minus debēt ad ordines premoveri, & conſeq. etiam ad beneficia obtinenda.

TITULUS XVIII.

De Servis non ordinandis, & eorum Manumiſſione in octo Capita diſtinctus.

POſtquàm actum eſt de impedimento Originis, ſcilicet illegitimitate, agendum eſt de impedimento ſervitutis, cui ſunt obnoxii Servi, ſeù mancipia: Cum enim non ſint ſui Juris, abſque conſenſu Dominorum ordinati non poſſunt.

Agitur de hac materia in Decreto Gratiani diſt. 54. per totum, & diſt. 60. per totum, & Cauſa 12. queſt. 2. *Liberti* & D. Th. in Supplem. 3. par. quæſt. 39. Art. 3. ubi fusè probat conditionem ſervitutis impedire licitam ſuſceptionem ordinum, quamvis Servi ordinati validè eſſent ordinati; his verbis *In ſuſceptione ordinis mancipatur homo Divinis, & quia nullus poteſt alteri dare, quod ſuum non eſt, ideo ſervus, qui non habet poteſtatem ſui, non poteſt ad ordines promoveri, ſi tamen promovetur, ordinem ſuſcipit, quia libertas non eſt de neceſſitate Sacramenti, licet ſit de neceſſitate præcepti.*

In 1. cap., quod incipit *Inſtruendi.* ex Concilio Toletano, ſtatuitur, quòd ſervi, ſeu mancipia non poſſunt ad ordines promoveri, antequàm plenam manumiſſionem à proprijs Dominis obtineant: Neceſſe eſt enim præcavere quod infirmari, vel vituperari poteſt, quod utiq. accideret, ſi ſervi ante libertatem ordinarentur.

In 2. cap., quod incipit. *De Servorum*, ex eodem Concilio, ſtatuitur, quòd Servus, ſi ſine licentia ſui Domini ordinetur, eſt deponendus, & ſuo Domino reſtituendus: Quod enim eſt ſub poteſtate alterius, abſque juſta cauſa ab eo non poteſt auferri.

In 3. cap. quod incipit. *De Famulis.* ex eodem Concilio, ſtatuitur, quòd Eccleſia poteſt promovere ad Ordines proprios ſervos, dummodo prius àb ea recipiant libertatem, cum hoc tamen, quòd totum id, quod ipſi poſtea acquiſiverint, vel eis datum fuerit, poſt eorum obitum non àd extraneas Perſonas, ſed ad Eccleſiam, à qua manumiſſi ſunt, debeat pertinere. Si autem tales poſt manumiſſionem accuſaverint, vel teſtificati fuerint contrà prædictam Eccleſiam, libertatem, & honorem Ordinis amittunt ratione ingratitudinis: quod etiam dicitur de alijs Libertis.

In 4. cap., quod incipit. *Nullus*, ex Concilio apùd Altheum ſtatuitur, quòd Dominus in Servo, quem manumittit, ut promoveatur ad Sacros Ordines, poteſt retinere jus, ut ei inſerviat ad ſpirituales actiones, ut ei inſerviat prò Cappellano, vel ut ſecum recitet Horas Canonicas: Hæc enim ſervitia utpotè ſpiritualia non repugnant, immò ſunt decentia ſtatui Clericali, & manumiſſus tenetur ea facere ratione gratitudinis.

In 5. cap., quod incipit, *Conſuluit*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd neq

ſpu-

ſputii, ideſt de incerto Patre, nec ſervi debent ad Ordines promoveri. 1. Propter defectum Parentum, & decorem Eccleſiaſticorum. 2. Propter defectum libertatis in eis.

In 6. cap., quod incipit. *Eà libentiùs*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd ſi aliquis Eccleſiæ Servus ab ipsâ Eccleſiâ ſit manumiſſus eum hac conditione, ut tali Eccleſiæ ſerviat in Divinis, tenebitur, poſtquàm fuerit ordinatus, tali Eccleſiæ in Divinis inſervire: ſecùs autem ſi fuerit abſolutè manumiſſus abſque aliquâ obligatione.

In 7. cap., quod incipit. *Miramur*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi abſque conſenſu Domini aliquis ſervus ordinetur in Subdiaconum, talis ſic ordinatus, Domino reclamante, gaudebit eodem Privilegio, quo gaudent ſervi non manumiſſi, qui promoti ſunt ad ordinem Diaconatus, & Presbyteratus, ut ſcilicet poſſint, reclamante Domino, alium in ſervum illius ſubſtituere: quia, ut dicit Papa in hac Decretali; licet antiquitùs ordo Subdiaconatus non eſſet ordo ſacer, à tempore tamen Gregorii enumeratus eſt inter Sacros: indecens eſt autem, quod qui ſemel eſt Deo ſacratus ad ſervitutem redeat; unde ſervitium Domini per alium ſupplere tenebitur.

In cap.8, quod incipit. *Dilectus*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd natus ex Patre ſervo, & Matre libera, cenſendus eſt liber; unde poteſt licitè ad ordines promoveri: nam Filius ſequitur ventrem, ſcilicèt conditionem liberæ Matris.

TITULUS XIX.

De Obligatis ad Ratiocinia, Ordinandis, vel non, unico capite compræhenſus.

POſtquàm dictum eſt de non ordinandis iis, qui non ſunt liberi à ſervitute, aliquid dicendum eſt de iis, qui non ſunt liberi ab Officiis Sæcularibus, quibus incumbit onus reddendi ratiocinia propter publica Officia adminiſtrata; puta Procuratoris, Exactoris, Tutoris, Curatoris, Depoſitarii &c.

De hac materia agitur in Decreto Gratiani diſt.51. 53. 56. per totum.

In hoc ergò cap., quod incipit. *Magnus Epiſcopus*. Ex Concilio Carthaginenſi, ſtatuitur, quòd obligati ad ratiocinia reddenda ob adminiſtrationem alicujus publici Officii promoveri non poſſunt ad Ordines, niſi depoſitis Officiis, & redditâ ratione ſuarum adminiſtrationum: ſed antè non ſunt promovendi, quia Eccleſia infamaretur, ſi poſtea convenirentur in judicio ſuper Officiis ſuis.

TITULUS XX.

De Corpore vitiatis Ordinandis, vel non in 7. capita diſtinctus.

VIſo de impedimento ob ratiocinia, videndum eſt de impedimento, quod naſcitur ex defectu corporis.

De hac materia habetur in Decreto Gratiani diſt.55. per totum.

In 1. cap., quod incipit. *De Presbytero*. Ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd Presbyter, qui in Duello partem digiti amiſit, non tamen tantam, quin ſinè ſcandalo poſſit ſolemnitèr celebrare, ex diſpenſatione ſui Epiſcopi, peractâ pœnitentiâ, poterit in ſuo Ordine miniſtrare.

In 2.cap., quod incipit. *Cùm de tuâ*. Ex eodem, ſtatuitur, quòd habens maculam in oculo, quæ non inducit magnam deformitatem, poterit ex commiſsione Papæ à ſuo Archiepiſcopo diſpenſari, ut in ſuo Epiſcopatu, ad quem electus eſt poſsit conſecrari: ſecùs autem ſi magnam deformitatem afferret.

In 3. cap., quod incipit. *Ex parte*. Ex Clemente III. ſtatuitur, quòd qui in cunabulis factus eſt Eunuchus, licitè poteſt ad Ordines promoveri. In Concilio enim Nicæno ſolùm illi Eunuchi prohibentur, ordinari, qui ſe ipſos abſciderint, aut affectaverint, ut ab aliis abſcindantur; talis autem affectatio in Puero exiſtente in cunabulis eſſe non potuit. Immò in Canonibus Apoſtolorum eſt manifeſtè ſancitum, quòd Eunuchus per inſidias hominum factus, vel ità natus, aut ſi in perſecutione ſint

ſint ei amputata vitilia, & aliàs fuerit dignus, poſsit in Epiſcopum promoveri.

In 4. cap., quod incipit. *Significat*. Ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Sacerdos ad vitandas tentationes, putans ſe Deo præſtare obſequium, fecerit ſibi amputari virilia, poterit à ſuo Epiſcopo diſpenſari, ut in Officio Sacerdotis miniſtret, præter celebrationem miſſæ: quia non ferro, ſed Religione quærenda eſt caſtitas, neque licitum eſt in ſuum corpus ſævire.

In 5. cap., quod incipit. *Ex parte*. Ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd Sacerdos, qui ex juſtâ causâ, puta gravis infirmitatis facit ſibi vitilia abſcindi de conſilio Medici, non evadit Irregularis, ſed poteſt licitè in Altari miniſtrare, quia talis Irregularitas contrahitur ex voluntaria abſciſſione, ut Sacri Canones loquuntur.

In 6. cap., quod incipit. *Expoſuiſtis*. Ex eodem, ſtatuitur, quòd mutilatus unâ manu, ſi abſque ſpeciali diſpenſatione promotus fuerit in Abbatem, ab Abbatia eſt deponendus: nam cum iſte ſit Irregularis, nec ad Sacros Ordines poſsit aſcendere, etiam Abbatiæ iudicatur indignus, cum Abbas debeat eſſe Sacerdos.

In 7. cap. quod incipit. *Thomas Monachus*. Ex Honorio III. ſtatuitur, quòd ille, qui caret ungulâ Pollicis, dummodò ſit fortis in Pollice, ad miniſtrandum in Altari, & ad frangendam Hoſtiam, poteſt licitè ad Sacerdotium promoveri: nam parva deformitas non impedit promotionem. De hoc agit S. Th. in Suppl. 3. par. qu. 39. art. 6. in corpore ubi ſic habit: *Aliquis efficitur ineptus ad ſuſceptionem ordinum, vel propter impedimentum actus, vel propter impedimentum claritatis Perſonæ; & ideò patientes defectum in membris impediuntur à ſuſceptione ordinis, ſi ſit talis defectus, qui maculam notabilem inferat, per quem obſcuretur Perſonæ claritas, ut abſciſſio naſi, vel periculum in executione facere poſſit, aliàs non impediuntur, hæc autem integritas requiritur de neceſſitate præcepti, ſed non de neceſſitate Sacramenti*. Hæc D. Th.

TITULUS XXI.

De Bigamis non ordinandis in 7. capita diſtinctus.

POſtquàm de corpore vitiatis dictum eſt, ſequitur Titulus præſens de Bigamis, cum etiam iſti, utpote Irregulares excludantur ab Ordinum ſuſceptione propter vitium incontinentiæ, quod in eis præſumitur. Agitur de hac materia in Decreto Gratiani diſt. 16. & 26. & 28. qu. ultima per totum; & in 6. Decretal. Titulo 12.

In 1. cap., quod incipit. *Ut Bigami*, ex Concilio Aurelianenſi, ſtatuitur, quòd Bigami, vel ſolemniter Pœnitentes, vel repudiatatum Mariti ad Ordines promoveri non poſſunt. Primi propter defectum Sacramenti. 2. Propter publicam infamiam. 3. Propter vinculum Matrimonii.

In 2. cap., quod incipit. *Super eo*, ex Lucio III. ſtatuitur, quòd ſi Bigamus promoveatur ad Sacros Ordines, Ordinator ejus eſt privandus poteſtate ordinandi, & Ordinatus ipſo jure caret exercitio ſui ordinis, nec Epiſcopus habet poteſtatem cum eo diſpenſandi, ſed ſolum Summus Pontifex diſpenſare cum Ordinatore, ne ſit privatus ordines conferendi.

In 3. cap., quod incipit. *De Bigamis*, ex Cæleſtino III. ſtatuitur, quòd nec Bigami, nec viduatum mariti, ſive viventibus uxoribus, ſive defunctis ad ordines promoveri poſſunt, cum hoc expreſsè prohibeatur ab Apoſtolo ad Titum cap. 1., & hoc propter defectum Sacramenti; Bigamus enim diviſit carnem ſuam, qui defectus reparari non poteſt, nec per Baptiſmum, nec per pœnitentiam, nec per mortem uxoris.

In 4. cap., quod incipit. *Nuper*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd qui mortuâ prima uxore, promotus ad Sacros Ordines aliam de facto uxorem ducit, & eam cognoſcit; licèt revera Bigamus non ſit, cum ſecundum Matrimonium ſit nùllum propter impedimentum Ordinis Sacri, tamen interpretativè habendus eſt ut Bigamus: quia licet non habuerit duas uxores

res de jure, habuit tamen unam de jure, & aliam de facto; unde propter affectum intentionis cum opere ſubſecuto, putatur tamquam Bigamus. Ex quo deducitur à Gloſſa: Bigamiam aliam eſſe propriam, & veram; aliam impropriam, & interpretativam. Propria tripliciter contingit, ſcilicet, vel qnando quis duas habuit uxores ſucceſſivè, & utraſque cognovit: vel quando quis unam habuit, & cognovit, ſed viduam, vel ab alio corruptam: vel quando quis cognovit uxorem ſuam, ſciens eam adulteraſſe. 2. Scilicet interpretativè duobus modis cōtingit, videlicet, primò cum quis duas ſimul habet uxores, unam de jure, valido Matrimonio acceptam; aliam de facto, invalido ſcilicet Matrimonio ſibi unitam, & utraſque affectu maritali cognoſcit: vel quando quis adſtrictus voto ſolemni Caſtitatis, vel Ordinis, vel Religionis Matrimonium contrahit, & conſumat. Hujuſmodi enim matrimonia licèt non ſint valida, fictione tamen juris, & interpretativè habentur tamquàm Bigami propter affectum intentionis.

In 5. cap., quod incipit. *Debitum*, ex eodem ſtatuitur, quòd qui contraxit cum Virgine, licet hæc cum alio fuerit deſponſata, non propter hoc Bigamus cenſetur, eo quòd non fuit ab alio cognita; unde non adeſt defectus ſignificationis unitatis Sacramenti.

In 6. cap., quod incipit, *Quia*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui plures habuit Concubinas, non propter hoc eſt Bigamus propter eamdem rationem ſupradictam; quia non adeſt defectus ſignificationis unitatis Sacramenti, nec verè, nec interpretativè.

In 7. cap. quod incipit. *A nobis*. ex eodem, ſtatuitur quòd Subdiaconus, qui contraxit cùm Vidua, & eam cognovit; licèt reverà Bigamus non ſit propter nullitatem Matrimonij ratione Ordinis Sacri, Bigamiæ tamèn pœnam incurrit proptèr affectum intentionis cùm opere ſubſecuto: undè fictione juris Bigamus dicitur Bigamiâ interpretativâ, ut dictum eſt. De hac materia agit S.Thom. in ſupplem. 3. part. per totam quæſt. 66., & præcipuè art. 1. in Corpore, ubi fusè probat, Bigamiæ irregularitatem eſſe annexam, & per conſequens Bigamos eſſe ab ordinibus arcendos his verbis. *Aliquis per Sacramentum Ordinis Miniſter Sacramentorum conſtituitur, & ille, qui aliis Sacramenta miniſtrare debet, nullum defectum in Sacramentis pati debet; defectus autem in Sacramento eſt, quando Sacramenti ſignificatio integra non invenitur; Sacramentum autem Matrimonii ſignificat conjunctionem Chriſti ad Eccleſiam, quæ eſt unius ad unam. Et ideò requiritur ad perfectam ſignificationem Sacramenti, quòd Vir ſit tantùm unius Uxoris Vir, & Uxor ſit tantùm unius Viri Uxor, & ideò bigamia, quæ hoc tollit, irregularitatem inducit.* Hæc D. Thomas.

TITULUS XXII.

De Clericis peregrinis in quatuor Cap. diſtinctus.

Quia inter eos, qui prohibentur ordinari, ſunt Peregrini, qui vagantes per diverſas partes, vel non habent particulare domicilium; vel ſi habent dimiſſorias, non obtinuerunt à propriis Epiſcopis: ideò in præſenti de iſtis eſt ſermo.

Agitur de hac materia in Decreto Gratiani diſt. 71. 72. & 94., & cauſa 7. quæſt. 1. in multis Capitulis.

In 1. cap., quod incipit. *Tua nos*, ex Alexandro IV. ſtatuitur, quòd Clerici Ultramarini, & valdè remoti, ſi dicant eos fuiſſe ordinatos, non ſtatim eis eſt credendum, ſi non oſtendant ſuas literas per quinque Epiſcopos formatas, & ſigillatas, quia in uno, vel altero ſigillo poteſt intervenire dolus. Ulteriùs debet accuratè examinari eorum converſatio ab his, cum quibus morantur: nam per actus præſentes præſumitur de actibus præteritis.

In 2. cap., quod incipit. *Inter quatuor*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd Clericus peregrinus etiam ſi juret ſe eſſe promotum ad omnes Ordines, etiam Præsbyteratus, vel ad aliquos tantùm, non eſt ei credendum, ſi non deferat idonea argumenta ſuæ Ordinationis, ſcilicet literas teſtimoniales ſui Epiſcopi: undè ſine eis non eſt ei permittendum miniſtrare in

Altari, aut ad altiores ordines aſcendere; præſertim antequàm converſatio ejus fuerit approbata per aliquod tempus notabile.

In 3. cap., quod incipit. *Tua Fraternitatis*, ex eodem ſtatuitur, quòd Clerici, de quorum ordinatione non conſtat, ſive per literas, ſive per Teſtes, non debent permitti ab Epiſcopis, ut publicè celebrent, ſed ad ſummùm ſecretò devotionis cauſa; tunc enim tantùm ſibimetipſis, & non Populo præjudicium afferent, ſi aliàs Sacerdotes non eſſent.

In 4. cap., quod incipit. *Te nobis*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd Rectores Eccleſiarum Subditi Epiſcopo non poſſunt in ſuis Eccleſiis Clericos peregrinos inſtituere abſque proprii Epiſcopi licentiâ, & approbatione; licèt enim poſſint aſſumere Clericos de eàdem Diœceſi, non tamen extraneos, & incognitos propter periculum ne non ſint tales, quales ſe faciunt.

TITULUS XXIII.

De Officio Archidiaconi in 10. *Capita diſtinctus.*

TErminato tractatu de Ordinandis, de Dignitatum Officiis eſt videndum: & quia inter Dignitates infra Epiſcopum, Archidiaconus eſt major; ideò de eo agendum eſt in præſenti.

De hac materia habetur in Decreto Gratiani diſt. 25. cap. *Perlectis*, diſt. 72. cap. *Honoratus*, & diſt. cap. *fin.*

In 1. cap., quod incipit *Ut Archidiaconus*, ex libro Romani Ordinis ſtatuitur, in quo conſiſtat Officium Archidiaconi, ſcilicet, quòd ſit ſecundùm Jura antiqua Vicarius Epiſcopi, & ad ipſum pertineant cauſæ Clericorum, & eorum correctio; viſitatio Diœceſis in abſentia Epiſcopi, aut eo impedito. Hoc tamen eſt intelligendum juxta conſuetudinem Eccleſiarum.

In 2. cap., quod incipit *Officium* ex Concilio Toletano ſtatuitur, quòd Archidiaconus, qui ex nominis Ethimologiâ dicitur Princeps Miniſtrorum, debet in miſſis ſolemnibus, quando Epiſcopus celebrat cantare Evangelium; vel alteri committere, ut illud cantet: ſimiliter ad ipſum ſpectat providere de aliis Miniſtris Eccleſiæ, neque aliquid eſt legendum, vel cantandum in Choro, niſi ab eo fuerit reviſum, & approbatum. Et hoc ſimiliter juxta conſuetudines Eccleſiarum.

In 3: cap., quod incipit *Ea qua* ex Gregorio III. ſtatuitur, quòd Cuſtodia Vaſorum Eccleſiæ ſpectat ad Archidiaconum, taliter quòd ſi aliquid eorum, ex negligentia, vel fraude ipſius perierit, ipſe erit puniendus, & ad reſtitutionem tenebitur: nam ſolet negligentia fraudi comparari.

In cap. 4., quod incipit *Cum ſatis*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd Archidiaconus non poteſt ſibi uſurpare authoritatem committendi curam animarum, cum hæc ſpectet de jure ad Epiſcopum: undè non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium, ad Archidiaconum non ſpectat; cùm Archidiaconus non habeat juriſdictionem authoritativam.

In cap. 5., quod incipit *Archidiaconis* ex eodem ſtatuitur, quòd Archidiaconus de jure communi non poteſt excommunicare, niſi authoritate Epiſcopi, & de ejus commiſſione, ſecus autem ſi in contrarium adeſſet conſuetudo præſcripta.

In 6. cap., quod incipit *Mandamus*, ex eodem ſtatuitur, quòd Archidiaconus Eccleſias ſibi commiſſas ſemel in anno viſitare poterit, niſi aliqua ſpecialis cauſa emerſerit, ut pluriès eas viſitet. Sufficit enim regulariter loquendo Prælatum non localem, ſed Generalem ſemel in anno viſitare Gregem ſibi commiſſum.

In 7. cap., quod incipit *Ad hæc*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd Officium Archidiaconi eſt imperare Subdiaconis, & Levitis, examinare Ordinandos, & eos Epiſcopo præſentare; in cura, & adminiſtratione Eccleſiarum invigilare; undè oculus Epiſcopi à Clemente Papa nominatur, quoniam loco ipſius Epiſcopi corrigit corrigenda, & emendanda in Clericis emendat; niſi tales fuerint defectus, quòd abſque Epiſcopi authoritate puniri nequeant. Deindè ſtatuitur, quòd Rurales Decani, ſcilicet Archipræsbyteri Rurales, qui exercent utrumque Officium in

ſuâ

ſuâ Parochiâ, ſcilicet Epiſcopi, & Archidiaconi debent ab utroque inſtitui, ſcilicet Epiſcopo, & Archidiacono, & ab utroque deſtitui, ſi opus fuerit; quod enim omnes tangit, debet ab omnibus approbari.

In 8. cap., quod incipit *Significaſti*, ex eodem ſtatuitur, quòd Archidiaconus non poteſt dare literas commendatitias, ſeu dimiſſoriales promovendis, ſed hoc ſpectat de jure ſolùm ad Epiſcopum. Quòd ſi aliquis ordinetur cùm commendatitiis Archidiaconi, & non Epiſcopi, remanet ſuſpenſus ab executione Ordinis ſuſcepti.

In 9. cap., quod incipit *Ut noſtrum*, ex eodem ſtatuitur, quòd de jure communi ad Archidiaconum ſpectat præſentare Ordinandos Epiſcopo, & illos examinare, & ponere Prælatos, ſcilicet Abbates, & Abbatiſſas in Sede.

In 10. cap., quod incipit *Dilecto Filio*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd Archidiaconi de jure communi ſuper Monaſteria, & Monachos nullam habent juriſdictionem, niſi quantùm fortè tribuit eis generalis, vel ſpecialis longa conſuetudo legitimè præſcripta; nam conſuetudo legitima in contrarium derogat legi communi. Videatur D. Thom. in 4. diſt. 25. quæſt. 1. art. 1. ad 2., ubi ait: *Dicendum, quòd Archidiaconus eſt quaſi Princeps Miniſterij, ideò omnia; quæ ad miniſterium pertinent ipſe tradit, ſicut cereum quo Acolithus Diacono ſervit ante Evangelium, ipſum portando, & Urceum quo ſervit Subdiacono, & ſimiliter dat Subdiacono ea, quibus ſuperioribus Ordinibus ſervit &c.*

TITULUS XXIV.

De Officio Archipræsbyteri in 4. Capita diſtinctus.

QUia poſt Archidiaconatum ſequitur ſecunda dignitas, ſcilicet Archipræsbyteratus: ideò de Archipræsbytero in præſenti erit tractandum.

Agitur de hac materia in Decreto Gratiani diſt. 25. cap. *Perlectis*, verſu Archipræsbyter.

In 1. cap., quod incipit *Ut Archipræsbyter*, ex Concilio Toletano ſtatuitur, quòd Archipræsbyter debet ſubeſſe Archidiacono, & ei obedire ſicut Vicario Epiſcopi. Ad ipſum autem ſpectat cura aliorum Præsbyterorum, & in abſentiâ Epiſcopi Miſſam ſolemniter celebrare, aut ille cui ipſe injunxerit.

In 2. cap., quod incipit. *Miniſterium*, ex Leone Papa ſtatuitur, quòd Archipresbyter debet habere curam, & ſollicitudinem de omnibus Sacerdotibus, ut Epiſcopi ſui mandatis obediant; in abſentia autem Epiſcopi debet omnia Officia Epiſcopi ſupplere, exceptis iis, quæ de jure communi ad Archidiaconum, vel ad alios Miniſtros ſpectant.

In 3. cap., quod incipit. *Officium*, ex eodem ſtatuitur, ad Archipresbyterum pertinere, abſente Epiſcopo, ejus vice Officium in Choro inchoare, benedictiones dare, Miſſam, quandò voluerit, cantare, vel aliis committere. Quandò Epiſcopus ſolemniter celebrat, debet committere Sacerdotibus, ut induant ſe veſtibus ſacris, & qualiter ad Miſſam procedant. Inſuper ad ipſum ſpectat cura infirmorum, ne decedant abſque Sacramento Pænitentiæ, & Sacramento Euchariſtiæ, quæ propter hoc debet in Eccleſia in Sacrario conſervari: ſimiliter confeſſiones eorum, qui à foris veniunt, recipere, & Sacramentum Baptiſmi infantibus miniſtrare. Quæ omnia ſive per ſe, ſive per alios Sacerdotes ex ſui commiſſione agere debebit; ſpectat enim ad ſuum Officium.

In 4. cap., quod incipit. *Ut ſingulæ*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Archipræsbyter Ruralis debet omnem curam, & ſollicitudinem habere omnium tum Presbyterorum, tum Laicorum ſuæ Plebaniæ, ut omnes divinum opus exerceant: ſecus Epiſcopo renunciet, ut per Epiſcopum canonicè puniantur: debet autem ſuo obedire Epiſcopo tamquam Judici Ordinario in ſua Diœceſi, nec contra illius voluntatem aliquid ordinare.

TITULUS XXV.

De Officio Primicerij unico capite compræhenſus.

QUià poſt Archipræsbyterum inter Dignitates ſequitur Primiceriatus; ideò pòſt tractatum de Archipræsbytero, de Primicerio eſt dicendum.

Agitur de Officio Primicerij in Decreto Gratiani diſt. 25. cap. *Perlectis*.

In hoc ergo cap. quod incipit. *Vt Primicerius*, ex libro Romani Ordinis, ſtatuitur, quod Primicerius eſt ſub Archidiacono, ſicut & Archipræsbyter, ut dictum eſt: & ad eum ſpectat ſpecialiter docere Diaconos, & reliquos Clericos ea, quæ in Choro cantanda ſunt, lectiones diſtribuere, Reſponſoria aſſignare, Antiphonas imponere, & alia ordinare, quæ ad Divinum ſpectant Officium, ut congruè, & abſque errore perſolvatur: unde non immeritò juxtà diverſas Eccleſiarum conſuetudines Primicerius Cantor appellatur, vel Præcentor, vel Succentor vel Præpoſitus Chori: idem enim hæc omnia ſignificant.

TITULUS XXVI.

De Officio Sacriſtæ unico Capite compræhenſus.

VIſo de Officio Primicerii, videndum eſt, de Officio Sacriſtæ, ideſt Theſaurarii Eccleſiæ.

Agitur de hac materia in Decreto Gratiani cap. *Perlectis*.

In hoc ergò cap., quod incipit. *Ut ſciat*, ex Concilio Toletano ſtatuitur, quòd Sacriſta eſt ſubjectus Archidiacono: nam de ejus commiſſione debet habere cuſtodiam Sacrorum Vaſorum, Veſtimentorum Eccleſiaſticorum, nec non eorum, quæ ad luminaria pertinent, ſive in cerâ, ſive in oleo.

TITULUS XXVII.

De Officio Cuſtodis in duo cap. diſtinctus.

QUia Cuſtos Eccleſiæ eſt quaſi Miniſter Sacriſtæ; ideò poſt quam de Sacriſta dictum eſt, agitur de ejus Miniſtro, ſcilicet Cuſtode.

In 1. cap., quod incipit. *Cuſtos*, ex Libro Romani Ordinis ſtatuitur, quòd Cuſtos Eccleſiæ debet obedire Archidiacono, & ad ejus mandatum ad Canonicas Horas pulſare, ornamenta Altarium, & alia utenſilia ſacra diſtribuere, & aptare prò ornatu Eccleſiæ, & circa Lampades eſſe pervigil, ne extinctæ remaneant: ſi autem negligens fuerit, per Archidiaconum corrigatur, aut expellatur; quia ineptus Miniſter tamquam inutilis abEccleſia ejici debet. Maxima autem diſcretio in Miniſtro eſt neceſſaria, cum diſcretio ſit Mater Virtutum.

In 2. cap., quod incipit: *Cuſtos ſollicitus*, ex Concilio Toletano, ſtatuitur, quòd Cuſtos deber eſſe ſollicitus de Ornamentis Eccleſiæ, luminarijs, incenſo ad thurificandum, pane, & vino ad conſecrandum, & de pulſatione Campanarum, & de eleemoſynis, decimis, & oblationibus colligendis, & de conſenſu Archidiaconi dividendis, 2. ſubditur quod in his tribus conſiſtit Sancta Mater Eccleſia, ſcilicet, Archidiacono, Archipræſbythero, & Cuſtode, unde debent eſſe boni, diligentes, & concordes.

TITULUS XXVIII.

De Officio Vicarij, in ſex capita diſtinctus.

POſtquàm viſum eſt de ijs, qui ſerviunt Eccleſiæ nomine proprio, videndum eſt de ijs, qui Eccleſiæ ſerviunt nomine alieno, vt eſt Vicarius Eccleſiæ, qui ei ſervit in divinis, nomine principalis, ut ſunt Vicarii Eccleſiarum perpetui, vel temporales; ideò in præſenti agitur de illis. De

De hac materiâ tractatur in decreto Gratiani diſt. *93.* cap. *fin.* & diſt. *94.* cap. *2.* & cauſa *16.* qu. *7.* cap. *In nova*.

In primo cap. quod incipit. *Ad audientiam*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd ſi Vicarius alicujus Eccleſiæ Beneficium curatum ſit adeptus. & illud acceptaverit, eo ipſo Vicariâ remanet privatus, cum non poſſit duabus Eccleſiis curam animarum habentibus inſervire.

In 2. cap. quod incipit. *Provideas*, ex eodem, ſtatuitur, ne quis plures ſimul habeat Vicarias propter rationem ſupradictam, quia nullus poteſt pluribus Eccleſijs ſimul inſervire. Vicarius autem tenetur ſervire Eccleſiæ, cujus eſt Vicarius.

In 3. cap. quod incipit. *Ad hæc*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi quis fuerit ab Epiſcopo conſtitutus perpetuus Vicarius alicujus Eccleſiæ, non poterit amoveri à Rectore illius Eccleſiæ, vel ſuâ portione reddituum ullatenus fraudari inconſulto Epiſcopo, & abſque urgenti cauſa.

In 4. cap. quod incipit. *Clericos*, ex eodem, ſtatuitur, quòd nullus Vicarius Eccleſiæ poteſt ſibi ſubſtituere alium Vicarium pro ſervitio ejuſdem Eccleſiæ, cùm ſervitium Vicarii, quòd præſtatur Eccleſiæ debeat eſſe perſonale, & per ſe ipſum adimplendum, & non per alium.

In 5. cap. quod incipit. *Sua nobis*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd Juriſdictio Vicarii Domini Papæ non extenditur extra Urbem, niſi ei ſpecialiter ſit conceſſum: unde ſi à Vicario Papæ aliquid ſtatuitur, contra abſentes ab Urbe irritum eſt, ac inane propter carentiam Juriſdictionis.

In 6. cap. quod incipit. *Ex parte tua*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd Vicarii Eccleſiarum debent propriis Eccleſiis inſervire perſonaliter: quòd ſi in hoc fuerint negligentes, debent compelli per ſubtractionem proventuum, aut pèr amotionem ab Officio.

TITULUS XXIX.

De Officio, & Poteſtate Judicis Delegati in capita 43. diſtinctus.

Dictum eſt in Superiori titulo de eo, qui gerit vices alienas in divinis Officiis, ſcilicet de Vicario Eccleſiæ: nunc ſequitur agendum de eo, qui gerit vices alienas in Eccleſiaſticis Judiciis, & in Juriſdictione contentioſâ.

Agitur de hac materia in Decreto Gratiani diſt. 28. *cap. quia ſunt*, & diſt. 74. cap. *Quorumdam*, & diſt. *94.* cap. 1. & 2. & Cauſa 25. quæſt. 2. *igitur*; & ſimilitèr in *6.* in Clementin. & in extravag. eodem Titulo.

In 1. cap. quod incipit. *Quia*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd Judex à Papa delegatus habet poteſtatem non ſolùm contra principales, quorum cauſa ventilatur, ſed etiam in omnes alios, qui juſtitiam nituntur impedire, quos poteſt, & debet cenſuris coercere: nam agentes, & conſentientes pari pœna puniri debent.

In 2. cap. quod incipit. *Sanè*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi ſuper eâdem Cauſâ plures literæ à Papa ſub diverſa forma cum eâdem datâ fuerint ad eoſdem Judices delegatos expeditæ, in tali caſu Judices ſuſpendant executionem cauſæ, quouſque informetur Papa de diverſitate talium literarum, & habeatur manifeſtatio ſuæ voluntatis.

In 3. cap. quod incipit. *Si pro debilitate*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Judex delegatus à Papa, ſi ipſe ſit impeditus, ſubdelegare poterit cauſam alteri; quæ ſinè ipſo commodè ab eo terminari poterit: Quòd tamen intelligitur non de Cauſis gravioribus, & dubiis, quæ ſinè præſentia, & aſſenſu Delegati à Papa terminari non debent; ſed de Cauſis minoribus, & facilioribus.

In 4. cap. quod incipit. *De Cauſis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Cauſa fuerit commiſſa infra determinatum tempus decidenda, niſi de conſenſu partium prorogetur tempus, elapſo tempore aſſignato à Delegante, expirat Juriſdictio Judicis delegati in caſû tali: ſecus ſi aſſentiente utra-

que

que parte prorogetur. 2. ſtatuitur in hac Decretali, quòd Judex à Papa delegatus tenetur contrà contumaces ferre ſententiam ſtatutam in Jure; & non aliam; quòd ſi talis ſit cauſa, ut nulla pœna ſpecialis ſit in jure expreſſa, tunc poterit punire reum pœnâ arbitrariâ, ſeù extraordinariâ.

In cap. 5. quod incipit. *Præterea*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Judex delegatus per ſimplicem commiſſionem Cauſæ acquirit jus citandi partes, contumaces punire, & reliqua facere, quæ ſpectant ad cauſam: nam cui committitur principale, committuntur omnia acceſſoria, annexa, & connexa cum eo.

In 6. cap. quod incipit. *Quamvis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Judex delegatus ſemper committere vices ſuas poteſt, niſi ei prohibeatur: undè ſi duobus ſit commiſſa aliqua cauſa terminanda, unus eorum poterit benè vices ſuas alteri committere, etiam ſuo conjudici; licèt hoc in literis non exprimatur: implicitè enim intelligitur, & de jure.

In 7. cap. quod incipit. *Significaſti*, ex eodem ſtatuitur, quòd Delegatus Papæ poteſt per ſe ipſum exequi ſententiam ſuam in caſu, in quo Judex Ordinarius, ad quem ſpectaret executio, nollet, aut non poſſet eam exequi, poteſtque Cenſuris Eccleſiaſticis coercere quoſcumque impedientes eum, tàm in cognoſcendo, quàm in exequendo.

In 8. cap. quod incipit. *Si quandó*, ex eodem, ſtatuitur, quod Judex Ordinarius, ad quem ſpectat executio ſententiæ Judicis Delegati à Papa, ſi certò cognoſcat Perſonam, in cujus favorem Judex delegatus protulit ſententiam, & mandat exequi, non eſſe canonicè capacem, nec canonicè inſtitutum, in tali caſu non debet violentèr reſiſtere judici delegato, ſed tantum precibus inſtare, ut differatur executio, donec Papa conſulatur.

In 9. cap. quod incipit. *In literas*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Juriſdictio Judicis Delegati expirat poſt diffinitivam ſententiam executioni mandatam, quia ſemel eſt officio ſuo functus, nec aliquid ei remanet agendum: unde ceſſat Juriſdictio demandata.

In 10. cap. quod incipit. *Conſultationibus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Judex delegatus in cauſa injuſtæ ſpoliationis, & à Papa commiſſa ſub hac forma, ut infra tale tempus Beneficium reſtituatur ſpoliato; ſi is probaverit, ſe fuiſſe injuſtè ſpoliatum, in caſu quo injuſtus ſpoliator ſit abſens ratione peregrinationis, vel ſtudii, & infrà tale tempus non poſſit ſuam poſſeſſionem defendere, non debet talis Judex delegatus pronunciare ſententiam, ſed expectare, & ſuperſedere: ſecus autem ſi ſpoliator ultrò factus ſit abſens, & convincatur.

In 11. cap. quod incipit. *Sanè*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Delegatus Papæ in cauſis ſibi commiſſis omnem habet Juriſdictionem ſupèr Judices ordinarios, & quoſcumque majores: nàm delegatus vices gerit adlegantis; cùm autèm Juriſdictio Papæ ſit ſupèr quoſcumque alios, ſequitur, quod etiàm Juriſdictio Delegati ab eo, in tali causâ, in qua delegatur, ſit ſuper omnes alios.

In 12. cap. quod incipit. *Ex parte*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi plures literæ impetrentur à Papa in favorem plurium ſuper uno, eodemque Beneficio vacaturo, & primæ literæ fuerint præſentatæ Judici delegato, vel Ordinario, ſecundæ literæ, in quibus non ſit aliqua mentio de prioribus vacante tali Beneficio, non poſſunt impedire collationem prædicti Beneficii in favorem primi, tùm quia prior tempore eſt potior jure; tum quia ſecundę literæ videntur obreptitiæ, cum in ipſis non revocentur primæ, nec de eis fiat mentio: unde videntur in fraudem impetratæ; quia ſi Papa memor extitiſſet de primis jam datis, vel has ſecundas non dediſſet, aut eas revocaſſet.

In 13. cap. quod incipit. *Ex parte tua*, ex eodem ſtatuitur, quòd ubi expreſſa voluntas Papæ in contrarium non apparet, Judex delegatus in Judicio debet formam juris communis ſervare, & rationabiles exceptiones à jure conceſſas admittere: nam in judiciis, regulariter loquendo, ſemper ſervanda eſt æquitas à jure ſtatuta.

In 14. cap. quod incipit. *Quoniam*, ex eodem ſtatuitur, quòd delegatio Papæ facta Dignitati, puta Epiſcopo, vel Archidiacono, non expreſſo nomine proprio, tran-

tranſit ad ſucceſſorem; quia delegatio non fit intuitu perſonæ, ſed intuitu dignitatis.

In cap. 15. quod incipit. *Super eo*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Papa committat Judici delegato cauſam de jure præſentandi, eum hac clauſula; *quòd ſi conſtiterit jus, de quo agitur ad alterutram partem pertinere, in favorem illius Judex delegatus proferat ſententiam, appellatione remotâ*; & inſtitutio talis præſentati in poſſeſſionem Eccleſiæ de jure pertineat ad Epiſcopum, vel Archidiaconum, aut Archipresbyterum; hi poterunt appellare circa jus inſtituendi, & ponendi in poſſeſſione; licèt à Papa inhibita ſit appellatio inter partes circa jus nominandi: nam jus nominandi eſt diſtinctum, & diverſum à jure inſtituendi; à diverſis enim non fit illatio, unde poteſt inhiberi appellatio in uno, & non in alio.

In cap. 16. quod incipit. *Cauſam*. ex eodem ſtatuitur, quòd ſi aliqua cauſa à Papa fuerit ſimpliciter delegata duobus Judicibus, ſententia unius tantùm eorum non valet, niſi alter illorum Conjudici commiſerit vices ſuas, vel niſi hoc fuerit expreſſum in literis Commiſsionis, ut ſcilicet uno impedito alter ſolus ſufficiat.

In cap. 17. quod incipit. *Cauſam quæ*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi à Papa inſtituitur Iudex delegatus ille, qui eſt Dominus Impetrantis, poterit à parte contrariâ recuſari tamquam ſuſpectus. Qua occaſione notandum eſt ex Gloſſa, ſex eſſe caſus, in quibus Iudex poteſt recuſari tamquam ſuſpectus 1. Si ſit Dominus Impetrantis, ut dictum eſt, 2. Si ſit Vaſſallus impetrantis, 3. Si ſit illius Suffraganeus, 4. Si ſit illius conſanguineus, 5. Si fuerit illius Advocatus in eadem cauſa, 6. Si ipſe habeat conſimilem cauſam. In omnibus enim his caſibus poterit à partê contrariâ dari exceptio contra Judicem tamquàm ſuſpectum.

In cap. 18. quod incipit. *Cum te*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Delegatus Papæ committit cauſam alteri, ſed non in totum, ſed in partem, ſcilicet, quòad examen Teſtium, ſed non quo ad prolationem ſententiæ; ſi quòad examen Teſtium fuerit appellatum, talis appellatio debet recognoſci à Delegato, cùm ejus perſeveret Iuriſdictio in tali cauſâ uſque ad prolationem ſententiæ.

In cap. 19. quod incipit. *Relatum*, ex Lucio 3. ſtatuitur, quòd morte Delegantis non expirat Iuriſdictio Delegati, ſi lis fuerit conteſtata, aut ſaltem citatæ partes à Delegato, itaut res non ſit integra: nam eſt certum, quòd mandatum expirat per mortem mandantis re exiſtente integrâ; ſi autem cauſa ſit incæpta, non expirat.

In cap. 20. quod incipit. *Gratum*, ex Urbano III. ſtatuitur, quòd ſi Delegatus antè mortem Delegantis citaverit partes in cauſâ ſibi commiſsâ, eius Iuriſdictio perpetuatur in tali caſu. Similiter ſtatuitur, quòd qui appellaverit ab aliquo Iudice, ſi poſtea coram eodem Iudice litem proſequitur, prædictæ appellationi factæ renunciaſſe intelligitur.

In cap. 21., quod incipit. *Prudentiam tuam*, ex Celeſtino III. ſtatuitur, quòd ſi cauſa à Papa committitur tribus Judicibus cum Clauſula; *quòd ſi non omnes intereſſe potuerint, ſaltem duo in Cauſâ procedant*; ſi duo eorum citant Reum, tertio Iudice non requiſito, nec ſe excuſante, non tenetur Reus comparere, quià illi duo non ſervant formam mandati; debent enim tertium vocare, & expectare, aut ſaltem illius excuſationem habere: non enim valet proceſſus duorum, tertio inconſulto.

In cap. 22., quod incipit. *Cum Cauſâ*, ex Innocentio III. ſtatuitur: quòd ſi Cauſa a Papa ſimpliciter delegatur tribus, duo ſine ſubdelegatione tertij, procedere non poſſunt: debet enim tertius ſubdelegatus, ſi eſt impeditus, alium ſubdelegare, ei committendo vices ſuas, vel ſaltem uni ex Coniudicibus, aliàs Proceſſus non valet.

In cap. 23. quod incipit. *Cùm ſuper*, ex eodem, ſtatuitur, quod ſi duo ſint delegati cum clauſula, *quòd ſi ambo procedere nòn poſſint, unus illorum ſufficiat*, ſi reus appellando, unum eorum recuſet, alter ſolus poteſt quidem procedere, ſed non adhibito altero Coniudice legitimè recuſato.

In cap. 24., quod incipit *Conſuluit*, ex

ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Juriſdictio Judicis delegati expiret in termino peremptorio aſſignato partibus ad ſententiam, poſt congruam horam peremptorij; Judex, etiam ſi altera pars non compareat, proferat ſententiam: ſi autem Juriſdictio illius non expirat in die peremptorio aſſignato, poterit Judex expectare ad diem ſequentem, & iterum citare partem, quæ non comparuit; hoc tamèn non ex obligatione, ſed ex gratia, ſi voluerit.

In cap. 25., quod incipit. *Inſinuante*, ex eodem, ſtatuitur, quòd etiam lite conteſtata, ſi emerſerit nova cauſa, ad inſtantiam partis removetur Judex delegatus; puta ſi lis ſit inter duos, quorum unus tempore litis ſit familiaris ſervus Epiſcopi Judicis delegati; tunc ad inſtantiam ſui adverſarij delegatio eſt removenda àb Epiſcopo, cui pars adverſa effecta eſt familiaris: poteſt enim altera pars eum recuſare tamquam ſuſpectum propter familiaritatem.

In cap. 26., quod incipit. *Querenti*, ex eodem, ſtatuitur quod delegatus Papæ ſententiam ſuam poteſt exequi uſque ad integrum annum, unde ſi excommunicavit nolentem ſuæ ſententiæ parere, poterit idem Delegatus, cum ſi reſipiſcat, infra annum abſolvere: ſecùs anno tranſacto; tunc enim abſolutio pertinebit ad Papam propter inſordeſcentiam.

In cap. 27., quod incipit. *Super*, ex eodem ſtatuitur, quòd Delegatus Papæ poteſt cauſam ſibi commiſſam alijs ſubdelegare quoad principium, medium, & finem coniunctìm, vel diviſim, ſibi reſervatâ prolatione ſententiæ, quam ferre non debet, niſi prius viſis, & examinatis his, quæ a Subdelegatis acta ſunt in fabricatione Proceſſus.

In cap. 28. quod incipit *Paſtoralis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Delegatus à Papa, niſi tamen malitioſe procedat, poteſt ſubdelegare, & eum, quem ſubdelegat, compellere ad acceptandam ſubdelegationem: hoc enim pertinet ad privilegium delegati a Principe, ut alteri poſſit committere vices ſuas: In coactione tamen valde eſt attendenda dignitas, & qualitas Perſonæ.

In cap. 29., quod incipit. *ex literis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſubdelegatus à delegato Papæ Juriſdictionem habente, & ei tribuente, poteſt coercere Cenſuris impedientes ipſum in ſubdelegatione.

In cap. 30., quod incipit *licet*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Juriſdictio Judicis Delegati, re exiſtente integrâ; per mortem mandantis, ſcilicet, delegantis expirat: nam mandatum expirat per mortem mandantis, re integra; ſecùs re iam inceptâ ut dictum eſt.

In cap. 31. quod incipit. *Cum in iure*. ex eodem, ſtatuitur, quòd ad hoc ut delegatus legitimè exerceat officium ſuum, debet 1. docere de delegatione ſibi factâ; aliàs credendum ei non eſt, licèt àſſerat ſe eſſe delegatum; hoc enim debet conſtare.

In cap. 32., quod incipit *Cum olim Abbas*. ex eodem, ſtatuitur, quod Judex delegatus non poteſt excedere fines ſuæ delegationis: nàm mandatarius debet ſe continere intrà limites mandati; unde ſi delegatus tranſeat de causâ ſibi commiſſâ àd aliam cauſam diverſam, invalide facit, & illegitimè procedit.

In cap. 33., quod incipit. *Cum olim Magiſter*, ſtatuitur, quòd qui ſigilla relationis Judicum delegatorum à Papa violando aperuerit, non eſt poſtea audiendus contra eadem, ne fraus illi patrocinetur, unde debet puniri, in quo peccavit.

In cap 34. quod incipit. *Coram*, ex eodem, ſtatuitur, quod Delegatus non tenetur admittere Collegam ſibi adiunctum per literas ſubreptitiè obtentas, nec ipſius ſubdelegatum: tales enim literæ, cum ſubreptitiæ ſint, nullæ ſunt.

In cap. 35., quod incipit. *Cum R. Canonicus*. ex eodem ſtatuitur, quòd Reus recuſare poteſt locum, ad quem ſecurè accedere non poteſt ſicut etiam Canonicus poteſt recuſare pro Judice delegato alium Canonicum eiuſdem Eccleſiæ in causâ Canonicali: uterque enim habet juſtam cauſam recuſandi; 1. propter locum tamquam non tutum; 2. propter perſonam tamquam ſuſpectam.

In cap. 36., quod incipit. *Cum contingat*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi aliquis conqueratur Domino Papæ, quòd fuerit iniuſtè excomunicatus a ſuo Epiſ-

copo,

copo, & Papa delegat Judicem in hac cauſa, Judex debet Reum prius abſolvere à tali excommunicatione ad cautelam, deinde utramque partem audire, & procedere ad ſententiam:ſi autem manifeſtum ſit, excommunicationem illam fuiſſe nullam, vel propter intolerabilem errorem, quem continet, vel quia fuit excommunicatus poſt legitimam appellationem, tunc Reus præſumptus eſt audiendus,abſq. eo quòd abſolvatur, & etiam Epiſcopus debet audiri, quo audito, proceditur ad declarationem nullitatis Excommunicationis.

In cap. 37., quod incipit. *Venerabili*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd ſi ſubdelegatus Delegati Papæ uti cæperit Juriſdictione ſibi demandatâ, a delegato removeri non poterit; ſi autem exceſſerit formam Mandati, Proceſſus erit nullus.

In cap. 38., quod incipit. *Significantibus*, ex Gregorio IV., ſtatuitur, quòd ſi Delegatus pronunciaverit ſe Juriſdictionem non habere, ipſam, nec de conſenſu partium poteſt reaſſumere, quia Juriſdictio Judicis delegati non a conſenſu partium, ſed ab authoritate delegantis procedit: unde ſi delegatio fuit nulla propter defectum ſubreptionis, non redditur valida per partium conſenſum.

In cap. 39., quod incipit. *Suſpicionis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in caſu, quo reus recuſet Iudicem ſibi aſſignatum in ſua cauſa, poteſt talis Iudex ei aſſignare tempus congruum ad probandum cauſam ſuæ recuſationis, quo termino tranſacto, & non probatâ causâ legitimâ ſuæ recuſationis, Judex poterit ad ulteriora in eâ causâ procedere.

In cap. 40., quod incipit. *P. & G. per literas*, ex eodem, ſtatuitur, quòd juriſdictio, quæ datur Delegato, non poteſt ſe extendi niſi ad perſonas in reſcripto expreſſas: non enim debet Judex delegatus extendere fines ſuæ delegationis.

In cap. 41., quod incipit. *Cum vigeſimum*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ille, qui conſtituitur Iudex delegatus debet eſſe major 20. annis; in ætate autem 18. annorum de conſenſu partium poteſt inſtitui; in minori autem ætate delegatio facta non tenet, niſi facta ſit immediate ab ipſo Principe.

In cap. 42., quod incipit. *Uno delegatorum*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in caſu, quòd ſint dati plures Delegati in unâ causâ ſimpliciter, ideſt ſine illa clauſula; *quòd ſi non omnes &c.* ſi moriatur unus ex eis, aut ſi fuerit unus ex eis legitimè recuſatus, expirat juriſdictio data, itaut alii procedere non poſsint, niſi aliâ vice delegentur, & idem dicitur de Arbitris.

In cap. 43., quod incipit, *Quoniàm*, ex eodem, ſtatuitur, quod Delegatus Papæ poteſt ſubdelegare, licet datus ſit ex Officio, vel de conſenſu partium, vel cum clauſula, *& ſi non omnes &c.* ſi autèm Papa committat alicui negotium perſonaliter exequendum, talis delegatus de conſenſu partium poterit alium ſubdelegare; exceptis tamen duobus caſibus; ſcilicet ſi committatur aliqua ſpecialis inquiſitio facienda, vel aliqua proviſio Prælati, aut Miniſtrorum Eccleſiæ: in his enim eligitur induſtria, & fides perſonæ, quæ eligitur. Si verò committitur à Papa alicui nudum Miniſterium exequendum; tunc non poterit delegatus vices ſuas alteri committere, excepto tamen Legato Sedis Apoſtolicæ, qui alteri committit ſuum Miniſterium. Videatur D.Th. 2.2. q.67. de Injuſtitia ex parte Iudicis, ubi fusè hanc materiam pertractat, & ex ejus doctrina, quæ in hoc Titulo continentur, elucidantur. Et in 4. diſt. 47. q.1. art.2. queſtiun.2.ad 5.ubi ait.*Dicendum, quòd inferior non poteſt judicare ſuperiorem authoritate propriâ, ſed tamen authoritate ſuperioris poteſt ſicut patet in judicibus delegatis &c.*

TITULUS XXX.

De Officio Legati in 10. cap. diſtinctus.

POſtquàm de Officio Delegati tractatum eſt, ſequitur agendum de Officio Legati; quia hæc Officia conveniunt in hoc, quòd ſcilicet utrumque à Papa committitur aliquibus, ut gerant vices ſuas. Differunt autem in hoc, quod delegatio fit pro aliqua causâ, & negotio particulari: Legatio verò committitur pro univer-

ſalitate cauſatum in tali Provincia, ſeu Regno.

Agitur de hac materia in Decreto Gratiani diſt. 94. & diſt. 97. per totum, & causâ 1. q. 5. cap. *Quanto*, aliiſque in locis decret. & in 6. Titulo 15. de Officio Legati per totum.

In cap. 1. quod incipit. *Cum non*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd hoc eſt privilegium Legati Papæ, quicumque ille ſit, ſive datus, ſive natus, quòd ſcilicet in ſuâ Provinciâ, aut Regno poſſit adiri non ſolùm per appellationem, ſed etiam per ſimplicem quærimoniam, ut accidit in Archiepiſcopo Cantuarienſi, qui eſt Legatus natus Domini Papæ, nàm tali dignitati Archiepiſcopali eſt ex privilegio particulari unitum Officium Legationis; unde poteſt audire Clericos ſuffraganeorum, non ſolùm per appellationem, ſed etiàm per ſimplicem quærimoniam.

In cap. 2., quod incipit. *Studuiſti*, ex Cœleſtino III. ſtatuitur, quòd licèt Legatus Papæ habeat generalem juriſdictionem in Provinciâ ſibi demandatâ, non tamen poteſt impedire aliquem particularem Delegatum Papæ in aliquâ causâ in eadem Provincia, ſi iſte particularis Delegatus rationabiliter proceſſit, & juxtà formam mandati, ſed tenebitur ſententiam confirmare, & executioni mandare: nam mandatum particulare non derogat mandato generali.

In cap., quod incipit. *Niſi ſpecialis*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd Legatus etiam à latere non habet poteſtatem transferendi Epiſcopum ad alium Epiſcopatum: hoc enim ſecundùm Canonicas inſtitutiones pertinet præcisè ad Papam, quam authoritatem Legato etiam à latere, ſcilicet Cardinali, non ſolet, nec debet conferre; eſt enim authoritas meri imperii ſoli Papę reſervata.

In cap. 4., quod incipit. *Quòd tranſlationem*, ex eodem ſtatuitur, quòd Legatus etiam à latere non habet authoritatem unam Eccleſiam Cathedralem alteri ſubiicere, & alteri concedere jus Primatiæ, vel duos Epiſcopatus unire, vel unum dividere; hæc enim omnia ſpectant privativè ſolùm ad Papam. Habet tamen authoritatem abſolvendi ab excommunicatione propter injectionem manus violentæ in Clericum.

In cap. 5., quod incipit. *Licèt*, ex eodem ſtatuitur, quòd Legatus ex quo aliquam cauſam remittit ad Papam, in ea cauſa non poteſt ultrà procedere, niſi ſuperveniat nova delegatio Papæ: nam Judex amittit juriſdictionem in eâ causâ, quam ſuo renunciavit Superiori; & ſi quid poſtea fecerit, nihil valet.

In cap. 6., quod incipit. *Dilectus Filius*, ex eodem ſtatuitur, quòd Legatus à latere Apoſtolicæ Sedis, poteſt Eccleſiam conferre, etiam inconſulto Patrono illius Eccleſiæ, præſertim ſi Patronus ille, ad quem ſpectat Præſentatio, ſit Ordinis Clericalis: nam plùs juris habet in conceſſione Legatus Papæ, quàm in præſentatione Patronus.

In cap. 7., quod incipit. *Novit*, ex eodem ſtatuitur, quòd qui legationem exercet in pluribus locis, ſeu Provinciis, exiſtens in ſuâ Provinciâ, poteſt juriſdictionem ſuam exercere in qualibet earum, dummodò totaliter non exeat extrà Territorium ſuæ legationis: nam Legatus extrà fines ſuæ legationis authoritatem non habet; non enim poteſt ſe extendere ultrà fines mandati.

In cap. 8., quod incipit. *Volentes*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd exiſtente de latere Legato in aliquâ Provinciâ, in qua alius antecedenter à Papa fuit inſtitutus Legatus, ſed non de latere, hic debet cedere Legato à latere tùm propter reverentiam Sedis Apoſtolicæ; tùm quia juriſdictio minoris Judicis impeditur præſente majore. Certum eſt autèm Legatum à latere habere majorem, & ampliorem juriſdictionem, quàm alii Legati non à latere, ſed ſimplices, ſicut Legati nati, aut ſimpliciter miſſi.

In cap. 9., quod incipit. *Excommunicatis*, ex eodem ſtatuitur, quòd Legatus ſimplex, ſcilicet non de latere, ſed miſſus à Papa ratione Perſonæ in aliquâ Provinciâ pro eadem gubernanda cùm nomine Legati, non poteſt abſolvere extrà illam Provinciam ab excommunicatione propter violentam manuum injectionem in Clericum; nec etiam in eadem Provinciâ, ſi excommunicatus aliundè veniat,

nec

nec ſit ejus Subditus. Legatus autem natus, ſcilicet ille, cujus dignitati eſt ex privilegio annexa præeminentia legationis, ratione hujus non poteſt ullos abſolvere à tali excommunicatione, niſi ei ſpecialiter ſit conceſſum à Papa. Secus autem dicendum de Legato à latere, qui ex vi talis legationis, poſtquàm egreſſus eſt ab Urbe, habet amplam poteſtatem abſolvendi quoſcumque, & ubiquè à tali excommunicatione, uſquedum terminatâ legatione ad Urbem redeat.

In cap. 10., quod incipit. *Nemini*, ex eodem ſtatuitur, quòd Decreta, & Statuta Legati Sedis Apoſtolicæ in eâ Provinciâ, in qua fuit Legatus, durant etiam terminatâ legatione: nâm Statuta à Legato Papæ facta habent vim legis, quæ perpetua eſt, quouſque revocetur: authoritas autem ab eo delegata in aliquâ causâ, recedente Legato, ceſſat, ſi ante non præceſſit citatio in tali causâ; tunc enim cum res non ſit integra, eam cauſam poterit terminare. Legatur D. Thomas 2. Corinth. 11. lect. 2. & in 4. diſt. 2. qu. 2. art. 1. q. 4. in quibus locis aliqua de Legato Domini Papæ pertractat.

TITULUS XXXI.

De Officio Judicis Ordinarii in 20. Cap. diſtinctus.

VIſum eſt de Officio Iudicis Ordinarii ſpecialis, qualis eſt Legatus Domini Papæ, nunc videndum eſt de Officio Iudicis Ordinarii cujuslibet.

Agitur de hac materia in Decreto Gratiani Causâ 3. qu. 7. & Cauſa 9. qu. 3. & Causâ 10. qu. 1. 2. & 3. & Causâ 18. qu. 2. per totum, & alibi. Item de hac materia agitur in 6. Decretal. lib. 1. tit. 16. in Clement. lib. 1. tit. 9. & in Extravag. lib. 1. eodem Titulo.

In 1. cap. quod incipit. *Pernicioſam*, ex ſynodo Joannis Papæ ſtatuitur, quòd quilibet Epiſcopus in ſua Diœceſi habet poteſtatem inquirendi crimina, & puniendi criminoſos juxta Canonicas Sanctiones, nec poſſunt ab aliquo impediri; & ſi opus fuerit, poſſunt, & debent invocare auxilium brachij ſæcularis, cùm hac tamèn cautela, ut nullo modo ſibi præjudicent, nec Eccleſiæ; debet enim authoritas ſæcularis auxiliari Eccleſiæ, non nocere.

In 2. cap. quod incipit. *Si Sacerdos.* ex Eugenio Papa, ſtatuitur, quòd ſi Epiſcopus ſcit prò certo, aliquem Subditum eſſe criminoſum, quià talis ſubditus hoc aperuit ei in confeſſione, licèt teneatur eum ſecretò monere, non tamèn poteſt punire, quià tale crimen ſcit, non ut homo, aùt Judex, ſed ut Deus. Si autèm Adverſarius ejus ipſum accuſaverit apùd eumdem Epiſcopum, tùnc Epiſcopus debet judicare ſecundùm acta, & probata, nulla habita ratione notitiæ habitæ in confeſſione, Quòd ſi crimen non fuerit plenè probatum, ad inſtantiam partis poterit à tali Epiſcopo proferri ſententia Excommunicationis contrà eum, qui tale crimen commiſit non nominatim, ſed indefinitè: exemplo Chriſti, qui Judam damnavit in Cœna, quem certò ſciebat eſſe Proditorem, non tamèn eum nominavit. Pro hoc Canone doctrinam egregiam dat S. Thomas in ſupplemen. 3. par. qu. 11. ar. 5. ad 4. ubi ſic ait: *Dicendum, quod non debet ita vitari peccatum ex una parte, quòd ex alia juſtitia relinquatur; Veritas enim non eſt propter ſcandalum dimittenda, & ideo quando imminet periculum juſtitiæ, & veritatis, non debet dimitti revelatio ejus, quod quis in confeſſione audivit, ſi aliter ſciat, propter ſcandalum, verumtamen ſcandalum, quantùm in ſe eſt, evitare tenetur.* Legatur per totam quæſtionem de ſigillo Confeſſionis.

In 3. cap. quod incipit. *Cùm ab Eccleſiarum*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd ſi aliquis Iudex Ordinarius ſubjectus Epiſcopo loci proferat in ſibi ſubditum juſtam Cenſuram Eccleſiaſticam, Epiſcopus tenetur eam firmare, & ratam habere, nec eam debet relaxare abſque ſatisfactione, & conſenſu proferentis: nàm Epiſcopus non debet infringere, ſed roborare ſententias juſtas Iudicum ſubditorum.

In 4. cap. quod incipit. *Cum vos*. ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Laici Patroni Eccleſiarum differant præſentare, ſeu nominare, aut præſentent, ſeu nominent in-

dignum, Epiſcopus tenetur in illis Eccleſiis providere de Æconomo, quouſque dignus fuerit nominatus infra tempus debitum, ſcilicet quatuor menſium, ad differentiam Patroni Eccleſiaſtici, qui tenetur præſentare intra ſex menſes; cùm hoc tamen, quòd ſi Patronus Eccleſiaſticus præſentet indignum, prò illâ vice amittit jus præſentandi; laicus verò, licet præſentet indignum, poterit, eo recuſato, alium dignum præſentare infra tempus illi aſſignatum, & interim Eccleſia debet per Æconomum gubernari.

In cap. 5. quod incipit. *Ex parte tua*, ex eodem ſtatuitur, quòd abſolutus à Papa, ſuppreſsâ verâ causâ, quare fuerit à ſuo Epiſcopo excommunicatus, non debet haberi tamquam validè abſolutus, cum talis abſolutio fuerit obreptitia; undè debet ab Epiſcopo remitti iterùm ad Sedem Apoſtolicam: ſi verò Epiſcopo hoc non conſtiterit, ſed tantùm de hoc habeat probabilem ſuſpicionem, poteſt, & debet taliter abſolutum compellere ad ſe purgandum pro tali dubio, vel ſuſpicione.

In cap. 6. quod incipit. *Significavit*, ex Cœleſtino III. ſtatuitur, quòd ſi ex malitia, vel negligentia Iudicis à Papa delegati quis perſeverat in peccato, propter quod fuit ab Ordinario excommunicatus, & ipſe appellando ad Papam, talem obtinuit Iudicem delegatum, qui ex deſidiâ, aut malitioſè Reum abſolvit perſeverantem in crimine, in tali caſu Epiſcopus loci poteſt ſupplere, non obſtante delegatione Papæ: quia Ordinarius debet, & tenetur ſupplere malitiam, ſeu deſidiam Delegati.

In cap. 7. quod incipit. *Quanto*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd ad Epiſcopum ſpectat ſupplere negligentiam Abbatis non revocantis Monachos ſuos ſubditos vagabundos: nam licèt correctio Regularium primò pertineat ad Prælatos ipſorum; tamen ſi ipſi in hoc fuerint negligentes, Epiſcopus poterit ſupplere monendo, corrigendo, & cenſuris compellendo, omni appellatione remota, ſi extra Clauſtra deliquerint.

In cap. 8. quod incipit. *Ad recipiendam*, ex eodem ſtatuitur, quòd excommunicatus à ſuo Epiſcopo, ſi ad Archiepiſcopum recurrat appellando, non propter hoc ſuſpenditur excommunicatio, nec debet eum ſtatim abſolvere, ſed eum remittere ad Excommunicatorem; quòd ſi Excommunicator nolit eum abſolvere, tunc poterit ab Archiepiſcopo abſolvi cùm conditione, quòd ſatisfaciat Excommunicatori; aliàs reincidat in Excommunicationem.

In cap. 9. quod incipit. *Duo ſimul*, ex eodem ſtatuitur, quòd Patriarcha, vel Primas non poteſt cognoſcere cauſas ſpectantes ad Archiepiſcopos, vel Epiſcopos ſibi ſubditos, niſi ſolùm via appellationis, ſi aliàs non habeant ſpeciale indultum à Sede Apoſtolica, aut fuerit legitima conſuetudo præſcripta in contrarium: & quod dicitur de Patriarcha reſpectu Archiepiſcoporum, dicitur de Archiepiſcopis reſpectu Suffraganeorum, quorum cauſas ſolùm via appellationis poſſunt cognoſcere.

In cap. 10. quod incipit. *Quod Sedem*, ex eodem ſtatuitur, quòd Archiepiſcopus ægritudine, aut alia juſta cauſa impeditus poterit alteri Epiſcopo delegare munus conſecrandi ſuum Suffraganeum, & conſecrandus tenebitur à tali Commiſſario conſecrationem recipere: nam Officium conſecrandi, quod ſpectat ad Archiepiſcopum reſpectu ſui Suffraganei, eſt delegabile alteri Epiſcopo, & conſecrandus tenetur conſecrationem recipere ab eo, cui committitur tale munus ab Archiepiſcopo.

In cap. 11. quod incipit. *Paſtoralis*, ex eodem ſtatuitur, quòd Archiepiſcopus cauſam ſibi delatam per appellationem poteſt quidèm committere alicui ſubdito ſuorum Suffraganeorum, non tamen ipſum poteſt cogere invitum ad acceptandam iſtam delegationem, cùm non habeat in ipſum Juriſdictionem ordinariam: ſecus dicendum de Delegato Papæ, qui habet Juriſdictionem Ordinariam.

In cap. 12. quod incipit. *Licet*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Papa mandat ſuo reſcripto alicui Epiſcopo, ut aliquem de ſuis ſubditis corrigat, non per hoc conſtituit eum ſuum Delegatum; unde poterit talis ſubditus, causâ terminatâ ab Epiſcopo, appellare ad Archiepiſcopum, ac ſi Papa nullum mandatum dediſſet; eſt enim tale mandatum Papæ excitativum Juriſdictionis

ctionis Ordinariæ Epiſcopi, non collativum majoris Juriſdictionis; undè per illud non eſt habendus tamquàm Delegatus Sedis Apoſtolicæ.

In cap. 13., quod incipit. *Irrefragabile*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Prælati tamquàm Judices Ordinarij ex ſe habent poteſtatem corrigendi, & reformandi ſuos Subditos: ſi autem Capitulum ex præſcriptâ conſuetudine acquiſivit jus corrigendi exceſſus Canonicorum, ſi infrà tempus ab Epiſcopo præfigendum eos non corrigat, ipſe Epiſcopus eos corrigere tenebitur. Caveat tamèn Prælatus in impoſitione pænæ à quæſtu pecuniæ, & ab omni alio gravamine pecuniario, nè turpis lucri cupidus videatur.

In cap. 14.,quod incipit. *Quoniam*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi in eadem Civitate, aut Diœceſi fuerint Populi diverſarum linguarum, ad Epiſcopum ſpectabit eos providere de diverſis miniſtris, qui eis ſecundùm eorum neceſſitatem Sacramenta miniſtrent, non tamen proptèr hoc eadem Diœceſis debet habere plures Epiſcopos, benè tamen plures Vicarios ejuſdem Epiſcopi.

In cap. 15., quod incipit. *Inter cætera*, ex eodem, ſtatuitur, quód Epiſcopi non poſſunt per ſe omnia exercere, quæ àd ipſos ſpectant, ſed tenentur aſſumere Miniſtros idoneos quo ad prædicationes, viſitationes, adminiſtrationes Sacramentorum &c.& ut poſſint tales reperiri, tenentur Epiſcopi in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſijs ſuos habere Coadiutores ad hoc habiles, & paratos.

In cap. 16., quod incipit, *Comparente*, ex Honorio III., ſtatuitur, quòd Epiſcopus in Eccleſijs ſuæ Diœcèſis debet eſſe contentus Juribus Epiſcopalibus, ſcilicèt Canonicâ obedientiâ, ſubjectione, reverentiâ, reformatione, & alijs de jure ad Epiſcopum ſpectantibus quoàd æmolumenta Synodatici, ſeù Cathedratici, decimationum; & mortuariorum, & viſitationum, moderatè tamèn, penſatis facultatibus Eccleſiarum.

In cap. 17., quod incipit, *Vt juxtà*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Epiſcopus in Viſitatione Monaſteriorum non debet introducere ſæculares, ſed duos, aut tres Canonicos ſuos, cùm aliquibus Religioſis.

In cap. 18., quod incipit, *Dilectus*. ex eodem ſtatuitur, quòd lex Diæceſana ſpectans ad Epiſcopum, & lex juriſdictionis ſpectans ad Abbatem alicuius Monaſterij erga ſibi ſubditos, eſt diverſa: Vndè res judicata in unâ non obſtat agenti in aliâ.

In cap. 19. quod incipit. *Grave*, ex Gregorio IV. ſtatuitur, quòd pèr Reſcriptum, quo Papa mandat Ordinario, ut corrigat Clericos ſuæ Diæceſis, non tribuitur ei jurisdictio ſuper Clericos, vel monachos exemptos, niſi hoc exprimatur.

In cap. 20.; quod incipit. *His*, *quibus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Ordinarius, cui competit abſolvere Subditum à Cenſura excommunicationis, poteſt alteri hoc mùnus abſolutionis demandare. Videatur D. Thom. 2. 2. qu. 67. ubi de injuſtitia ex parte Judicis pertractat, & Artic. 1. ad 3. ſic ait: *Dicendùm quòd Epiſcopus, in cuius diæceſi aliquis delinquit, efficitur Inferior ejus ratione delicti, etiamſi ſit exemptus, niſi forte delinquat in re aliqua exemptâ, puta in adminiſtratione bonorum alicujus Monaſterij exempti; ſed ſi aliquis exemptus committat furtum, vel homicidium, vel aliquid huiuſmodi poteſt per ordinarium juſtè condemnari*; legatur per totum Articulum, & quæſtionem.

TITULUS XXXII.

De Officio Judicis in dùo Capita diſtinctus.

IN ſuperioribus viſum eſt de Officio ſingulorum Judicum, ſcilicèt de Officio Judicis Ordinarij, Delegati, & Legati, nunc aliquid remanet dicendum de Officio Judicis genericè, & indeterminatè ſumpti, in quo omnes Judices particulares conveniunt.

In 1. cap., quod incipit. *Ex literis*, ex Honorio III., ſtatuitur, quòd ſi alicui ex partibus litigantibus deficiat Advocatus, ad Judicem ſpectabit eidem providere de Advocato patrocinante, & poterit ei aſſignare ſuum domeſticum, dummodò

modò ratione prævia procedat in tali cauſa, nèc ulla ſit ſuſpicio doli, & fraudis.

In 2. cap., quod incipit. *Judicis Officium*, ex Gregorio IV., ſtatuitur, quòd cum reſtitutio in integrum principalitèr poſtuletur, eo quòd Eccleſia, vel Pupillus fuerunt enormitèr læſi, Judex debet juridicè procedere per conteſtationem litis in tali cauſa: ſecùs autem ſi reſtitutio in integrum non principalitèr, ſed acceſſoriè poſtuletur; tunc enim non fiet de hac re ſpecialis conteſtatio litis.

TITULUS XXXIII.

De majoritate, & Obedientia in 17. Capita diſtinctus.

POſtquàm de Officio Judicum actum eſt, ſequitur agendum de maioritate, & Obedientia: Majoritas autèm, ſeu Juriſdictio àd Judices, & Prelatos ſpectat; Obedientia autèm, ſeù ſubiectio ad Subditos.

Agitur dè hac materia in Decreto Gratiani diſt. 21. 22. *93. 96.* & *99.* pèr totum, & Cauſa 33. queſt. 5. & Cauſa 9. queſt. 3. & alibi. Et de Conſecratione diſt. 5. in omnibus, & in *6.* Decret. lib 1. Titulo 17. & in extravag. lib. 1., eodem Titulo.

In cap. 1., quod incipit.*Cùm certum*, ex Gregorio, ſtatuitur, quòd qui prius eſt ordinatus, cæteris paribus, prior, & major alijs, qui poſterius ordinati ſunt, eſt habendus: nàm prior tempore, eſt potior Jure.

In 2. cap. quod incipit. *Si quis*, ex eodem ſtatuitur, quòd qui fecerit contra Decretum ſui Epiſcopi, meretur excommunicari; dicitur enim in libro Regum: *Qui nòn obedierit Principi, morte moriatur*; & in Concilio Agathenſi, quòd anathematizetur.

In 3. cap. quod incipit. *legebatur*, ex Leone Papa ſtatuitur, quòd ſimplex Clericus, qui aliàs oretenus obedientiam præſtat Epiſcopo, non tenetur hoc facere ſcripturâ, aut juramento, niſi habeat adminiſtrationem alicujus Eccleſiæ, aut rerum Eccleſiaſticarum.

In 4. cap. quod incipit. *Omnes*, ex Clemente III. ſtatuitur, ab omnibus tàm Clericis, quàm Laicis, tàm Principibus, quàm ſubditis præſtandam eſſe obedientiam proprio Epiſcopo, ut Beatus Petrus præcepit; quia Sacerdotium majus eſt Imperio.

In 5. cap. quod incipit. *Illud*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd non obediens Canonicis Inſtitutionibus incurrit inobedientiæ noram, ideſt infamiam: undè numquam eſt licitum propter bonum temporale tranſgredi Canonicas Regulas, ſeù ſanctiones.

In *6.* cap. quod incipit. *Solitæ*, ex eodem ſtatuitur, quòd Imperium non præeſt Sacerdotio, ſed ſubeſt; unde Epiſcopus non debet ſubeſſe Principibus Sæcularibus, ſed præeſſe, & ei Principes Sæculares obedire tenentur, juxta illud Hieremiæ. *Ecce conſtitui te ſuper Potentes, & Regna &c.* Sic D.Thom.Opus 20. cap.14.

In 7. cap. quod incipit. *Per tuas*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Clericus ordinatus ſit à Domino Papa, non per hoc eximitur ab Obedientia, & Juriſdictione ſui Epiſcopi, à quo recepit Beneficium.

In 8. cap. quod incipit. *Inter quatuor*, ex eodem ſtatuitur, quòd in cauſa ſubjectionis, vel Obedientiæ unius Eccleſiæ ad aliam, nihil debet de novo attentari contra abſentem non citatum, non convictum, nec confeſſum, ſed procedendum via juris:

In 9. cap. quod incipit. *Quod ſupèr*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Abbates, & Sacerdotes, qui ſunt de Diæceſi, poſſunt àb Epiſcopo compelli, ut veniant ad Synodum pèr Cenſuras Eccleſiaſticas: tenentur enim ex lege Diæceſana obedire ſuo Epiſcopo.

In 10. cap., quod incipit, *Cum in Eccleſijs*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Regulares inobedientes ſuo Superiori, poſſunt àb eo excommunicari, & antè abſolutionem poteſt exigi àb eis Juramentum de obediendo: quòd ſi recuſent., & ſint incorrigibiles, debent expelli.

In 11. cap. quod incipit. *His quæ*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd Præsbyteri, & Clerici ſpectantes àd Eccleſias, quæ ſunt Tituli Cardinalium, debent

bent obedientiam, & reverentiam præſtare Cardinali Titulari. In caſu autem quòd vacet Titulus, ſuccedit Capitulum illius Eccleſiæ in omnibus, niſi aliquid prò bono pacis Papa ſibi reſervet, ut promulgatio Cenſurarum reſpectu Capituli S. Laurentij in Damaſo.

In 12. cap. quod incipit. *Dilecta*, ex eodem, ſtatuitur, quòd licet Abbatiſſa ſuas Subditas, vel Clericos ſuæ Juriſdictioni ſubiectos excommunicare non poſſit; tamen ipſi tènentur obedire, & compelli poſſunt Cenſuris, non quidem ab ipſa, ſed ab Epiſcopo, vel ab alio Prælato monaſterii Juriſdictionem Spiritualem habente.

In 13. cap., quod incipit. *Dilecti Filij*, ex Gregorio IX., ſtatuitur, quòd ſi Metropolitanus exigat à Suffraganeo ultrà formam conſuetam, & ſtatutam à Sacris Canonibus juramentum, in eo, quod eſt ultra tale factum, Suffraganeus non tenetur obedire, nam juramentum non extenditur ad ea, quæ de jure præſtanda non ſunt.

In 14. cap., quod incipit. *Cùm olim*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Viduatâ Eccleſiâ Epiſcopali, ſuccedit Capitulum Eccleſiæ Cathedralis, & ſupplet vicem Epiſcopi in cõfirmationibus Prælatorum.

In 15. cap., quod incipit, *Statuimus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui eſt in majori Ordine conſtitutus, licèt in Eccleſia poſterius ſit receptus, debet tamen ſuper alios gaudere ſuo loco, & portione; quià præeminentia debetur non tempori, ſed dignitati.

In 16. cap., quod incipit. *Cùm inferior*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi aliqua Eccleſia ſita ſub poteſtate Archidiaconi, de conſenſu Apoſtolicæ Sedis ab Archiepiſcopo in Cathedralem erigatur, in ea conſtituto Epiſcopo, ſtatim eximitur a Juriſdictione Archidiaconi, qui tamen prætendere poteſt congruentem compenſationem, ne Jura Archidiaconatus lædantur abſque juſta compenſatione.

In 17. cap., quod incipit. *Humilis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in Cauſa primatiæ, quandò ſcilicèt debet declarari à Domino Papa Primas alicujus Nationis, aut Regni, debent audiri omnes intereſſe habentes, nempè omnes Epiſcopi, & Capitula Cathedralium illius Nationis, aut Regni, & unus ſolus, cujus intereſt, poterit impedire: nàm quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. Videatur D. Thom. 2. 2. queſt. 104. ubi per ſex Articulos agit de Obedientia, & ex ejus Doctrina elucidantur, quæ in hoc titulo habentur.

TITULUS XXXIV.

De Treuga, & Pace in duo Cap. diſtinctus.

Quià Judicum, & Prælatorum eſt, Ad treugam, & pacem diſcordantes reducere; ideò poſtquàm de Judicibus, & Prælatis tractatum eſt, ſequitur agendum de Treuga, & Pace.

Agitur de hac materia in Decreto Gratiani diſt. 90. per totum, & Cauſa 24. queſt. 3. *ſi quis Romipetas*, & cap. *Illi*.

In 1. cap., quod incipit. *Treugas*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd tempora Treugarum ſunt à 4. feria poſt occaſum ſolis uſque ad 2. feriam in ortu ſolis, ab Adventu Domini uſque ad octavam Epiphaniæ, & à ſeptuageſima uſque ad octavam Paſchæ, in quibus temporibus prohibetur bellare inter Chriſtianos; & ſtatuitur pœna contra Tranſgreſſores, ut ſcilicet tertiò admoniti ab Epiſcopis excommunicentur.

In 2. cap. quod incipit. *Innovamus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd tempore Belli Presbyteri, Monachi, Peregrini, Mercatores, & Ruſtici non debent gravari, ſed plena debent gaudere ſecuritate.

Circa has Decretales de obſervantia Treugarum notat Gloſſa, non eſſe ampliùs in uſu, non enim hæc lex moribus utentium fuit approbata: nam vel bellum eſt juſtum, & ſic omni tempore eſt licitum bellare, etiam in die Dominico; vel non eſt juſtum, & ſic numquàm erit licitum bellare, ſicque iſta lex de Treughis amplius non obligat. Legatur D. Th. 2. 2. q. 29. de Pace, & q. 40. ubi ponit conditiones requiſitas ad licitum bellum art. 1.

videlicèt

Digitized by Google

videlicet *Authoritatem Principis*, *juſtam cauſam*, *& intentionem rectam*, & art.4. in corpore habet: *Pro tuitione Reipublicæ fidelium licitum eſt juſta bella exercere in diebus Feſtis*, *ſi tamen hoc neceſſitas expoſcat*, *ſed neceſſitate ceſſante*, *non eſt licitum bellare in diebus Feſtis*.

TITULUS XXXV.

De Pactis in octo capita diſtinctus.

POſtquàm dictum eſt de Treuga,& Pace, ſequitur agendum de Pactis, quia Pacta, ſeu tranſactiones ſunt quædam media, & conventiones, quibus Pax, aut ſaltem Tregua ſtabilitur: ideo de iſtis modò eſt agendum.

De hac materia tractatur in Decreto Gratiani cauſa 22.q.4. in multis capitulis, & in 6. lib.1. tit.18.

In 1. cap., quod incipit. *Antigonus*, ex Concilio Africano, ſtatuitur, Pacta, & Conventiones debere ſervari, aliàs contrafacientes à Judice ſunt puniendi; quod enim ſemel placui, ampliùs diſplicere non debet.

In 2. cap., quod incipit. *Quoties*, ex Gregorio ſtatuitur, quòd ſi contingat aliquam conventionem inter partes eſſe invalidam, eo quòd non habeant authoritatem talitèr conveniendi, ſi accidat conſenſus legitimi Superioris talem habentis facultatem, prædicta conventio validatur; nam ratihabitio retrotrahitur,& mandato comparatur.

In 3. cap., quod incipit. *Qualitèr*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ad Judicem ſpectat ſtudioſè agere, ut ea, quæ promittuntur, fideliter compleantur: nam verba accipienda ſunt cùm effectu, aliàs eſſent doloſa. Fraus autem nulli debet patrocinari.

In 4. cap., quod incipit. *Cùm pridem*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd in rebus ſpiritualibus. & Eccleſiaſticis nulla pactio pecuniaria facienda eſt, eſt enim illicita, cùm ſit ſimoniaca.

In 5. cap., quod incipit. *Accepimus*, ex eodem ſtatuitur, quòd in Beneficiis, & Eccleſiis non debet habere locum ſucceſſio, itaut concedatur alicui aliqua Eccleſia cùm pacto, ut alius ſuccedat poſt ejus mortem in locum ipſius: nam ſucceſſiones hujuſmodi tamquàm deteſtabiles, & iniquæ ſunt contra Sacros Canones.

In 6. cap., quod incipit. *Cùm Clerici*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Clericus, qui conſecutus eſt Beneficium Eccleſiaſticum, inito pacto augendæ penſionis, debet tali Beneficio privari, & canonicè puniri: nam talis conſecutio Beneficii eſt Simoniaca.

In 7. cap., quod incipit. *Plerique*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd ſi aliqua Eccleſia rem ſuam locando, aut in Fœudum concedendo, apponat aliquod pactum, quod ſit in præjudicium juris Parochialis alterius Eccleſiæ, tale pactum, utpotè de radice avaritiæ procedens, non tenet, & quidquid hac occaſione perceperit, reddere tenebitur: nam Pactum inter aliquos initum, tertio nocere non debet.

In 8. cap., quod incipit. *Pactiones*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd in ſpiritualibus omnis pactio, & conventio ceſſare debet; ſunt enim ſimoniaca talia pacta. Sicut etiam pacta turpia, vel de re turpi, aut de re impoſſibili ſive de jure, ſive de facto, nullo modo tenent, nullus enim poteſt ſe obligare ad res turpes, ſeu impoſſibiles. Videatur D.Th 2.2. q.109. de Simonia, ubi fusè hanc Mat. de Pactis elucidat, & art. 1. ad 5. ait: *Dicendum*, *quòd nomine Emptionis*, *& Venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus*; *unde nec permutatio præbendarum*, *vel Eccleſiaſticorum Beneficiorum fieri poteſt authoritate partium abſque periculo ſimoniæ*, *ſicut nec Tranſactio*, *ut jura determinant*, *poteſt tamen Prælatus ex Officio ſuo immutationes hujuſmodi facere pro cauſa utili*, *vel neceſſariâ*.

TI-

Digitized by Google

TITULUS XXXVI.

De Tranſactionibus in 11. *capita diſtinctus.*

QUià Pacto, & Conventioni eſt affinis Tranſactio, cum hac tamen differentia, quòd tranſactio inter partes locum habere poteſt in lite dubia; cum ſcilicet ſunt rationes pro utrâque parte: Pactum verò poteſt iniri etiam in favorem Rei; ideo poſt Tractatum de Pactis, agitur de Tranſactionibus.

Agitur de hac materia in Decreto Gratiani Cauſa 5. q. 2. *Si Primatus*, & in 6. Titulo de Pactis.

In 1. cap. quod incipit. *Sicut grave*, ex Gregorio ſtatuitur, quòd omnia Iura partium, facta voluntaria tranſactione, tolluntur, nulliuſque ſunt amplius roboris, vel momenti; nam per tranſactionem omnis dirimitur controverſia.

In 2. cap. quod incipit. *Statuimus*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd compoſitio, ſeu tranſactio facta ſuper Decimis de conſenſu Epiſcopi loci tenet; nullo enim vitio laborat.

In 3. cap. quod incipit. *Contingit*, ex eodem ſtatuitur, quòd Abbas, ſeu Prior alicujus Eccleſiæ Conventualis non poteſt tranſactionem facere in aliqua Cauſa cum Adverſatio niſi habeat ad hoc ſpeciale mandatum à Capitulo Monaſterii, vel ſaltem Capitulum Monaſterii ratam habeat talem tranſactionem; Ratihabitio enim retrotrahitur, & mandato comparatur.

In 4. cap., quod incipit. *Conſtitutus*, ex eodem ſtatuitur, quòd tranſactio in ſpiritualibus intervenire non debet, puta in Eccleſiaſticis Beneficiis; habet enim ſpeciem Simoniæ; eſt autem abſtinendum non ſolùm à malo, ſed ab omni eo, quod habet ſpeciem mali.

In 5. cap., quod incipit. *De cætero*, ex eodem ſtatuitur, quòd per tranſactionem factam ab aliquo Rectore Eccleſiæ ſolvendi aliquid annuatim alteri Eccleſiæ, ſi facta ſit abſque authoritate Epiſcopi, obligatur Perſona Rectoris, quouſque vixerit, non Eccleſia, vel Succeſſor.

In 6. cap., quod incipit. *Ex literis*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Beneficium, quod quis poſſidet facta tranſactione, impetretur, ut vacans ab eo, qui fuit tranſactionis mandator, non valet impetratio, cum ſupponatur in fraudem procuraſſe tranſactionem ad ſui utilitatem.

In 7. cap., quod incipit. *Super eo*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſuper Eccleſiaſtico Beneficio litigioſo non poteſt fieri tranſactio, cum ſit res ſacra: gratis verò, & amicabiliter poteſt fieri compoſitio aliqua inter litigantes, quæ non obviet Sacris Canonibus.

In 8. cap., quod incipit. *Veniens*, ex eodem ſtatuitur, quòd tranſactio facta à Rectore de rebus Eccleſiæ, inconſulto Epiſcopo, non obligat Succeſſorem; eſt enim Perſonalis, non Realis.

In cap. 9., quod incipit. *Præterea*, ex Lucio III. ſtatuitur, quòd in jure præſentandi non poteſt fieri aliqua pactio, vel tranſactio, cedendo jus præſentandi pro aliqua penſione, aut lucro temporali: nam jus præſentandi ſpirituale eſt.

In 10. cap., quod incipit. *Præterea quantò*, ex Cœleſtino III. ſtatuitur, quòd non eſt licita tranſactio, quæ fit ſuper ſpirituali ſubjectione: nihil enim temporale poteſt exigi pro ſpirituali abſque labe Simoniæ.

In 11. cap., quod incipit. *Ex parte tua*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd boni Judicis eſt ſe interponere inter partes pro tranſactione amicabiliter facienda inter ipſas, exceptis tamen caſibus, in quibus jura hoc non admittunt: nam Judex ſemper in humaniorem partem debet inclinare. Videatur D. Thom. loco nuper citato.

TITULUS XXXVII.

De poſtulando in 3. *capita diſtinctus.*

CUM in ſuperiori titulo actum ſit de Pactis, & Tranſactionibus, agitur de poſtulando, ſcilicet de Officio Actoris apud Judicem, ſi enim vocati ad judicium non paciſcunt, neque tranſigunt, ſolent poſtulare æquitatem juſtitiæ cum animo proſequendi cauſam, in qua proſecutione

Advocatus, & Procuratot poſtulant: ideò de poſtulando agitur in præſenti titulo.

Tractatur de hac materia in Decreto Gratiani cauſâ 3. quæſt. 7., cauſâ 15. q. 2., & de poſtulandis diſt. 1. cap. *Nemo*.

In 1. cap., quod incipit. *Clerici*, ex Concilio Lateranenſi ſtatuitur, quòd Clerici nec in Sacris conſtituti, nec etiam in minoribus, ſi ſint Beneficiati, poſſunt advocare in foro ſæculari, niſi in propria cauſa, vel Eccleſia, aut pro miſerabilibus Perſonis: hoc enim eſt indecens ſtatui Clericali pro exteris advocare, niſi ex nimia charitate pro miſerabilibus.

In 2. cap., quod incipit. *Ex parte tua*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd Canonici Regulares non poſſunt advocare niſi pro utilitate ſuarum Eccleſiarum, & Monaſteriorum, & ex commiſsione Abbatis; ſicut etiam ſtatutum eſt de Monachis: veniunt enim etiam Canonici Regulares nomine Monachorum.

In 3. cap., quod incipit. *Cum Sacerdotis*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd non eſt licitum Sacerdoti poſtulare, ſeu advocate, quod idem eſt, niſi pro ſe ipſo, aut Eccleſia ſua; vel ſi neceſſitas immineat pro perſonis conjunctis, aut miſerabilibus; ſpectat enim ad Sacerdotem nulli velle nocere, & omnibus velle prodeſſe; ſi quis autem poſtulat contra propriam Eccleſiam, in qua habet Beneficium, meretur propter ingratitudinem eo privari.

TITULUS XXXVIII.

De Procuratoribus in 15. capita diſtinctus.

Poſtquàm actum eſt de poſtulando, ſeu advocando, nunc ſequitur agendum de Procurando, ſeù de Procuratoribus: in cauſis enim & Judiciis tractandis Advocati, & Procuratores neceſſarii ſunt.

Tractatur de hac materia in Decreto Gratiani cauſa 5. q. 3. per totum, diſt. 89. per totùm, & cauſa 9. q. 3. *Cùm ſimus*. In 6. lib. 1. Titulo 19. in Clementin. lib. 1. Titulo 10.

In 1. cap., quod incipit. *Alia quidem*, ex Gregorio, ſtatuitur, quòd quis audiendus non eſt tamquàm alterius Procurator, niſi habeat ab eo mandatum Procuræ legitimè, & canonicè factum: hoc enim conſtare debet, aliàs non admittitur.

In 2. cap., quod incipit. *Querelam*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd non valet ſententia, etiam expenſarum, condemnatoria lata contra abſentem, ſi ſit infirmitate, aut aliâ juſtâ causâ impeditus, ſi hoc conſtet per Teſtes, quia juſtè impedito non currit tempus.

In 3. cap. quod incipit. *Ex inſinuatione*, ex Clemente III. ſtatuitur, quòd ſententia lata contra aliquem, cujus Procurator in ea cauſa fuit revocatus ab eo, non tenet, dummodo conſtet de revocatione mandati: nam factum falſi Procuratoris Domino non præjudicat.

In 4. cap. quod incipit. *In noſtra*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd exceptio falſi Procuratoris & antè, & poſt ſententiam objici poteſt, & ſententia taliter lata à Iudice, falſo exiſtente Procuratore unius partis, Domino non nocet, quia nulla eſt.

In 5. cap. quod incipit. *Tuæ Fraternitati*, ex eodem, ſtatuitur, quòd vir accuſans uxorem in cauſa Adulterii coram Judice Sæculari ad pœnam legalem, non poteſt uti Procuratore, quia eſt Cauſa Criminalis, in qua non auditur Procurator, ſed principalis, qui tenetur ſe obligare ad pœnam talionis; ſecus vero ſi accuſet apud Iudicem Eccleſiaſticum pro ſeparatione Thori, tunc enim hoc poteſt fieri per Procuratorem; cùm ſit cauſa mixta.

In 6. cap., quod incipit. *Cùm pro Cauſa*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui de Mandato Capituli aliquod negotium Eccleſiæ utile procuravit, debet ab Eccleſia, & Capitulo recipere expenſas in eo factas, etiam ſi negotium illud non habuerit effectum: secùs ſi tale negotium procuravit de Mandato Capituli; tunc enim ſi non habeat effectum, non poteſt repetere expenſas; benè tamen ſi effectum habuerit.

In 7. cap., quod incipit. *Quia in Cauſis*, ex eodem, ſtatuitur, & conceditur, ut Univerſitas Scholarium poſſit inſtituere aliquem Procuratorem ad agendum contra alios, & ad defendendum ſe, via juris ſervata; hoc enim nulli negati poteſt.

In

In 8. cap., quod incipit. *Auditis*. ex Honorio III. ſtatuitur, quòd ſi citatus ad totam Cauſam conſtituit Procuratorem, quem poſtea revocat, alio non ſubſtituto, poteſt nihilominus contra eum procedi, in quantum ſtatus Cauſæ patitur, ſine alia citatione: ſufficienter enim fuit citatus prima vice, ſcilicèt ad totam Cauſam: unde ſibi imputet, ſi uno Procuratore revocato alium non ſubſtituit.

In 10. cap., quod incipit. *Petitio veſtra*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Procurator Epiſcopi, licèt non ſit datus ſub nomine Syndici, vel Actoris poteſt, & debet defendere Cauſas Epiſcopatus, cum hoc munus habeat ex vi mandati Procuræ.

In 10. cap., quod incipit. *Accedens*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd Iudex debet diligenter procurare, maximè in cauſis Matrimonialibus, ut conſtituens Procuratorem plena gaudeat libertate, nec ſit conſtitutus in alterius poteſtate; aliàs præſumeretur coactus.

In 11. cap., quod incipit. *Dilectus Filius*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi à Iudice denegentur induciæ Procuratori generali in aliqua cauſa ad conſulendum Dominum ex juſta cauſa abſentem, poterit talis Procurator appellare, nullaque erit ſententia, tali appellatione ſpreta.

In 12. cap., quod incipit. *Conſtitutis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui in cauſa conſtituit aliquem Procuratorem non idoneum, nec eum tota facultate in ea cauſa, & recedit ſine licentia, poteſt condemnari tamquàm contumax, etiam in expenſis alteri parti.

In 13. cap., quod incipit. *Mandato*, ex eodem, ſtatuitur, quòd judicium agitatum coram Procuratore revocato tenet, ſi talis revocatio ignoretur à Iudice, & à parte adverſaria: ſecus ſi ſcientia præceſſit in eis.

In 14. cap., quod incipit. *Non injuſtè*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Filius familias poteſt conſtitui Procurator etiam ad futuras cauſas; non enim obſtat, quòd ſit ſub Patris poteſtate, cum aliàs poſſit cauſam patrocinari: quòd ſi cum aliis in ſolidum ſit conſtitutus Procurator, ſi ipſe præoccupavit negotium, poterit illud terminare.

In 15. cap. quod incipit. *Conſulti*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Procurator alicujus Univerſitatis, cujus majores, & jurati ſunt excommunicati, non debet repelli ab impetrando, niſi illi in Procuratorio ſint expreſſi, vel eorum authoritate factum ſit, vel ad id ſcienter ſint admiſſi; obſtat enim pæna excommunicationis. De hac materia, & præcedentis tituli agit S. Th. 2.2. qu.71. per quatuor articulos ubi agit de Injuſtitia judicii ex parte Advocatorum,& præcipuè art.2.in corpore, ubi enumerat illos qui ſecundùm jura ſunt arcendi ab officio advocandi, & conſ. etiã Procuratoris his verbis: *Decentia hujus Officii exercendi tollitur duppliciter. Uno modo,ex hoc quòd aliquis eſt rebus majoribus obligatus; unde Monachos, & Presbyteros non decet in quacumque Cauſa advocare, neque Clericos in judicio Sæculari, quia hujuſmodi perſonæ ſunt rebus Divinis aſtrictæ. Alio modo propter perſonæ defectum vel corporalem, ut patet in cæcis, vel Spiritualem; non enim decet, ut alterius juſtitiæ Patronus exiſtat, qui in ſeipſo juſtitiam contempſit, & ideo infames, infideles, & damnati de gravibus criminibus non decenter ſunt Advocati; tamen hujuſmodi indecentiæ neceſſitas præfertur, & propter hoc hujuſmodi perſonæ poſſunt pro ſeipſis, vel pro perſonis ſibi conjunctis uti officio Advocati; unde & Clerici pro Eccleſiis ſuis poſſunt eſſe advocati, & Monachus pro cauſâ Monaſterii ſui, ſi Abbas præceperit.* Hæc D. Th.

TITULUS XXXIX.

De Syndico unico capite compræhenſus.

POſtquàm tractatum eſt de Procuratore, qui ex mandato Domini illius agitat, & procurat cauſas, ſequitur agendum de Syndico, qui eſt Procurator non particularis; ſcilicet pro tali, vel tali Perſona, ſed univerſaliter, ſcilicet pro aliqua Univerſitate, puta pro aliquo Monaſterio, & Communitate Religioſorum.

In hoc ergo capite, quod incipit. *Sicut Studiì noſtri*, ex Gregorio Papa, ſtatuitur, quòd Religioſi, cum à litigiis forent, & deberent eſſe alieni, jndigent Syndico, qui cauſas Monaſterii agat, &

defendat, aſſignato ei, ſi opus fuerit, congruo ſalario.

TITULUS XL.

De his quæ vi, metuſve cauſa fiunt in 7. capita diſtinctus.

CUM in præcedentibus Titulis actum ſit de his, quæ ſpontè agimus in judicio, vel extra, nunc ſequitur agendum de his, quæ aliquandò coguntur vi, aùt metu: hæc enim ſæpè annullantur utpotè acta contra propriam voluntatem.

De hac materia agitur in Decreto Gratiani causâ 15. q. 6. causâ 20. qu. 3. causâ 23. qu. 6. & qu. 5. per totum. Et in 6. lib. 1. Titulo 20.

In 1. cap. quod incipit. *Perlatum eſt*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quod ſi quis ui, aut metu mortis Religionem profitetur, nec poſtea Profeſſionem ratam habuerit, exire poteſt, & Matrimonium contrahere; ſecus ſi poſt factum liberè conſenſerit: nam quod ab initio fuit invalidum per Ratihabitionem validatur.

In 2. cap. quod incipit. *Abbas*, ex eodem ſtatuitur, quòd Clericus, qui vi, & metu amiſſionis ſuorum Bonorum proprio renunciat Beneficio, illud repetere poteſt: nam juſtum eſt, ut ea à Iudice revocentur, quæ vi, metuque ſunt facta, etiamſi Iuramento ſint firmata.

In 3. cap. quod incipit. *Ad aures*, ex Clemente III. ſtatuitur, quòd qui terrore Laicorum renunciat electioni de ſe factæ, poteſt, & debet, hoc non obſtante, inſtitui in Beneficio, ad quod canonicè electus fuit; niſi tamen præfatam renunciationem Iuramento, aut fide datâ liberè confirmaſſet: nam tale Iuramentum, & fides ſine periculo animæ violari non poſſet.

In 4. cap. quod incipit. *Ad audientiam*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd qui per metum gravem cadentem in conſtantem virum juravit, ſe renunciare ſuo Beneficio, & de facto renunciavit, illud poteſt repetere, quia per tale Iuramentum tenebatur renunciare Beneficium, ſed per illud non ſe adſtrinxit ad non repetendum illud.

In 5. cap. quod incipit. *Sacris*, ex eodem ſtatuitur, quòd communicans cum Excommunicato per coactionem, non eſt Excommunicatus, quia magis patitur, quam agat; ſi autem communicet ex metu erit Excommunicatus; quia licet metus culpam attenuet, non tamen tollit. Horum ratio aſſignatur à D. Th. 1. 2. qu. 6. art. 5. ubi ait: *Violentia directè opponitur Voluntario, ſicut etiam, & naturali; commune eſt enim Voluntario, & naturali, quòd utrumque ſit à principio intrinſeco; violentum autem eſt à principio extrinſeco*, igitur violentia tollit rationem culpæ, quæ ad Voluntarium ſequitur, & conſequenter per vim communicans cum Excommunicatis neque incurrit culpam, neque excommunicationē, & art. 8. habet, quòd *ea, quæ fiunt ex metu, magis ſunt Voluntaria, quam involuntaria, ſunt enim voluntaria ſimpliciter, & involuntaria ſecundùm quid*, & Niſſenus lib. 5. cap. 1. ait: *hujuſmodi, quæ per metum aguntur, mixta ſunt ex voluntario, & involuntario*. Igitur ſi metus gravis non tollit rationem Voluntarii, neque rationem culpæ, & conſequenter ab Excommunicatione illi annexâ non excuſat.

In 6. cap. quod incipit. *Cum dilectus*, ex eodem ſtatuitur, quòd metus gravis, id eſt cadens in conſtantem virum, excuſat; ſecus dicendum de metu levi. Advertendum tamen eſt, quòd metus gravis excuſat, non quia tollat rationem Peccati, vel Voluntarii, ſed quia diminuit rationem Peccati. Sic D. Th. locis citatis, & per totam quæſtionem citatam.

In 7. cap. quod incipit. *Super eo*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd ſi quis dicat, ſe eſſe ſpoliatum per violentiam aliquibus rebus ſuis, hoc debet probare per Teſtes: Qualitatem autem, & quantitatem rerum amiſſarum ſufficit, ut probet ſuo Iuramento; attenta tamen qualitate Perſonæ, de qua præſumi non poſſit, ipſam dejerare. Quo facto Iudex tenetur adverſarios condemnare ad reſtitutionem.

TI-

TITULUS XLI.

De in integrum Reſtitutione in 10. capita diſtinctus.

Poſtquam actum eſt de quadam reſtitutione ſpeciali, quæ fit vero Domino de rebus particularibus violenter ab eo uſurpatis, nunc agitur de reſtitutione generali, ſeu canonica, ut cum aliqua Eccleſia, aut Pupillus ſpoliatur rebus, aut Iuribus ſibi ſpectantibus; aut Clericus non auditus ſpoliatur Beneficio. Hæc autem Reſtitutio dicitur in integrum, quia in priſtinum ſtatum reponit eum, cui talis fit reſtitutio.

Agitur de hac materia in Decreto Gratiani Cauſa 7. qu. 1. & 2. per totum, & Cauſa 35. qu. 9. in 6. Titulo 1. & Titulo 20. & in Clementin. lib. 1, Tit. 11.

In 1. quod incipit. *Requiſivit*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd ſi Eccleſia in venditione, aut locatione rerum Eccleſiaſticarum fuit enormiter læſa, & hoc conſtiterit, debet per Iudicem reſtitui in integrum, quia Eccleſia gaudet Iure minorum, & ſemper debet illæſa ſervari: cum hoc tamen, quòd ſi emptor, vel locator tales res ſuis expenſis bona fide fecerit meliores, non debet in eis defraudari.

In 2. cap. quod incipit. *Cum veniſſent*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd ſi in venditione, aut locatione rerum Eccleſiaſticarum Eccleſia fuerit enormiter læſa propter negligentiam Procuratoris, qui jura Eccleſiæ non produxit, poteſt, & debet reſtitui in integrum; nam Procuratoris negligentia non poteſt Eccleſiæ præjudicare.

In 3. cap. quod incipit. *Auditus*, ex eodē ſtatuitur, quòd ſi Eccleſia ſit enormiter læſa, quia fuit omiſſa probatio neceſſaria, poteſt petere à Iudice reſtitutionem in integrum, etiam tranſacto termino Iuris probationis excluſivo, quam reſtitutionem petere poteſt, non ſolùm contra privatam Perſonam, ſed etiam contra aliam Eccleſiam: quia etiam Eccleſia contra aliam Eccleſiam gaudet Privilegio Minorum.

In 4. cap. quod incipit. *Ex literis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Reſtitutio in integrum, etiam majori eſt concedenda, quotieſcumquè juſta cauſa eam petendi probatur, puta ſi intervenit dolus, aùt fraus in proſecutione cauſæ, eò, vel maximè ſi petatur in causâ favorabili, puta matrimonii, in qua conceditur etiamſi non plenè probetur juſta cauſa petendi.

In 5. cap., quod incipit. *Tùm ex literis*. ex eodem, ſtatuitur quòd ſententia etiàm Papæ, quandò per ſubreptionem lata fuit, debet in melius reformari, conceſſâ parti reſtitutione in integrum, juſtâ causâ eam petendi coràm utraque parte propoſitâ, & diſcuſsâ.

In 6. cap, quod incipit. *Suſcitata*, ex eodem ſtatuitur, quòd Petitio reſtitutionis in integrum contrà ſententiam jam latam, ſuſpendit regularitèr executionem ſententiæ; ſi aliàs non ſit præſumptio, quòd talis petitio reſtitutionis procedat ex malitia ad effectum impediendi executionem, in quo caſu conceditur quidem executio ſententiæ, præſtita tamen cautione de reſtituendo, ſi petens reſtitutionem obtinebit in cauſa.

In 7. cap. quod incipit *Coram*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd licet de jure communi, nec etiam Eccleſia ſit audienda poſt terminum peremptorium a Judice aſſignatum, poterit tamen audiri etiam poſt talem terminum, ſi juſtam cauſam reſtitutitionis in integrum petierit.

In 8. cap., quod incipit *Conſtitutus*, ex Gregorio IX., ſtatuitur, quòd tam minori, quàm Eccleſiæ eſt concedendum Beneficium Reſtitutionis in integrum, ſi probet enormem læſionem, quod procedit, etiam ſi ſervata ſit in Causâ Juris ſolemnitas.

In 9. cap., quod incipit. *Cauſa*, ex eodem, ſtatuitur, quòd reſtitutio in integrum concedi non poteſt, niſi a judice Ordinario adminiſtrationem habente, vel ab ejus Delegato: ab Ordinario vero adminiſtrationem, ſeu contentioſam Juriſdictionem non habente, vel ab ejus Delegato concedi non poteſt, niſi veniat incidenter in Cauſa; Arbiter verò de Cauſa Reſtitutionis non cognoſcit.

In 10. cap., quod incipit. *Beneficio*, ex

ex eodem ſtatuitur, quòd ſemel denegata Reſtitutione in integrum alicui Eccleſiæ, ulterius non eſt concedenda, niſi ex novâ cauſâ: reſtituitur tamen ad appellandum a ſententiâ denegationis, de hac materia agit S. Thom. 2.2. queſt. 62. per octo Articulos, in cuius doctrina omnes iſti Canones fundantur.

TITULUS XLII.

De alienatione Iudicij mutandi causâ facta in duo Capita diſtinctus

POſtquàm actum eſt de Beneficio, ſeu Remedio Reſtitutionis in integrum, per quod providetur læſis, tàm Minoribus Eccleſiis, quàm Maioribus ex juſta cauſa, nunc ſequitur agendum de alio remedio, per quod providetur illis, in quorum præjudicium eſt facta alienatio rei cauſa futuri Judicii mutandi.

De hac materia tractatur in Decreto Gratiani Cauſa 11. quæſt. 1. cap. ultimo & in multis aliis capitibus.

In 1. cap., quod incipit. *Ex quorundam*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd is, in quem facta eſt alienatio rei, causâ mutandi Judicii conveniri poteſt per Reſcriptum impertitum contra alienantem; talis enim alienatio dolosè, & per fraudem facta eſt, unde res reponenda eſt in eodem ſtatu.

In cap. 2., quod incipit. *Ex parte*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd Clerici nec debent, nec poſſunt recipere ceſſionem à Laico cauſa mutandi Judicium, ſcilicet à Tribunali Laico ad Tribunal Eccleſiaſticum; hoc enim videtur in fraudem fieri.

TITULUS XLIII.

De Arbitris in 14. *capita diſtinctus*.

SUprà actum eſt de præparatorijs Judiciorum, modò agitur de Arbitris, quià arbitria habentur ad inſtar Judiciorum.

Agitur de hac materia in Decreto Gratiani Cauſa 2. queſt. 6. cap. *Si quis Epiſcopus*, & cap. *in Iudic bus*, & in 6. lib. 1. Titulo 23.

In 1. cap., quod incipit. *Sanè*, ex Concilio Aphricano, ſtatuitur, quòd Arbitri ſunt aſſumendi in diſpari numero, & eis diſcordantibus, ſtatur ſententiæ majoris partis: ſi autem aſſumantur in pari numero, tenet arbitrium, & ſi æqualitèr diſcordent, cogendi ſunt, ut vel concordent, vel tertiam perſonam aſſumant; In æquali enim numero facilè diſcordant propter materialem hominum facilitatem ad diſſentiendum.

In 2. cap., quod incipit. *Non ſine*, ex Alexandro III., ſtatuitur, quòd nullum eſt arbitrium, ſeu arbitramentum de re iniqua, & continente peccatum; quod enim per Arbitros ſtatuitur, debet eſſe licitum, & Juſtitiæ conforme.

In 3. cap. quod incipit. *Pervenit*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Arbiter, ſeù Arbitri aſſumpti in aliquâ Cauſâ Patrimoniali alicuius Clerici, non poſſunt ferre arbitrium in præjudicium Eccleſiæ etiam ad vitam Clerici: nàm delictum Perſonæ non debet in damnum Eccleſiæ redundare:

In 4. cap., quod incipit *Dilecti Filij*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd licèt Feminæ de jure communi aſſumi non poſſint in Arbitraticis; tamèn ſi ſint Juriſdictionem habentes temporalem, in eas poſſunt alii compromittere, maximè ubi adeſt conſuetudo, quæ dat Jurisdictionem perſonæ, quæ aliàs eſt inhabilis àd judicandum,

In 5. cap., quod incipit. *Cum tempore*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Eccleſia, quæ gaudet exemptione, non poteſt, nec debet in prejudicium exemptionis ſuæ compromittere ſine licentia illius, qui eam Eccleſiam conſtituit exemptam; non enim poteſt tali Eccleſiæ prejudicare.

In 6. cap, quod incipit *Cum dilectus*, ex eodem ſtatuitur, quòd Arbiter non habet poteſtatem judicandi ultrà terminos compromiſſi: non enim mandatarius poteſt excedere fines mandati.

In 7. cap. quod incipit. *Cum olim*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Arbiter cui mandatum eſt aliquem eligere de aliquorum conſilio, tenetur quidem in electione

ne eorum conſilium inquirere, non tamen tenetur ſequi, cùm mandatum hoc imponat.

In 8. cap. quod incipit. *Contingit*, ex eodem ſtatuitur, quòd de rebus ſpiritualibus in Laicum compromitti non poteſt; quia Laicus de talibus cognoſcere non debet; ſunt enim aliena à Iudice Laico.

In 9. cap. quod incipit. *Per tuas*, ex eodem ſtatuitur, quòd Procurator generaliter ad agendum, & defendendum datus, non poteſt compromittere, ſeu tranſigere ſine ſpeciali mandato; aliàs enim fines mandati excederet, & nullum eſſet tale compromiſſum, ſeu tranſactio.

In 10. cap. quod incipit. *Ex parte tua*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd in caſu, quòd ſint duo electi ad eamdem Prælaturam, & in diſcordiâ compromittunt in Ordinarium, ſi accidat mors unius compromittentis, expirat compromiſſum: Remanet tamen in Ordinario, ordinaria poteſtas procèdendi ſuper jure ſuperſtitis, antequam fiat tranſitus ad aliam electionem.

In 11. cap. quod incipit. *Expoſita*. ex eodem ſtatuitur, quòd Arbiter, poſt rem judicatam, aſſumptus ſuper diſcordiis novis, non poteſt, nec debet per ſuum arbitrium ſententiam latam immutare; etiamſi de componendo inter partes habeat mandatum; aliàs excederet fines mandati.

In 12. cap. quod incipit. *Innotuit*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd non valet compromiſſum factum in duos, ſive plures, cum hac conditione: ut in caſu diſcordiæ eligatur Tertius per eoſdem, vel alios. Nam compromiſſum de incerta perſona aſſumenda in Arbitrum, non tenet.

In 13. cap. quod incipit. *Cum à nobis*, ex eodem ſtatuitur, quòd valet compromiſſum factum in unum, vel in plures, ut ipſi per ſe cauſam definiant, vel per alios, quos ipſi elegerint, quibus quidem non datur arbitrium diffiniendi, quià ſunt incertæ perſonæ, ſed arbitrium datur primis Arbitris, qui debebunt arbitrare, & reſolvere cauſam, auditis iis, quos elegerint ſuper meritis cauſæ.

In 14. cap. quod incipit. *Compromiſſum*, ex eodem ſtatuitur, quòd Compromiſſum ante ſententiam latam expirat morte alterius compromittentium; unde de jure non tranſit in Hæredes compromittentium, niſi de eis ſit expreſſe cautum in compromiſſo; Compromiſſum enim de jure communi eſt potius perſonale, quàm ſucceſſivum. Videatur D. Th. 2. 2. q. 67. art. 1. ad 2. ubi ait: *Dicendum, quòd in rebus humanis aliqui propria ſponte poſſunt ſe ſubiicere aliorum judicio, quamvis non ſint eis Superiores, ſicut patet in his, qui compromittunt in aliquos arbitros: Et inde eſt, quòd neceſſe eſt, arbitrium pœna vallari, quia Arbitri qui non ſunt Superiores, non habent de ſe plenam poteſtatem coercendi. Sic ergo, & Chriſtus propriâ ſponte humano Judicio ſe ſubdidit, ſicut etiam, & Leo Papa, ſe Judicio Imperatoris ſubdidit.*

ELEN-

Digitized by Google

ELENCHUS

Titulorum XLIII. Primi Libri Decretalium.

Titulus I. *De Summa Trinitate, & Fide Catholica in duo Cap. diſtinctus.* Pag. 10.

Titulus II., *De Coſtitutionibus in 13. Cap. Diſtinctus.* Pag. 12.

Titulus III, *De Reſcriptis in 43. Cap. diſtinctus.* Pag. 13.

Titulus IV. *De Conſuetudine in 11. Cap diſtinctus.* Pag. 18.

Titulus V. *De Poſtulatione Prelatorum in 6. Cap. diſtinctus.* Pag. 20.

Titulus VI. *De Electione, & Electi poteſtate in 60. Cap. diſtinctus.* Pag. 20.

Titulus VII. *De Translatione Epiſcopi in 4. Cap. diſtinctus.* Pag. 26.

Titulus VIII. *De Authoritate, & Vſu Pallij in 7. Cap. diſtinctus.* Pag. 27.

Titulus IX. *De Renunciatione in 15. Cap. diſtinctus.* Pag. 28.

Titulus X. *De ſupplenda negligentia Prælatorum in 9. Cap. diſtinctus.* Pag. 29.

Titulus XI. *De Temporibus Ordinationum in 17. Cap. diſtinctus.* Pag. 30.

Titulus XII. *De Scrutinio in Ordine faciendo unico Cap. comprehenſus.* Pag. 32.

Titulus XIII. *De Ordinatis àb Epiſcopo, qui renunciavit Epiſcopatui in duo Cap. diſtincts.* Pag. 33.

Titulus XIV. *De Ætate, Qualitate, & Ordine Præficiendorum in 15. Cap. diſtinctus.* Pag. 33.

Titulus XV. *De Sacra Vnctione unico Cap. compræhenſus.* Pag. 35.

Titulus XVI. *De Sacramentis non iterandis in 3. Cap. diſtinctus.* Pag. 36.

Titulus XVII. *De Filijs Presbyterorum in 18. Cap. diſtinctus.* Pag. 36.

Titulus XVIII. *De Servis non ordinandis, & eorum manumiſſione in 8. Cap. diſtinctus.* Pag. 38.

Titulus XIX, *De Obligatis ad Ratiocinia Ordinandis, vèl non, unico Cap. comprehenſus.* Pag. 39.

Titulus XX. *De Corpore vitiatis ordinandis, vèl non in 7. Cap. diſtinctus.* Pag. 39.

Titulus XXI. *De Bigamis non ordinandis in 7. Cap. diſtinctus.* Pag. 40.

Titulus XXII. *De Clericis peregrinis in 4. Cap. diſtinctus.* Pag. 41.

Titulus XXIII. *De Officio Archidiaconi in 10. Cap. diſtinctus.* Pag. 42.

Ti-

Digitized by Google

Titulus XXIV. *De Officio Archipræsbyteri in 4. Cap. diſtinctus.* pag. 43.
Titulus XXV. *De Officio Primicerij unico Cap. diſtinctus.* pag. 44.
Titulus XXVI. *De Officio Sacriſtæ unico Cap. diſtinctus.* pag. 44.
Titulus XXVII. *De Officio Cuſtodis in duo Cap. diſtinctus.* pag. 44.
Titulus XXVIII. *De Officio Vicarij in 6. Cap. diſtinctus.* pag. 44.
Titulus XXIX. *De Officio, & Poteſtate Iudicis Delegati in Cap.* 43. *diſtinctus.* pag. 45.
Titulus XXX. *De Officio Legati in* 10. *Cap. diſtinctus.* pag. 49.
Titulus XXXI. *De Officio Iudicis Ordinarij in* 20. *Cap. diſtinctus* pag. 51.
Titulus XXXII. *De Officio Iudicis in duo Cap. diſtinctus.* pag. 53.
Titulus XXXIII. *De Majoritate, & Obedientia in* 17. *Cap. diſtinctus.* p. 54.
Titulus XXXIV. *De Tregua, & Pace in duo Cap. diſtinctus.* pag. 55.
Titulus XXXV. *De Pactis in* 8. *Cap. diſtinctus.* pag. 56.
Titulus XXXVI. *De Tranſactionibus in* 11. *Cap. diſtinctus.* pag. 57.
Titulus XXXVII. *De Poſtulando in* 3. *Cap. diſtinctus.* pag. 57.
Titulus XXXVIII. *De Procuratoribus in* 15. *Cap. diſtinctus.* pag. 58.
Titulus XXXIX. *De Syndico unico Cap. compræhenſus.* pag. 59.
Titulus XL. *De his, quæ vi, metuſve cauſa fiunt, in* 7. *Cap. diſtinctus* p. 60.
Titulus XLI. *De in integrum Reſtitutione in* 10. *Cap. diſtinctus.* pag. 61.
Titulus XLII. *De Alienatione Iudicij mutandi cauſa facta in duo Cap. diſtinctus.* pag. 62.
Titulus XLIII. *De Arbitris in* 14. *Cap. diſtinctus.* pag. 62.

LIBER SECUNDUS DECRETALIUM

In XXX. Titulos diſtinctus.

TITULUS PRIMUS.

De Judiciis in capita 21. diſtinctus.

Dictum eſt in ſuperioribus Titulis primi Libri de Præparatoriis ad Judicia, nunc in hoc ſecundo Libro de Judiciis ipſis eſt tractandum.

Agitur de hac materiâ in Decreto Gratiani Cauſa 2. qu. 1. Cauſa 3. q. 4. Cauſa 14. q. 1., & multis aliis in locis. In 6., lib. 2. titulo 1. In Clement. lib. 2. titulo 1. & in Extravag. lib. 2. de Iudiciis cap. unico.

In cap. 1., quod incipit. *De quodvultdeo*, ex Concilio Aphricano, ſtatuitur, quòd propter contumaciam aliquis poteſt excommunicari, non tamen poteſt privari Beneficio ſine cauſæ cognitione.

In 2. cap., quod incipit. *Decernimus*, ex Synodo Eugenii Papæ, ſtatuitur, quòd Laici negotia Eccleſiaſtica tractare non debent, ſed ad Tribunal Spirituale ſpectant; ſunt enim talium negotiorum Prælati Iudices ordinarii.

In 3. cap., quod incipit. *Quanto*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd Cauſa juris patronatus ſpectat ad judicium Eccleſiæ; eſt enim Spiritualis, vel ſaltem annexa rei ſpirituali: acceſſorium autem ſequitur naturam, & juriſdictionem principalis.

In 4. cap., quod incipit. *At ſi Clerici*, ex eodem ſtatuitur, quòd Epiſcopus non debet punire Clericum aliàs convictum, vel confeſſum coràm Iudice Sæculari; nulla enim ſunt illius acta in Cauſâ Clerici, ſed debet ipſum punire pœnâ debitâ, ſi ſit apud ipſum convictus, & confeſſus; in adulteriis verò, & minoribus criminibus, peractâ debitâ pœnitentiâ, poterit cum eo diſpenſare, ut ſuo fungatur officio. Si autem Clericus ab Epiſcopo propter crimen deponatur, non propter hoc eſt tradendus Curiæ Sæculari, niſi propter enormitatem delicti merentis mortem, aut incorrigibilitatem.

In 6. cap., quod incipit. *Cæterùm*, ex eodem, ſtatuitur, quòd quando vertitur quæſtio Fœudi Eccleſiæ inter Vaſſallos, cauſa tractari debet coram Domino Fœudi. Si autem quæſtio illa ſit inter Dominum Fœudi, & Vaſſallos, talis cauſa ſpectabit ad Ordinarium.

In 6. cap., quod incipit. *Dilecti*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſecundùm Canones Actor non tenetur in libello exprimere nomen actionis, ſed ſufficit, ut factum ita proponat, ut ex eo jus agendi clarè colligatur.

In 7. cap., quod incipit. *Intelleximus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd licèt excommunicatus poſſit conveniri in judicio tamquàm reus, non poteſt tamen per ſe ipſum reſpondere, ſed per alium; nè videatur de ſuâ malitiâ commodum reportare.

In 7. cap., quod incipit. *Clerici*, ex Lucio III. ſtatuitur, quòd Clericus de omni crimine debet coram Iudice Eccleſiaſtico conveniri, quacumque conſuetudine in contrarium non obſtante; talis enim conſuetudo eſt corruptela, & abuſus, utpotè contra Sacros Canones.

In 9. cap., quod incipit. *Cauſam*, ex Clemente III. ſtatuitur, quòd ad Iudicem ſpectat, nè Capitulum abſquè aſſenſu Prælati ſui admittatur in cauſa ad agendum, vel ſe defendendum, nè Prælatus id ignorans, litem ſopitam valeat iterum ſuſcitare.

In

In 10. cap., quod incipit. *Cum non ab homine*, ex Cœleſtino III. ſtatuitur, quòd Clericus depoſitus tamquàm incorrigibilis, excommunicandus eſt, & ſucceſſivè anathematizandus:& ſi propter hoc non reſipuerit, per Iudicem Sæcularem erit comprimendus.

In 11. cap., quod incipit. *Quia*, ex eodem, ſtatuitur, quòd per Reſcriptum impetratum à Papa, non ſolùm convenitur ille, contra quem èſt impetratum Reſcriptum, ſed eo mortuo convenitur etiàm ejus ſucceſſor, qui ſuccedit in vitium; non enim eſt Poſſeſſor bonæ fidei, cùm ſit mota lis.

In 12. cap., quod incipit. *Cum veniſſent*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd ſolùm ſpectat ad Papam cognitio de dubiis circa Privilegia Apoſtolicæ Sedis: nam ejus eſt interpretari, cujus eſt condere; undè ejus cognitio non eſt alteri deleganda.

In 13. cap., quod incipit. *Novit*, ex eodem, ſtatuitur, quòd quilibet Laicus etiam Princeps, aut Rex poteſt, & debet conveniri in judicio à Prælato Eccleſiaſtico ratione peccati,& maximè perjurii, & pacis fractæ: ſpectat enim ad Prælatum Eccleſiaſticum corrigere Subditum de crimine, ſecundùm illud Evangelii, *ſi peccaverit &c. dic Eccleſiæ*.

In 14. cap., quod incipit. *Paſtoralis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſpectat ad principalem in causâ proponere per ſe ipſum, & non per alios factum ſuum, niſi ſit taliter indiſcretus, & inhabilis, ut ejus defectus per alium debeat ſuppleri.

In 15. cap., quod incipit. *Examinata Cauſa*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Actor libellum ineptè concipiat, Reus ab inſtantia judicii eſt abſolvendus: quòd ſi poſtea eum reformaverit, Reus tùnc tenebitur reſpondere.

In 16. cap., quod incipit. *Cum deputati*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Præceptores Templi, qui erant Miniſtri, ſeu Rectores Eccleſiarum Militum Templariorum in Italia pro domibus ſuis agere, & defendere poſſunt: quilibet enim præſumitur Miniſter idoneus, niſi probetur contrarium.

In 17. cap., quod incipit. *Qualitèr*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Clerici non debent trahi ad Sæculare Tribunal, etiàm ſuppoſitâ negligentiâ, ſeu conniventiâ Prælati Eccleſiaſtici; tenetur enim Prælatus Eccleſiaſticus juſtitiam facere Laicis de Clericis, ordine juris ſervato.

In 18. cap. quod incipit. *Cauſam*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Iudex habens, ut Iudex, conſimilem cauſam, quam habet ut privata perſona, à judicio talis cauſæ debet removeri: nam in tali cauſa præſumitur ſuſpectus propter proprium intereſſe ſuæ cauſæ.

In 19. cap. quod incipit. *Exhibita*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd licitum eſt appellare à Iudice, qui recipit Teſtes lite adhuc non conteſtatâ, aut ſimul de principali Cauſa, & exceptionibus præjudicialibus cognoſcit. Hæc enim omnia debent fieri ſuo ordine à jure præſcripto.

In 20. cap., quod incipit. *Venerabilis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd non obſtante lapſu triennii poteſt Delegatus procedere in causâ ſibi commiſsâ, ſi ei non ſit limitatum tempus.

In 21. cap. quod incipit. *Significaverunt*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Actor obtinens in Poſſeſſorio coràm Iudice Rei, non tenetur coram eodem Iudice ſuper proprietate reſpondere, ſi eſt alterius fori, nam propter diverſitatem fori Poſſeſſorium dividitur à proprietate. Videatur D. Th. 2.2.q.60.de Iudicio per 6. articulos, cujus doctrinâ elucidantur quæ in hoc titulo continentur.

TITULUS II.

De Foro competenti in 20. capita diſtinctus.

Quià in ſuperiori titulo actum eſt de Iudiciis, quæ præcipuè agitari non poſſunt, niſi in Foro competenti; ideò immediatè ſequitur præſens titulus de Foro competenti.

De hac materia agitur in Decreto Gratiani diſt. 93. & Cauſa 3. q. 6., & Cauſa 6. q. 3., & cauſa 21. q. 5. per totum. In 6. Decr. lib. 2. tit. 2. In Clement. lib. 2., tit. 2.

In cap. 1., quod incipit. *Si quis Clericus*, ex Concilio Chalcedonenſi, ſtatuitur,

tur, quòd ſi Clericus cauſam habeat adverſus alium Clericum, aut Laicus adverſus Clericum, debent Reum convenire coram ſuo Ordinario; nam Actor ſequi debet Forum Rei.

In 2. cap., quod incipit. *Nullus*, ex Concilio Pariſienſi, ſtatuitur, quòd nullus Iudex Sæcularis Eccleſiaſticam Perſonam poteſt judicare, aut condemnare; quòd ſi fecerit, ab Eccleſiâ, cui fecit injuriam maneat ſequeſtratus, donec emendatus condignè ſatisfaciat.

In 3. cap., quod incipit. *Sanè*, ex Concilio Aphricano, ſtatuitur, quòd Forum quis ſortitur ratione loci, ubi res eſt, de qua contenditur; unde ſi inter duos Epiſcopos diverſarum Provinciarum ſit lis ſuper aliqua Poſſeſſione, Archiepiſcopus, vel Primas illius loci, ubi res eſt, debet cauſam judicare.

In 4. cap., quod incipit. *Si quis*, ex Gregorio, ſtatuitur, quòd ſi Epiſcopus tamquàm ſuſpectus fuerit recuſatus, de cujus ſuſpicione notoriè conſtet, in tali caſu tenebitur talis Epiſcopus dare Delegatum neutri parti ſuſpectum, cujus ſententiam poterit ipſe Epiſcopus executioni mandare.

In 5. cap., quod incipit. *Si Clericus*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd ſi Clericus conveniat coram Iudice Eccleſiaſtico Laicum de rebus propriis ipſius Clerici, vel ſuæ Eccleſiæ, & Laicus neget res eſſe Eccleſiæ, vel Clerici, tunc Laicus eſt conveniendus coram ſuo Iudice Laico: nam Actor ſequi debet Forum Rei, licet in quibuſdam partibus aliter de conſuetudine ſervetur.

In 6. cap., quod incipit. *Ex tramiſſa*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Quæſtio Fœudalis inter Clericum, & Laicum ſpectat ad Dominum Fœudi, quòd ſi ipſe per negligentiam, aut malitiam diſtulerit de ea cognoſcere, tunc ſpectabit ad Epiſcopum, aut Delegatum Papæ.

In 7. cap., quod incipit. *Verùm*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Dominus Fœudi, ſive ſit Eccleſiaſticus, ſive Sæcularis cauſam fœudalem cognoſcit, etiamſi Vaſſalli ſint Clerici; nam ratione Fœudi, in Cauſa Fœudi, ab ejus dependent Iudicio etiam Clerici.

In 8. cap. quod incipit. *Cum ſit generale*, ex Lucio III., ſtatuitur, quòd malefactores Eccleſiarum poſſunt conveniri ſive in Foro Laico, ſive Eccleſiaſtico: cum enim Judices Laici ſint remiſſi, & negligentes in reddendâ juſtitiâ Perſonis Eccleſiaſticis, ſtatutum fuit favore Eccleſiæ, ut Rectores Eccleſiarum contrà malefactores, utpotè Sacrilegos, procedere poſſint etiam in Foro Eccleſiaſtico.

In 9. cap., *Quod Clericis*, ex Cæleſtino III., ſtatuitur, quòd Cauſæ Clericorum ſunt ab Ordinario terminandæ non ſecundum conſuetudinem Laicorum Judicum, ſed ſecundùm Jura Canonica; In multis enim Jus Canonicum diverſificatur à civili, & ab ejus conſuetudine.

In 10. cap., quod incipit. *Licet*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd Laicus non poteſt convenire Laicum coram Judice Eccleſiaſtico in cauſis, quæ Forum Sæculare contingunt, niſi forſan in defectu Juſtitiæ Sæcularis, vel niſi conſuetudo loci id expoſcat.

In 11. cap., quod incipit. *Ex tenore*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Vidua non poteſt convenire Laicum coram Judice Eccleſiaſtico, niſi ſuper Cauſâ Eccleſiaſticâ, vel in defectum Judicis Sęcularis negligentis Cauſam, & nolentis juſtitiam facere: tunc enim Eccleſia pro miſerabilibus perſonis juſtitiam illis poterit adminiſtrare. Cauſæ autem, de quibus Eccleſia poteſt, & debet judicare, his verſibus compræhænduntur.

Hæreticus, Simon, Servus, Periurus, Adulter.
Pax, Privilegium, violentus, Sacrilegusq;
Si vacat Imperium, ſi negligit, ambigat, an ſit.
Suſpectus Judex, ſi ſubdita terra, vel uſus
Ruſticus, & Servus, Peregrinus, Fœuda, Viator.
Si quis pœniteat, miſer aut ſit, cauſaque mixta.
Si denunciat Eccleſia, quis: judicat ipſa,

In cap. 12., quod incipit. *Si diligenti*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Clericus non poteſt cedere juri ſuo pro temporalibus, aſſentiendo etiam cum juramento Adverſario, ut trahi poſſit ad Tribunal Sæcu-

Sæculare; tale enim Privilegium non eſt Perſonæ, ſed Dignitatis; per pactum enim privatæ perſonæ non poteſt juri publico derogari, nec juramentum illud, utpotè de re illicita, tenet. Sic D.Th.2.2. q.89. art. 7. in corpore, ubi ait: *Juramentum non eſt ſervandum in eo caſu, quo eſt peccatum, vel boni impeditivum. Sic ergo dicendum eſt, quòd quicumque jurat, aliquid ſe facturum, obligatur ad id faciendũ, ad hoc quòd veritas impleatur, ſi tamen alij duo Comites adſint, ſcilicet Judicium, & Iuſtitia*. Hæc D. Thom. videatur per totam quæſt. citatam.

In cap. 13. quod incipit. *Cum contingat*. ex eodem, ſtatuitur, quòd Clerici, quamvis deputati ſervitio Capituli, aut Collegij, in exceſſibus ſuis debent conveniri, & puniri ab Epiſcopo loci tamquàm Judice Ordinario, non ab ijs, quibus inſerviunt; niſi iſti habeant ſpeciale Privilegium, vel ſit legitima conſuetudo in contrarium.

In cap. 14., quod incipit. *Poſtulaſti*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Epiſcopus delicti debet Clericum condemnare de delicto, eumque declarare indignum Beneficio, quod poſſidet in alia Diœceſi, cujus Epiſcopus debebit illum tali Beneficio actù privare, tamquam Executor ſententiæ Epiſcopi delicti: nam pèr unum fertur ſententia, quia deliquit in ejus Diœceſi; & pèr alium, in cujus Diæceſi eſt Beneficium, executioni mandatur.

In cap. 15. quod incipit. *Ex parte*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd Cauſæ Viduarum, ſpecialiter dotalitiæ, quoàd poſſeſſorium ſpectant àd Judicem Eccleſiaſticum, cujus intereſt Viduas defendere, etiamſi res ſubtracta dicatur fæudalis: in quo caſu licèt quò ad poſſeſſorium ſpectent àd Eccleſiaſticum Judicem, ſpectabunt tamèn quoàd petitorium àd Dominum Fæudi.

In cap. 16., quod incipit. *Conqueſtus*, ex Gregorio IV., ſtatuitur, quòd Laici Iura Eccleſiaſtica uſurpantes, tamquam Sacrilegi, per Iudicem Eccleſiaſticum ſunt excommunicandi, uſque àd debitam ſatisfactionem, monitione tamen præmiſsâ.

In cap. 17., quod incipit *Dilecti Filij*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Privilegiatus, qui aliàs non tenetur reſpondere, niſi in certo Loco, ſi ipſe promittat reſpondere, vel ſolvere in alio loco, ibi poterit conveniri, & etiam ubi habet domicilium; Renunciavit enim Juri ſuo.

In cap. 18., quod incipit. *Significaſti*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Clericus non poteſt conſentire in Judicem non ſuum, niſi in alium Clericum, vèl Eccleſiaſticum, & de voluntate Epiſcopi proprii, aliàs ſententia non tenet.

In cap. 19., quòd incipit. *Propoſuiſti*, ex eodem, ſtatuitur, quòd legitimè citatus tenetur coràm Judice citante, cauſam proſequi, non obſtante, quòd poſt citationem mutaverit Forum: nàm talis mutatio eſt facta causâ jam inceptâ in Foro; unde ibi debet terminari.

In cap. 20., quod incipit. *Licèt*, ex eodem, ſtatuitur, quòd quilibet Clericus poteſt in Curia Romana conveniri: nàm Dominus Papa eſt Ordinarius Iudex omnium Eccleſiarum, & Clericorum.

TITULUS III.

De Libelli Oblatione in 3. Cap. diſtinctus.

Poſtquàm dictũ eſt de foro competenti; Agitur de Oblatione Libelli, quæ oblatio eſt principium Ordinis Iudiciarij; Neceſſe eſt enim ut Actor exprimat Iudici in ſcriptis gravamen, ſeu cauſam ſuæ petitionis contrà Adverſarium, cui debet talis ſcriptura, ſeu libellus manifeſtari, ut tàm Iudex, quàm Adverſarius ſciant quid, & qualiter petitur, àd effectum quòd Iudex ſit informatus de re, quæ prætenditur, & Adverſarius præparet ſe ad reſpondendum.

Agitur de hac materia in Decreto Gratiani diſt. 81. & Cauſa 2. queſt. 2. per totum.

In 1. Cap.. quod incipit. *Ignarus Epiſcopus*, ex Concilio apùd S. Medardum, ſtatuitur, Actorem teneri in ſcriptis libellum porrigere Iudici, & communicare Adverſario, aliàs Iudex non debet Actorem admittere; debet enim

con-

conſtare de motivo litis.

In 2. cap, quod incipit *Significantibus*, ex Innocentio III., ſtatuitur, quòd cum agitur de cauſa reali, ſcilicèt cùm Actor petit ſibi reſtitui rem ſuam &c. non ſufficit rem generalitèr peti, ſed debet in libello ità ſpecificari, ut evitetur obſcuritas, & æquivocatio.

In 3. cap., quod incipit. *Dilecti Filij*, ex Gregorio IX.. ſtatuitur, quòd Reus non tenetur reſpondere libello in actione perſonali, ſi non exprimitur in libello cauſa petendi.

Quæ autem in libello ſint exprimenda, his verſibus comprehænduntur.

Quis, quid, coram quo, quo jure petatur, & à quo
Rectè compoſitus quiſque libellus erit.

TITULUS IV.

De Mutuis petitionibus in duo capita diſtinctus.

QUia in Superiori Titulo actum eſt de Libelli Oblatione, & plerumque accidit, quòd libelli porrigantur ab utraque parte, exprimendo ſcilicet tàm unus, quàm alter Adverſarius in propriis libellis ſuas petitiones; ideo nunc de mutuis petitionibus eſt dicendum.

Agitur de hac materia in Decreto Gratiani Cauſa 3. quæſt.8. cap. *Cujus in agendo*.

In 1. cap. quod incipit. *Ex litteris*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd ad Iudicem, etiamſi Delegatum, ſpectat compellere Actorem ad reſpondendum Reo in cauſâ Reconventionis, & reconventio ad eumdem ſpectat Iudicem, qui Cauſam utramque ordine ſucceſſivo ſimul audiet, & unâ ſententiâ terminabit.

In 2. cap. quod incipit. *Prudentiam*, ex Cœleſtino III. ſtatuitur, quòd Ius, & facultas procedendi data per Reſcriptum Iudici delegato in Cauſâ conventionis, intelligitur repetita in Cauſâ Reconventionis; nam Actor, & Reus eodem jure cenſentur,& eadem eſt conditio utriuſque; unde ſicut Actor vult ſibi juſtitiam fieri contra; ita tenetur Reo reſpondere ſub eadem forma, ſi ab eo reconveniatur.

TITULUS V.

De litis Conteſtatione unico capite compræhenſus.

QUia poſt libelli oblationem, & mutuam petitionem fieri debet litis Conteſtatio; ideo ponitur præſens Titulus.

Agitur de hac materia in Decreto Gratiani Cauſa 3. qu. 13. capite *offerat*, & in 6. Decretal. lib. 2. Titulo 3.

In hoc cap. quod incipit. *Olim*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd ad litis conteſtationem non ſufficit coram Iudice poſitiones, ideſt factum, vel facta ex una parte, & reſponſiones datas ex alia parte adducere, ſed neceſſariò requiritur ab Actore fieri petitionem apud Iudicem in jure propoſitam, & reſponſionem Rei ſecutam; In hoc enim conſiſtit litis conteſtatio, ſcilicet in Petitione juridicâ Actoris, & in Reſponſione Rei, cum animo in utroque litem proſequendi: unde Litis conteſtatio dicitur exordium litis, ſive principium Cauſæ, ſine qua conteſtatione Proceſſus eſt nullus.

TITULUS VI.

Ut lite non conteſtata, non procedatur ad Teſtium receptionem, vel ad ſententiam diffinitivam, in quinque capita diſtinctus.

QUia in Superiori Titulo viſum eſt qualiter fiat litis conteſtatio, in præſenti ſtatuitur, quòd lite non conteſtatâ non poteſt Iudex procedere ad receptionem Teſtium, vel ad ſententiam diffinitivam.

De hac materia agitur ubi ſupra de litis conteſtatione.

In 1.cap. quod incipit. *Ad hoc Deus*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd ſi agatur

tur de Adulterio præciſè ad ſeparationem Thori, & non ad dotis reſtitutionem, licèt ante litis conteſtationem poſſit Reus propter contumaciam excommunicari, non poteſt tamen Iudex recipere Teſtes, aut ſententiam definitivam proferre.

In 2. cap. quod incipit. *Accedens*, ex eodem ſtatuitur, quòd in Causâ Reſtitutionis, qua quis Actor prætendit ſe injuſtè ſpoliatum Beneficio, ante litis conteſtationem non ſunt recipiendi Teſtes, nec ſententia proferenda, poterit tamen Reus, ſi fuerit contumax excommunicari, ſi aliàs non appellaverit, allegando Iudicem ſuſpectum.

In 3. cap. quod incipit. *Tua Fraternitatis*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Reus, lite non conteſtata, & juridicè citatus ad cauſam, contumaciter ſe abſentaverit, ſi ſit cauſa realis in pœnam contumaciæ Rei, Actor eſt mittendus in poſſeſſione rei petitæ, non per definitivam ſententiam, ſed interlocutoriam, ſcilicet causâ cuſtodiæ. Si verò cauſa ſit Perſonalis, Reus in pœnam contumaciæ debet excommunicari.

In 4. cap. quod incipit. *Accedens*, ex eodem ſtatuitur, quòd etiam in Cauſa Matrimoniali, lite non conteſtatâ, receptio Teſtium facta contra non contumacem, ſed legitimè appellantem, allegantem rationabiliter Iudices ſuſpectos, eſt nulla: nam appellans non eſt contumax, nec ob id poteſt excommunicari.

In 5. cap. quod incipit. *Quoniam*, ex eodem ſtatuitur, quòd licet regulariter loquendo, Teſtes non recipiantur antè litis conteſtationem, tamen in aliquibus fallit hæc Regula.

Primò cum timetur de morte, vel de abſentia diuturna Teſtium, ut ſi Teſtes ſint valde ſenes, & valetudinarii, & debiles, aut peregrini, aut à loco neceſſariò diſceſſuri; tunc enim auditi poſſunt, etiam lite non conteſtata, ne veritas ex deficientia Teſtium occultetur, & copiæ probationum ſubtrahantur in præjudicium juſtitiæ: Tenetur tamen Actor infra annum convenire Adverſarium abſentem, vel ſaltem ei juridicè denonciare examen Teſtium.

Secundò. Cùm agitur de Matrimonio ſivè Carnali, ſivè Matrimonio Spirituali, ſcilicèt de electione alicujus ad aliquam Eccleſiam; an videlicèt talis electio fuerit canonicè facta, vel electus fuerit dignus &c. In his enim duobus caſibus poterunt examinari Teſtes antè litis conteſtationem; In hoc tamèn caſu, nè proptèr longam moram in ſpiritualibus, & temporalibus Eccleſia viduata patiatur læſionem: In primo verò de Matrimonio carnali, nè mulieri propter diuturnitatem temporis fornicationis occaſio præbeatur, ſi contumax fuerit ille, contrà quem actio fuerit proponenda: quibus Teſtibus examinatis præficiendum eſt tempus à Judice, ſcilicèt ſex menſium ad dicendum contrà Teſtes, quo termino elapſo, ſi non compareat, vel non probet, ferenda eſt ſententia in favorem Actoris.

Tertiò. Si Reus, lite non conteſtata, citatus, & expectatus, ſit contumax, & cauſa ſit de actione reali, examinatis Teſtibus, Actor debet poni in poſſeſſione rei petitæ cauſa cuſtodiæ, ut dictum eſt ſuprà, quam tamèn rem Reus veniens infrà annum poterit recuperare, ſi offerat cautionem de ſtando Juri, & reſtituat expenſas. Poſt annum verò, his non ſervatis, non eſt audiendus niſi ſupèr proprietate. Sed ſi Reus contumax conveniatur actione perſonali, examinatis Teſtibus, mittetur Actor in poſſeſſionem Bonorum ipſius Rei prò modo debiti declarati: & primò mobilium, ſecundò immobilium, ſi mobilia non exiſtant; & Reus ſic in contumacia exiſtens excommunicabitur. Debebit tamèn audiri Reus contumax, ſi præſentet ſe Judici infrà annum, vel etiam poſt annum, dummodò cautionem dederit de ſtando judicio, & ad ipſum ſpectabit ſe purgare de contumacia, & reſpondere probationibus contrà ipſum factis, promittendo ſtare ſententiæ definitivæ.

TITU-

TITULUS VII.

De Juramento Calumniæ in 7. Cap. diſtinctus.

QUia, actione in Judicio propoſitâ, & conteſtatione litis facta, ſuccedit, quòd Judex ad petitionem partis, imponit præſtandum ab altera comparte Juramentum Calumniæ, ſcilicèt, quòd juret tactis Evangeliis, quòd talis lis, vel defenſio juſta ſibi videatur, &c. Ideò de Juramento calumniæ in præſenti eſt agendum; Qualitèr autèm ſit præſtandum Juramentum calumniæ, dico eſſe præſtandum in his quinque punctis. Primò, ut Litigantes in præſentia Judicis conſtituti jurent, quòd credant habere bonam cauſam, & bonum jus. Secundò, quòd non negabunt veritatem. Tertiò, quòd non utentur ſcientèr falſis probationibus. Quartò, quòd non petant dilationem, gratia differendæ litis. Quintò, quòd non corrumpent gratia, vel munere animum Judicis. Quæ omnia his verſibus in Gloſſa adductis compræhenduntur.

Illud juret, quòd lis ſibi juſta videtur,
Et ſi quæretur, verum non inficietur
Nil promittetur, nec falſa probatio detur,
Ut lis tardetur, dilatio nulla petetur.

Agitur de hac materia hìc, & in 6. Decretalium lib. 2. Titulo 4.

In cap. 1., quod incipit. *Inhærentes*, ex Honorio II., ſtatuitur, quòd Clericus in cauſa Eccleſiæ ſuæ ad Juramentum cogi non poteſt per ſe, ſed illud per alium tenebit præſtare; Per ſe autèm abſque licentia ſui Prælati non poteſt, ſicùt Epiſcopus abſque licentia Papæ.

In 2. cap., quod incipit. *Literas*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in Cauſis ſpiritualibus, vel ſpiritualibus annexis non eſt excipiendum, nec præſtandum Juramentum de calumnia, quià hujuſmodi Cauſæ debent tractari ex Canonum æquitate, & non ex legum Civilium diſtrictione: Sacri autèm Canones in Cauſis hujuſmodi nulli imponunt Calumniæ Juramentum.

In 3. cap., quod incipit. *In pertractandis*, ex Eugenio Papa, ſtatuitur, quòd principalis perſona in cauſa, licèt compareat per OEconomum, tamèn per ſe ipſum tenetur ad præſtandum Juramentum Calumniæ, quòd ſi attenta qualitate perſonæ, per ſe ipſum non præſtet, debet ſaltem præſtare per Æconomum, qui debet jurare in animam ſuam.

In 4., quod incipit. *Imperatorum*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Monachi non ſunt cogendi ad Juramentum Calumniæ; debent tamèn Æconomum Monaſterii conſtituere, qui tenebitur ad inſtantiam Judicis jurare de calumnia, aliàs caderent à cauſa.

In 5. cap., quod incipit. *Cæterum*, ex Lucio III. ſtatuitur, quòd quandò agitur inter Clericos coràm iudice de Cauſis propriis, debent compelli præfati Clerici ad præſtandum Juramentum de Calumnia, ut veritas eliciatur, & timore Jutamenti non efficiantur immemores propriæ ſalutis, ſicquè non audeant calumnioſè agere in Cauſis.

In 6. cap., quod incipit *Cùm Cauſam*, ex Innocentio III., ſtatuitur, quòd Procurator, vel Syndicus Univerſitatis Eccleſiaſticæ, vèl Sæcularis, Cauſâ propoſitâ, & lite conteſtatâ de Calumniâ jurare poteſt.

In 7. cap. quod incipit. *Cùm in Cauſa*, ex Gregorio IX., ſtatuitur, quòd ſi aliquis Epiſcopus litiget per Syndicum, vel Actorem, àd ipſum ſpectabit præſtare juramentum Calumniæ; ſi autem Epiſcopus per ſe ipſum præſentialiter litiget, ipſemet tenebitur ad juramentum calumniæ, quod præſtare debebit non tactis, ſed propoſitis tantùm Evangeliis. In fine hujus Decretalis ſtatuitur pæna in nolentes ſine Cauſa præſtare Juramentum Calumniæ, ſcilicet ut Actor cadat ſtatim ab inſtituta actione, & Reus habeatur prò confeſſo. Videatur D. Thom. 2. 2. queſt. 89., ubi per 10. Articulos fusè pertractat ea, quæ ad quodlibet Juramentum pertinent.

Digitized by Google

TITULUS VIII.

De Dilationibus in quatuor Cap. diſtinctus.

QUià Judicio incæpto, ſolent litigantes quandoquè inducias petere, àd probationes faciendas, quæ à Judice, tempore congruo aſſignato, negari non debent: ideò poſt Iuramentum Calumniæ, de Dilationibus, quæ initio Iudicii petuntur, agitur in præſenti.

De hac materia habetur in Decreto Gratiani Cauſa 3. queſt. 2. & 3., & Cauſa 7. queſt. 2. pèr totum.

In 1. cap. quod incipit *Dilecti Filÿ*, ex Alexandro III., ſtatuitur, quòd Citatio Vocatoria, & multo magis peremptoria non debet eſſe nimis brevis, ſed congrua, & rationabilis, ſpecialiter ubi de rebus Eccleſiaſticis agitur; aliàs appellatio propter hoc facta valet.

In 2. cap. quod incipit. *Praterea*, ex Cæleſtino III., ſtatuitur, quòd ſi Reus pèr litteras citatorias plenè potuit inſtrui, & deliberare ſuper eo, de quo quæritur, non poteſt petere inducias deliberativas, nèc ei à Iudice ſunt concedendæ, cum jam ſufficienter ſit inſtructus.

In 3. cap, quod incipit. *Litera tua*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd ſi in libello ponatur verbum ambiguum, & generale, & ad inſtantiam partis tale verbum ſpecificatur, & declaratur, non propter hoc dandæ ſunt Reo novæ induciæ ad deliberandum, cum in prima dilatione deliberare potuerit.

In 4. cap., quod incipit. *Expoſuit*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd qui ad Curiam Romanam vocatus eſt ob publicam utilitatem Romanæ Eccleſiæ, non tenetur tùnc quis Adverſariis reſpondere, ſed ei ſunt dandæ induciæ, ut domum revertatur, & aſſignanda dilatio congrua ad deliberandum.

TITULUS IX.

De Feriis in quinque Capita diſtinctus.

POſtquàm dictum eſt de dilationibus, quæ dantur à Judice, ſequitur agendum de dilatione, quæ datur à Jure ratione dierum, in quibus non eſt licitum in Foro contentioſo judicare.

Agitur de hac materia in Decreto Gratiani Cauſa 15. queſt. 4. & de Conſecratione diſt. 1. cap. 1.

In cap. 1., quod incipit. *Omnes dies*, ex Concilio apud Compendium, ſtatuitur, omnes dies Dominicos eſſe feriandos; unde in eis Cauſæ non ſunt tractandæ, niſi maxima urgeat neceſſitas, vel ſit cauſa pia, vel Fidei, aut Pacis, & concordiæ, aut Famę, aut honoris, vèl Obedientiæ; in his enim eſt licitum, quià hæ cauſæ ſunt in honorem Dei.

In cap. 2. quod incipit. *Quoniam*, ex Alexandro III. ſtatuitur 1. quod Feſta debent celebrari ſecundùm eorum qualitatem, & conſuetudinem Regionis: 2. quòd in præcipuis Feſtis, & ſpecialitèr tempore Paſchali non ſit ſolemnis genuum flexio, ſecùs privata, & quandò Clerici, vel Epiſcopi ordinantur. 3. quod licèt Romana Eccleſia non faciat de SS. Trinitate ſpeciale Feſtum, ſervanda tamèn eſt circa hoc ſpecialis loci conſuetudo. Modo tamen ex præcepto Eccleſiæ ſit Feſtum SS. Trinitatis in Dominica, quæ eſt octava Pentecoſtes.

In cap. 3., quod incipit. *Licet*, ex eodem, ſtatuitur, quòd licèt dies Feſti ſint feriati, & àb operibus ſervilibus in his ſit abſtinendum: tamèn proptèr neceſſitatem alimentorum, & maximè circà res, quæ aliàs damnum paterentur, in ſervili opere poteſt diſpenſari.

In cap. 4. quod incipit. *Cappellanus*, ex Clemente III., ſtatuitur, quòd tres Septimanæ antè Feſtum S. Ioannis Baptiſtæ, in quibus Canon prohibet fieri nuptias, intelliguntur de Septimana Aſcenſionis cum duabus ſequentibus, etiamſi in eis nõ veniat Feſtum S. Joannis.

In cap.5., quod incipit. *Conqueſtus*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd in feriis introductis in honorem Dei, & Sanctorum judiciales actus exerceri non poſſunt, etiam de conſenſu partium, niſi cauſâ neceſſitatis, aut pietatis: in feriis tamen introductis favore hominum, partes renunciare poſſunt proprio juri, ſi velint. De hac materia, videlicet de obſervantia diei feſti agit S.Th. 2.2. q. 122. art.4., videatur etiam Cajetanus in commentario ſuper hunc articulum, ſuper quorum doctrina omnes iſti Canones fundantur.

TITULUS X.

De Ordine Cognitionum in 4. capita diſtinctus.

Quia propoſitâ cauſâ, & datis dilationibus ab homine, & à jure, ſolent Rei reſpondentes ſuas quæſtiones proponere ad infrigendum dicta Actoris ſuper cauſâ principali, videndum eſt quo ordine tales quæſtiones ſint à Judice cognoſcendæ.

Agitur de hac materia in Decreto Gratiani cauſa 2. q.2. & cauſa 3. q.1.& 2.

In cap. 1., quod incipit. *Intelleximus*, ex Clemente III. ſtatuitur, quòd in cauſa Matrimonali, in qua aliqua Mulier prætendit ſibi vendicare aliquem in Maritum, ſi ab eo proponatur Judici exceptio conſanguinitatis, hęc exceptio priùs diſcutienda eſt, quâ probatâ, Judex poterit pronunciare ſuper nullitate Matrimonii, & petitione Mulieris; eſt enim exceptio peremptoria, ideſt terminativa litis.

In 2. cap., quod incipit. *Cum dilectus*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd in cauſâ ſpoliationis, ſi Reus contra Spoliatorem ſpoliationem opponat excipiendo, debet ipſe priùs audiri, & probatâ ſpoliatione, reſpondere non cogitur, ſed per hoc non reſtituitur: ſi autem opponat ſpoliationem agendo, tunc ſimul utraque quæſtio terminatur, & eâ probatâ, reſtituetur.

In 3. cap., quod incipit. *Tuam*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd in cauſa Hæreditatis coram Judice Sæculari, ſi eam petenti fuerit oppoſita exceptio de illegitimitate, hęc debet prius coram Judice Eccleſiaſtico terminari.

In 4. cap., quod incipit. *Super*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd in cauſâ Spoliationis, ſi ſpoliatus ad Judicem recurrat contra Spoliatorem, & Spoliator velit reconvenire Spoliatum ex aliâ cauſâ, Spoliator non eſt audiendus, donec ſpoliatus reſtituatur in integrum; benè tamen ſi ipſum reconveniat de alia ſpoliatione in modum exceptionis: ſi autem adducat aliam cauſam, non eſt audiendus, ut jam diximus ſupra, donec ſpoliatus reſtituatur in integrum.

TITULUS XI.

De plus Petitionibus, unico capite comprehenſus.

Poſtquàm dictum eſt de Ordine cognitionum, ſequitur agendum de plus petitionibus, quia interdum Reus dat exceptionem Actori petenti, quòd petat plus quàm debeatur, & hæc exceptio plus petendi priùs à Judice eſt examinanda, ut poſſit deveniri ad litis contextationem. Quatuor autem modis poteſt contingere, quòd Actor plus petat à Reo, ſcilicet Cauſâ, Re, Tempore, & Loco. Cauſâ, cum aliquid debetur in genere, vel ſub alternativâ, & Actor id petit in ſpecie, vel unum præcisè. Re, ſi debentur decem, & Actor petit viginti. Tempore, cum antè tempus ſtatutum petitur, quod de jure debetur poſtea. Loco, cum Actor petit à Debitore quòd ſolvat debitum alibi, quàm in loco, ubi ex conventione tenetur.

In 1. cap., quod incipit. *Conſilium*, ex Gregorio IX. ponuntur ſupradicti quatuor modi plus petendi, & ſtatuuntur pœnæ contra plus petentes, ſcilicet quòd qui plus petunt re, ſive cauſâ, ſi aliàs perſiſtant pertinaciter in lite, condemnentur in expenſis adverſario; qui autem plus petunt Tempore, damnantur in eo, quòd debitori à Judice duplicantur induciæ, nec tenetur debitor reſpondere, niſi à petitore ei ſolutis expenſis: qui autem plus petunt Loco, damnantur ad intereſſe ſolvendum in-

in favorem debitoris, ſi ipſe debitor ratione loci, ubi fuit coactus ſolvere, damnum paſſus eſt.

TITULUS XII.

De Cauſa Poſſeſſionis, & Proprietatis, in octo capita diſtinctus.

QUia ſupra de Ordine Cognitionum dictum eſt, ſequitur tractandum de Cauſa Poſſeſſionis, & Proprietatis; aliquando enim de eadem re excitatur cauſa ſuper Poſſeſſione rei, & ſimul ſuper Proprietate, & poteſt dubitari, an ad eumdem ſpectet Iudicem de utraque videre, & quo ordine: ideò ponitur præſens titulus.

In 1. cap., quod incipit. *Suſceptis*, ex Gregorio, ſtatuitur, quòd cauſa poſſeſſionis, & proprietatis apud eumdem Judicem debent cognoſci, & terminari; & ſic continentia cauſæ dividi non debet, nec contra inauditum, nec contra abſentem non contumacem eſt licitum procedere,

In 2. cap., quod incipit. *Ad ultimum*, ex Cœleſtino III. ſtatuitur, quòd in Cauſa Poſſeſſionis, & proprietatis Iudex poteſt utramque cauſam commixtìm audire, admittendo allegationes, & Teſtes ſuper utramque, prius tamen eſt de poſſeſſione pronunciandum, quàm de proprietate: unde Poſſeſſorium diſtinguitur à Petitorio, nec unum alteri præjudicat.

In 2. cap., quod incipit. *Cum Eccleſiâ*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd in cauſa ſpoliationis, ſi ſpoliatus, poſſeſſorio, & petitorio ſimul agens, poſſeſſionem, & ſpoliationem probet, ſed non dominium, ſeu proprietatem; in tali cauſa obtinet quidèm in poſſeſſorio, ſed ſuccumbit in petitorio, quia licèt probet poſſeſſionem, non tamen probat proprietatem.

In 4. cap., quod incipit. *Cum ſuper*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi ex duobus non canonicè electis ad aliquam Eccleſiam unus fuerit confirmatus per Patriarcham, ſed per potentiam Sæcularem poſſeſſione privatur, & uterque ad Apoſtolicam Sedem recurrat ſuper hac cauſa mixtâ ſpoliationis, & reſtitutionis: debet primò pronunciari de poſſeſſione, deindè de proprietate, vel electione, quia cum utraque non fuerit canonicè facta, debet utraque pronunciari nulla, ſicque uterque excludendus à poſſeſſione, cum ſine proprietate non detur valida poſſeſſio.

In 3. cap., quod incipit. *Paſtoralis*, ex eodem ſtatuitur, quòd qui agit de proprietate, & aliàs fuerit injuſtè ſpoliatus, poteſt, etiam non terminata cauſa proprietatis, intentare judicium de poſſeſſione recuperanda; poſt verò terminationem cauſæ de Proprietate, non poteſt redire ad judicium poſſeſſorium, niſi ſubſit aliqua cauſa legitima.

In 6. cap., quod incipit. *Cum dilectus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Actor ſimul agat petitorio, & poſſeſſorio judicio, unâ, & eadem ſententia hæc duo debent terminari, cùm hac tamen differentia, quòd poſſeſſorium præmittitur, in terminando: ſed in exequendo, petitorium.

In 7, cap., quod Incipit. *Cum olim*, ex eodem, ſtatuitur, quòd electus ab eo, qui eſt in pacifica poſſeſſione eligendi, eo tempore quo elegit, tamquàm canonicè electus eſt confirmandus, & in poſſeſſione manutenendus; eſto poſſit oriri lis, quòd electio ad alium ſpectet: nàm ſententia lata in poſſeſſorio non præjudicat in petitorio.

In 8. cap. quod incipit. *In cauſa*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd Petenti rem jure Dominii, non ſufficit probare illius rei poſſeſſionem; nam hæc jura diverſa ſunt; poteſt enim quis probare poſſeſſionem rei; & alius probare ejuſdem rei dominium, ſeu proprietatem.

TITULUS XIII.

De Reſtitutione Spoliatorum in capita 19. diſtinctus.

POſtquàm viſum eſt, quo ordine cauſæ poſſeſſionis, & proprietatis tractandæ ſint, ſequitur agendum de reſtitutione ſpoliatorum, qui petunt reſtitui in re-

rebus, quibus irrationabiliter fuerunt ſpoliati.

Agitur de hac materia in Decreto Gratiani cauſa 2. q. 2., & cauſa 3. qu. 1. & 2. per totum, & in 6. Decretal. lib. 2. titulo 5.

In 1. cap., quod incipit. *Licet*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd conquærente ſpoliato, coram Iudice, non eſt audiendus reus opponens de Proprietate, ſed priùs cauſa poſſeſſionis eſt tractanda, & reſtitutio facienda, quàm quæſtio proprietatis, niſi Actor conſentiat, & ſimul de proprietate fiat judicium; tunc enim Actor redit juri ſuo, & cauſa poterit proſequi ſimul quoad proprietatem, & quoad poſſeſſionem.

In 2. cap., quod incipit. *Sollicitè*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd petenti reſtitutionem Beneficii, quo fuit indebitè ſpoliatus, non obſtat renunciatio ab eo facta per ſpoliationem, quia hæc præſumitur non ſpontanea, ſed violenta; unde debet prius reſtitui, deindè videri de renunciatione.

In 3. cap., quod incipit. *Accepta*, ex eodem, ſtatuitur, quòd petens Reſtitutionem Beneficii, proponens ſe fuiſſe ſpoliatum, non eſt audiendus, ſi conſtet eum ſpontè tale Beneficium reſignaſſe antè ſpoliationem.

In 4. cap., quod incipit. *Audita*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Rector unius Eccleſiæ electus ad Rectoriàm alterius Eccleſiæ, ſi priorem Eccleſiam renunciet ad effectum acceptandi ſecundam, non poteſt, nec debet moleſtare eum, qui ſuccedit in Rectoria prioris Eccleſiæ, quæ, ex eo quòd acceptaverit ſecundam, ad eum amplius non ſpectat: nam per renunciationem amiſit omne jus, & quoad poſſeſſionem, & quoad petitorium.

In 5. cap., quod incipit. *In litteris*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Clerico petenti reſtitutionem Beneficii, quæſtio inſtitutionis non canonicæ non debet præjudicare: unde primò eſt reſtituendus in Beneficio, deindè videndum de inſtitutione, an fuerit canonica.

In 6. cap., quod incipit. *Item cum quis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd petenti reſtitutionem, Adverſarius crimen ei opponere non poteſt antè reſtitutionem, quia præſumitur ejus inimicus.

In 7. cap., quod incipit. *Conſequenter*, ex eodem, ſtatuitur, quòd nullus debet deſtitui, vel ſpoliari etiam à ſuo Prælato, non ſervato juris ordine: undè taliter ſpoliato reſtitui debet res cum fructibus perceptis, nec ſpoliatus tenetur reſpondere de proprietate, aut de crimine, quod ei objicitur, niſi priùs fuerit reſtitutus.

In cap. 8. quod incipit. *Ex tranſmiſſa*, ex eodem, ſtatuitur, quòd uxor, quæ temerè diſceſſit à Marito opponens nullitatem Matrimonii, & ſævitiam viri, non eſt Marito reſtituenda, niſi conſtito de legitimitate Matrimonii, & copula ſecùm habita, & data cautione de impunitate uxoris.

In cap. 9., quod incipit. *Cum veniſſet*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui per alium poſſidet, unam poſſeſsionem intelligitur habere; undè mortuo eo, per quem quis poſsidet, non poteſt ſpoliari, cùm ſit in vera poſſeſsione, nec indiget acquirere illius rei novam poſſeſsionem.

In cap. 10., quod incipit. *Ex conquæſtione*, ex Lucio III. ſtatuitur, quòd ſi Actore agente de petitorio, ſcilicet de proprietate rei, Reus ſuper eâdem re deducat poſſeſſorium, Judex debet primò videre de poſſeſſorio; unde ſi Reus fuit ſpoliatus, debet reſtitui, deindè eſt agendum de petitorio, ſcilicet de proprietate.

In cap. 11., quod incipit. *Gravis*, ex Cœleſtino III. ſtatuitur, quòd violentus Spoliator debet à Judice compelli ad reſtitutionem rei cum fructibus, qui percipi potuiſſent, ad damna reſarcienda, & ad congruam ſatisfactionem pro injuria illata.

In 12. cap. quod incipit. *Olim*, ex Innocentio III., ſtatuitur, quòd ingreſſus poſſeſſionem, ignorante Domino, ad quem ſpectat, poterit per ipſum Dominum ſtatim ac ſciverit, repelli etiam violenter, cùm vim vi repellere liceat, cum moderamine tamèn &c. nèc cùm tali repulſione competit repulſo agere contrà Dominum de poſſeſſorio.

In 13. cap., quod incipit. *Litteras*, ex eodem; ſtatuitur, quòd ſi petenti reſtitu-

ſtitutionem coniugis, opponatur ex parte coniugis conſanguinitas in gradu prohibito, & offerantur probationes paratæ: tunc recepto a Muliere opponente Juramento de malitia, negabitur reſtitutio quoad thorum, & fiet reſtitutio quoàd reliqua: ſi verò probationes non ſint paratæ, fiet plena reſtitutio, niſi ſit magna Viri ſævitia, de qua etiam datâ cautione timeatur: nàm debet provideri indemnitati Mulieris.

In 14. cap., quod incipit. *Ex parte*, ex eodem ſtatuitur, quòd in Cauſa Matrimonii per ſolam traductionem Mulieris ad Domum Viri non præcedente Matrimonio, vel Sponſalibus, vèl iſtis invalidis ratione ætatis, non acquiritur poſſeſſio in favorem viri; unde ea recedente propria authoritate, non competit Viro reſtitutio, cùm reſtitutio fundari debeat vel in jure Matrimonii, vel Spõſaliorum.

In 15. cap., quod incipit, *Cùm ad Sedem*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui agit contrà violentum Spoliatorem, tenetur probare, quòd vel ſpoliaverit, vel ſpoliari mandaverit, vel ſpoliationem ſuo nomine factam, ratam habuerit, aliàs non damnabitur tamquàm violentus ſpoliator.

In 16. cap., quod incipit. *Olim*, ex eodem, ſtatuitur, quòd contrà eum, qui non habet undè reſtituat, non competit beneficium reſtitutionis cum effectu, donec ad pinguiorem fortunam pervenerit: nam inanis eſt actio, quam excludit inopia, cùm ad impoſſibile nemo teneatur.

In 17. cap., quod incipit. *Olim inter ſe*, ex eodem, ſtatuitur, quòd petens reſtitui, debet probare ſe poſſediſſe, & ſpoliatum fuiſſe; nèc ſufficienter probat ſe poſſediſſe juriſdictionem in aliquo loco, ſi aliquem actum ibi exercuerit, puta excomunicando, vel interdicendo, cui ſententiæ ſolùm ex timore Populus per aliquos tantùm dies obedierit: debet enim plenius firmari poſſeſſio.

In 18. cap quod incipit. *Sepè*, ex eodem ſtatuitur, quòd licet ex Jure Civili ſpoliatus non poſſit agere prò recuperandâ poſſeſſione, niſi contra ſpoliationem: tamen ex jure Canonico in Concilio Lateranenſi conceditur ſpoliato, ut ſi res, quaquis fuit expoliatus, ſit à Spoliatore alteri tradita, cõtrà iſtum agere poſſit, etiàm non probatâ proprietate; ad idem enim tenetur ſpoliator, & injuſtus Retentor rei alienæ.

In 19. cap., quod incipit. *Piſanis*, ex Gregorio IX., ſtatuitur ut, quod reſtituitur, plene, ac liberè debeat reſtitui, & in priſtinum ſtatum reponi, ſicut erat tempore ante motam diſcordiam, & hæc dicitur reſtitutio in integrum Videatur D. Thom. 2. 2. queſt. 62. de Reſtitutione, ubi per octo Articulos fusè hanc materiam pertractat.

TITULUS XIV.

De Dolo, & Contumacia in 10. *Cap. diſtinctus.*

QUià in ſuperiori Titulo viſum eſt de Spoliatis, & Ejectis Adverſariorum potentiâ, modò ſequitur agendum de fatigatis in Judicio Adverſariorum dolo, & contumacia.

Agitur de hac materia in decreto Gratiani Cauſa 3. queſt. 9. & Cauſa 4. queſt. 2., & 3. per totum. In 6. lib. 2. Titulo 7.; In Clementin. lib. 2. Titulo 4. & in Eſtravag. lib. 2. cap. ultimo.

In cap. 1. quod incipit. *Ad hæc*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd ſi contumax Reus impediat dolo, aut vi Actorem à poſſeſſione ei decretam a Judice cauſâ rei ſervandæ, ſi talis Reus compareat infrà annum, & det cautionem de ſtando juri, purgat contumaciam, nec eſt mulctandus ſecundùm Canones, quid quid ſit de jure civili: nàm in Eccleſiaſticis Perſonis, & negòtiis, rigor juris non requiritur; ſpecialitèr ùbi jus Actoris non eſt factum deterius, ut accidit in præſenti caſu.

In 2. cap., quod incipit. *Ex litteris*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Judex debet propter contumaciam Rei rem petitam ſequeſtrare, & ipſum contumacem comdemnare in expenſis, quas Actor fecit propter ipſius contumaciam, vel doloſam exceptionem: dolus enim nùlli patrocinatur.

In 3. cap., quod incipit. *Cauſam*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Actore contumace, inſtante Reo, etiam lite non

con-

conteſtatâ, tenetur Judex Teſtes recipere, & ſententiam ferre; Præſumitur enim contumacia Actoris doloſa, cum diſcedens, Procuratorem debuerit reliquiſſe.

In 4. cap., quod incipit *Prout Nobis*, ex Urbano III. ſtatuitur, quòd ſi Reus pòſt conteſtationem litis fiat malitiosè contumax, ſi aliàs conſtet de juſtitiâ Cauſæ, Reo citato non comparente, Judex tenetur diffinitivam ſententiam proferre: Si autèm non conſtet de Juſtitiâ Cauſæ, Actor inducitur in poſſeſſione, ſervatâ tamèn quæſtione proprietatis abſenti.

In 5. cap. quod incipit. *Finem*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd fundata intentione Actoris, ſi Reus objiciat exceptionem peremptoriam, quam non ſtatim probat, ſed accipit indicias ad probandum, in tali caſu Reus, ſi non probet, eſt condemnandus in expenſis factis ab Actore propter hujuſmodi inducias dolosè petitas, quas ſi ſolvere propter inopiam non poſſit, ad arbitrium Iudicis eſt puniendus.

In 6. cap. quod incipit. *Cum dilecti*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi citatus ad totam Cauſam, termino ad comparendum aſſignato, ſit legitimè impeditus ad comparendum in termino, debet comparere quàm citius poteſt poſt terminum, aliàs condemnabitur in expenſis à tempore citationis emiſſæ.

In 7. cap. quod incipit. *Cum olim*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſententia lata in Cauſa Beneficiali non tranſit in rem judicatam, maximè ſi fuerit lata contra indefenſum, ſeu abſentem, licet contumacem: undè poterit Superior de juribus partium inquirere.

In 8. cap., quod incipit, *Veritatis*, ex eodem ſtatuitur, quòd etiàm lite non conteſtatâ, procedendo per viam inquiſitionis contrà abſentem contumaciter, Teſtes recipi poſſunt, & ferri ſententia diffinitiva, etiam per viam depoſitionis, ſi hoc meretur delictum.

In 9. cap. quod incipit. *Contingit*, ex eodem ſtatuitur, quòd Actor non admiſſus in poſſeſſionem ſibi decretam per Judicem cauſa rei ſervandæ, vel ab ea violenter expulſus, per lapſum anni verus efficitur poſſeſſor.

In 10. cap. quod incipit. *Venerabilis*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd ſi aliquis non invenitur in loco, ubi habitare conſuevit, trinæ citationis edictum debet proponi, & ultimum peremptorium.

TITULUS XV.

De eo, qui mittitur in poſſeſſionem cauſa Rei ſervandæ in quatuor capita diſtinctus.

QUia plerumque accidit, quòd ex contumacia Rei Actor ponitur in poſſeſſionem ejus rei, de qua agitur causâ ipſius ſervandæ: ideo poſtquam de contumacia dictum eſt, ſequitur agendum de hujuſmodi effectu contumaciæ, ſcilicet poſſeſſione cauſa rei ſervandæ.

De qua materia agitur in 6. Titulo de Officio Delegati.

In 1. cap. quod incipit. *Conſtitutus*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd Reus, qui non recuperat poſſeſſionem propter contumaciam amiſſam, & datam Adverſario cauſa rei ſervandæ, ſi hanc non recuperat præfatus Reus infrà annum, dando cùm effectu cautionem de ſtando juri, talem poſſeſſionem verè, & realiter amittit, licèt de proprietate ſit audiendus.

In 2. cap. quod incipit. *Cum ſicut*, ex Clemente III. ſtatuitur, quòd ſi Reus, qui ob contumaciam paſſus eſt à Judice miſſionem ſui Adverſarii in poſſeſſionem rei, de qua agebatur, causa rei ſervandæ, ſi infrà annum cautionem cum effectu offerat de ſtando juri, licèt talem cautionem Judex nolit acceptare, in præjudicium illius non currit tale tempus annuale, cum ipſe fecerit quantum erat in ſe, & facienti, quòd in ſe eſt, tempus non currit.

In 3. cap. quod incipit. *Cum veniſſent*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd ſi Reus paſſus miſſionem prætextu contumaciæ; ſi infrà annum repetens poſſeſſionem allegat, ſe contumacem non fuiſſe, reſtitui debet in priſtinum ſtatum, præſtita tamen cautione de ſtando juri, & dilata condemnatione expenſarum, ad quam non tenebitur, ſi conſtiterit verè eum non fuiſſe contumacem.

In

In 4. cap., quod incipit. *Si Adverſarius*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd contra Reum, qui ſe abſentavir, nullo relicto Procurarore, qui ipſum defendat, Judex præmiſſo citationis edicto, & affixo domi, nullo comparente, debet Actorem ponere in poſſeſſionem rei, de qua agitur causâ rei ſervandæ.

TITULUS XVI.

Ut lite pendente nihil innovetur in quinque capita diſtinctus.

QUia in ſuperiori ritulo dictum eſt, Actorem ponendum eſſe in poſſeſſionem ob contumaciam Rei, cauſa rei ſervandæ, dubium poteſt excitari, an hoc fir contra jus commune, quo cavetur, ne lite pendente aliquid innovetur; hæc enim miſſio Actoris in poſſeſſionem rei videtur quædam innovatio, undè ponitur præſens titulus; in quo autem conſiſtat pendentia litis, dicitur, quòd lis incipir à citatione juridica miſſa parti, & notificata ei cauſa, de qua eſt agendum, & lis finitur per ſententiam diffinitivam judicis, à qua non appellatur; quòd ſi ſuccedat appellatio, lis intelligitur, quòd duret uſque ad ultimam ſententiam inappellabilem.

Agitur de hac materia in Decreto cauſa 11. q. 1. cap. ultimo, cauſa 16. q. 4. cap. *Voluimus*, & in Clementin. lib. 2. tit. 5.

In 1. cap., quod incipit. *A memoria*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd lite pendente, ſi Actor impetret à Principe Privilegium, per quod privetur Reus ſine cauſæ cognitione uſu poſſeſſionis, non eſt propter tale Privilegium Actor ponendus in hujuſmodi poſſeſſione; quia tale Privilegium, utpotè ſubreptitium non valer, & tamquàm rationi, & æquitati contrarium, eſt revocandum: nàm lite pendente non eſt alicui auferenda poſſeſſio.

In 2. cap., quod incipit. *Laudabilem*, ex Clemente III. ſtatuitur, quòd accuſatus de Adulterio ad effectum impetrandi à Judice ſeparationem Thori, non debet lite pendente privari poſſeſsione conjugali: nam antè ſententiam nullus eſt privandus jure ſuo.

In 3. cap. quod incipit. *Eccleſia*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd qui pendente lite, rem, de qua controvertitur, propria authoritate alienavit, nec poteſt rehaberi, tenetur arbitrio Judicis rem æquivalentem ſubſtituere in locum illius, quam alienare non poterit, cùm ſuccedat in locum rei litigioſæ; unde eodem jure cenſetur cum illa.

In 4. cap., quod incipit. *Eccleſia S. Mariæ*, ex eodem, ſtatuitur, quòd quotieſcumque ſuperior, ad quem appellatum fuit, revocat ad ſe cauſam; quidquid ſit poſtea ab inferiori Judice, non tenet: unde revocari debet ſaltem de facto.

In 1. cap. quod incipit. *Dilectus Filius*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd lis decidenda eſt à Judice ſecundùm jura exiſtentia tempore motæ litis, non autem ſecundùm Privilegium fortè impetratum lite pendente, niſi in dicto Privilegio de litis pendentia mentio fiat; cenſetur enim tale Privilegium tali tempore impetratum fuiſſe per ſubreptionem, vel obreptionem.

TITULUS XVII.

De ſequeſtratione Poſſeſſionum, & Fructuum in 3. cap. diſtinctus.

QUia in ſuperiori titulo viſum eſt, quòd lite pendente nihil debet innovari, agitur nunc de ſequeſtratione poſſeſſionum, & fructuum, quæ fit lite pendente, quæ cum ſit quædam innovatio, videndum eſt, quo jure fiat.

Agitur de hac materia in Decreto diſt. 77. cap. *Epiſcopus*, & cauſa 2. q. 7. c. *Quoties*, & in Clement. lib. 2. titulo 6.

In 1. cap., quod incipit. *Ad hoc*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd ſequeſtrum factum à Judice loco Miſsionis propter ſcandalum evitandum, reaſſumi debet oblata cautione à Reo de ſtando juri, & reſtitutis expenſis.

In 2. cap., quod incipit. *Dilectus Filius*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi miſſus in poſſeſsionem cauſa rei ſervandæ, fructus talis rei diſsipaverit, ad judicem ſpectat tales fructus diſsipatos revocare in

in priſtinum, & eos, & alios ſequeſtrare, ablata poſſeſſione ab eo, qui prædictos fructus diſsipavit.

In 3. cap., quod incipit. *Ab eo*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd ſi Reus, qui manet in poſſeſsione, appellet contra ſententiam in eum latam, Judex debet fructus rei petitæ ſequeſtrare, durante tempore appellationis, ſi timeatur eorum diſsipatio.

TITULUS XVIII.

De Confeſſis in 3. capita diſtinctus.

QUia in ſuperioribus titulis viſum eſt de modis procedendi contra contumaces, nunc ſequitur agendum de modis procedendi, quandò in judicio utraque pars eſt præſens, qui modi ſunt vel per Confeſsionem, vel per probationem. In præſenti agitur de Confeſſis, in ſequenti de Probationibus.

Agitur de hac materia in Decreto cauſa 2. qu. 1. cap. *Nos in quemquam*, & cauſa 15. qu. 3. 6. & 8. per totum. In 6. lib. 2. titulo 9.

In 1. cap., quod incipit. *Cum Monaſterium*, ex Clemente III. ſtatuitur, quòd ſi aliquis criminoſus confiteatur crimen proprium, puta homicidium, ſed dicat hoc commiſiſſe ad ſuggeſtionem aliorum, per ſolum hoc dictum illi non ſunt puniendi, niſi aliundè hoc legitimè probetur, quia confeſsio criminoſi non eſt contra alios admittenda, niſi in crimine læſæ Majeſtatis: tamen ſi de eis præceſſit infamia, debent eam purgare tertia manu.

In 2. cap., quod incipit. *Cum ſuper*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd ſi quis examinatus in judicio ſuper uno delicto, confiteatur incidenter de ſe ipſo aliud delictum, Judex Ordinarius debebit novum inchoare proceſſum, & illum punire pœna ordinaria.

In 3. cap. quod incipit. *Ex parte Abbatis*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd ſi Procurator, vel Syndicus Eccleſiæ in judicio aliquid per errorem facti confiteatur, quod timet eſſe in præjudicium ſuæ Eccleſiæ, poterit illud retractare ante ſententiam diffinitivam: nàm error facti non nocet, dummodò antè terminationem cauſæ error probetur. De hac materia videlicet de Confeſsione Rei agit S.Th. 2. 2. qu. 69. per 4. art. & præcipuè art. 1. in corpore, ubi ſic ait: *Quicumque facit contra debitum Juſtitiæ, mortaliter peccat; pertinet autem ad debitum Juſtitiæ, quòd aliquis obediat ſuo Superiori in his, ad quæ jus Prælationis ſe extendit. Judex autem ſuperior eſt reſpectu ejus, qui judicatur, & ideo ex debito tenetur accuſatus Judici veritatem exponere, quam ab eo non forò juris exigit; & ideo ſi confiteri noluerit veritatem, quam dicere tenetur, vel ſi eam mendaciter negaverit, mortaliter peccat; ſi verò Judex hoc exquirat quod non poteſt ſecundùm ordinem juris, non tenetur ei accuſatus reſpondere, ſed poteſt, vel per appellationem, vel aliter licitè ſubterfugere, mendacium tamen dicere non licet.* Ex qua Doctrina elucidantur quæ in hoc titulo. Videatur etiam art. ſeq.

TITULUS XIX.

De Probationibus in 15. capita diſtinctus.

POſtquàm actum eſt de Confeſsis, & Confeſsionibus, nunc eſt agendum de Probationibus, quibus uti debet Actor ad convincendum Reum, & Reus ad ſe defendendum, ſi neget ea, quæ ab Actore contra ipſum proponuntur. In hoc Titulo agitur de Probationibus in communi, in ſequentibus de ſpeciebus Probationum.

De hac materia habetur in Decreto diſt. 44. cap. *Multis*, cauſa 6. q. ultima, & cauſa 24. qu. 3. cap. *de illicita*, & in Clementin. lib. 2. titulo 7.

In 1. cap., quod incipit. *Ex Epiſtola verbis*, ex Gregorio, ſtatuitur, quòd Reus non tenetur dare Actori ſua propria Inſtrumenta, quæ ſunt contra ſe, nec è contra Actor tenetur dare Reo Inſtrumenta defenſionis; uterque enim debet uti propriis probationibus. Communia tamen Inſtrumenta, ſeu publica alter alteri communicare tenetur: hæc enim non ſunt denegnda.

In 2. cap., quod incipit. *Sicut*, ex

Ale-

Alexandro III. ſtatuitur, quòd ſi Actor plenè probaverit ſuam intentionem, non debet compelli ad juramentum: nàm juramentum ſolùm debet exigi in defectu probationum.

In 3. cap., quod incipit. *Ex literis tuis*, ex Lucio III. ſtatuitur, quòd quandò probationes ſunt æquales, tàm ex parte Actoris, quàm ex parte Rei, Reus eſt abſolvendus, quia jura promptiora ſunt ad abſolvendum, quàm ad condemnandum. Hæc tamen Regula fallit in cauſis liberalibus, ſcilicèt Teſtamenti, libertatis, conjugii, & dotis, in quibus caſibus eſtò ſint æquales probationes, tàm ex parte Actoris, quàm Rei, judicium debet eſſe in favorem iſtarum cauſarum: ſunt enim cauſæ privilegiatæ.

In 4. cap., quod incipit. *Propoſuiſti*, ex Gregorio VIII. ſtatuitur, non eſſe credendum marito aſſerenti, etiam cum juramento, ſe cognoviſſe uxorem, ſi uxor probet contrarium per Matronas atteſtantes per ipſum corporis aſpectum; evidens enim probatio per aſpectum prævalet juramento.

In 5. cap., quod incipit. *Tertio loco*, ex Clemente III. ſtatuitur; quòd ſingulares Perſonæ ſpectantes ad aliquam Univerſitatem, poſſunt ad commodum illius univerſitatis reprobare inſtrumentum falsò confectum nomine univerſitatis, cùm prædictæ Perſonæ non fuerint vocatæ.

In 6. cap., quod incipit. *Juravit*, ex eodem, ſtatuitur, quòd quandò agitur de Matrimonio contrahendo: ſtatim probato impedimento, & publicatis atteſtationibus, alii Teſtes ſuper defectu impedimenti admitti non debent; nam tranſit in rem judicatam.

In 7. cap., quod incipit. *Poſt ceſſionem*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd ſi quis eo tempore, quo eſt excommunicatus, conſtituatur Procurator in aliqua cauſa, non eſt admittendus, etiamſi poſtea fuerit abſolutus: probatio autem excommunicationis oſtenditur per literas Ordinarii excommunicantis.

In 8. cap., quod incipit. *In præſentia*, ex eodem, ſtatuitur, quòd non dicitur decedere ſine Hærede, qui Monaſterium ſibi Hæredem inſtituit; & ſi opponatur, quòd talis donatio, ſive inſtitutio fuerit facta ab eo tempore, quo erat in ætate minori, ac proindè incapaci donandi, ſi ex adverſo oſtendatur, talem donationem ratificaſſe in majori ætate, etiàm cum juramento, talis donatio, ſeu Inſtitutio Monaſterii in hæredem, valet: nam licèt prima inſtitutio fuerit invalida, validatur per ſecundam.

In 9. cap., quod incipit. *Licet*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Actor, & Reus in cauſa poſſeſſionis probent, adjudicanda eſt poſſeſsio ei, qui oſtendit antiquiorem poſſeſsionem titulo maximè juſtificatam, & melioribus probationibus fulcitam, non admiſsis atteſtationibus ſingularibus, nec Teſtibus malæ famæ, aut ſibi contradicentibus, quorum atteſtationes nullæ ſunt.

In 10. cap., quod incipit. *Per tuas*, ex eodem, ſtatuitur, quòd primo dicto alicujus ſtandum eſt, etiamſi poſtea in contrarium velit jurare; nam præſumitur ex malitia hoc velle facere. Et hoc procedit in Teſtibus, quandò ex intervallo velint mutare in contrarium quod primò affirmarunt; unde eis in tali caſu non eſt credendum circa id, quod ſecundò deponunt.

In 11. cap., quod incipit. *Quoniam*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Judex tenetur habere Notarium, vel duos viros idoneos, qui ſcribant acta Judicii, nàm ei non eſt credendum ſuper Proceſſu ab eodem ſcripto, niſi in quantum per acta, vel per legitima documenta conſtabit, & inſuper talis Judex erit à Superiore puniendus; Notarius enim debet eſſe diſtinctus à Judice.

In cap. 12., quod incipit. *Ad noſtram*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd ſi per Teſtes evidenter probari poteſt Reum deliquiſſe, ejus negatio, vel probatio, quòd non deliquerit, non eſt admittenda: nam affirmativa prævalet negativæ.

In 13. cap., quod incipit. *Cum cauſam*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi ſit lis inter duos Epiſcopos de finibus ſuarum Diœceſum, debet hæc quæſtio agitari, adducendo probationes per libros antiquos, per adminicula, per Teſtes, & per famam: quæ enim non proſunt ſingula, collecta proſunt.

In 14. cap., quod incipit. *Cauſam Matrimonii*, ex eodem, ſtatuitur, quòd

in Cauſâ Virginitatis Puellæ, probationes per Matronas aliquando poſſunt reprobari, quia oculus, & manus Obſtetricum ſæpè falluntur: undè poteſt talis probatio reperi per alias diligentiores, & fideliores propter periculum, nè decipiantur.

In 15. cap., quod incipit. *Cum bonæ memoriæ*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd ſi Cauſa non poſſit terminari per priores Judices ipſis impeditis, undè remittatur ad alios, acta facta per Judices priores ſunt danda ſecundis Judicibus, quæ fidem faciunt in proſecutione cauſæ, & valent. De hac materia, videlicet de probationibus, quæ requiruntur ex parte accuſantis agit S. Thom. 2. 2. quæſt. 68, per quatuor Articulos,& præcipuè Art. 1. in Corpore, ubi ait. *Si crimen fuerit tale, quod vergat in detrimentum Reipublicæ, tenetur homo ad accuſationem, dummodò ſufficienter poſſit probare*. Hæc D. Thom., Videantur ſolutiones ad 1. 2. & 3. Et ſequentes Articuli, quorum Doctrinâ elucidantur, quæ in præſenti Titulo innuuntur.

TITULUS XX.

De Teſtibus, & Atteſtationibus in 56. Cap. diſtinctus.

IN ſuperiori titulo dictum eſt de probationibus in genere: nunc ſequitur agendum de ſpeciebus probationum; & quia inter probationes efficacior eſt illa, quæ fit vivâ voce,ſcilicet per Teſtes: ideò de ea primùm eſt agendum.

De hac materia tractatur in Decreto Cauſa 2. quæſt. 4., cauſa 3. quæſt. 5.,& quæſt. 9., cauſa 4. quæſt. 3., & cauſa 35. quæſt. 6. per totum, & multis aliis in locis. In 6. lib. 2. titulo 10., & in Clement. lib. 2. tit. 8.

In 1. cap., quod incipit. *Placuit*, ex Concilio Matercenſi ſtatuitur, quòd Teſtis non debet eſſe conductivus: idèſt non debet ferre teſtimonium pro prætio; item quod debet eſſe idoneus, cui nulla dari poſſit exceptio, & tertiò, quòd Teſtimonium ferat jejunus.

In 2. cap., quod incipit. *In nomine*, ex Gregorio ſtatuitur, quòd Teſtes recepti alterâ parte abſente, & non citatâ, non valent.

In 3. cap., quod incipit. *Quoniam*, ex eodem ſtatuitur, quòd in Cauſa denunciationis omnes admittuntur, non tamen inimici, vel criminoſi. Mulieres autem, cum quibus præſumitur Reus deliquiſſe, inducuntur, ad præſumptionem tantùm fundandam.

In 4. cap., quod incipit. *In omni*, ex Paſchali Papa ſtatuitur, quòd in Cauſâ denunciationis, ille qui vult alium denunciare de crimine, debet primò oſtendere corripuiſſe Reum inter illum, & ſe, deindè adhibuiſſe unum, vel duos Teſtes, & illum non fuiſſe correptum. Et hoc probatur ex Evangelio: *Si peccaverit &c.*

In 5. cap., quod incipit. *Quotiès*, ex Eugenio III. ſtatuitur, quòd conſaguinitas, debet probari per duos, vel per tres Teſtes ejuſdem conſanguinitatis, & in defectum illorum, per meliores, & antiquiores ejuſdem loci, qui jurabunt, quòd non odio, vel amore, aut aliquo proprio commodo id teſtantur, ſed pro veritate, ut à ſuis Majoribus acceperunt, & quòd credunt ità eſſe.

In 6. cap., quod incipit. *Inſuper*, ex eodem ſtatuitur, quòd nullus poteſt in eadem cauſa eſſe Procurator, & Teſtis. Undè Procurator, vel Syndicus Monaſterii non poteſt eſſe Teſtis in cauſa ejuſdem Monaſterii; benè tamen alii Monachi, vel Clerici.

In 7. cap., quod incipit. *Ex parte*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Exceptio legitima appoſita contra Perſonas Teſtium non admittitur à Judice, licitè, & validè appellatur, & facta tali appellatione, ſi Judex proſequatur Cauſam, acta illius nulla ſunt.

In 8, cap., quod incipit. *Si qui Teſtium*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Teſtes nominati ad Judicem commodè venire non poſſint, Judex debet ad illos examinandos mittere Examinatorem diſcretum, qui dicta eorum recipiat.

In 9. cap., quod incipit. *Sicut nobis*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd ſententia, quæ lata eſt ad dictum corruptorum Teſtium, omninò eſt retractanda à ſuperio-

rio-

riori Judice, ſi per Reum præſumptum hoc poſſit evidenter probari; & tales Teſtes ſunt graviter puniendi.

In 10. cap., quod incipit. *Veniens ad nos*, ex eodem ſtatuitur, quòd ad dictum unius non eſt aliquis puniendus, nec etiam puniri poteſt quis ad dictum eorum qui fuerunt complices in crimine, etiàm Simoniæ: nam de ſe confeſſo crimen non eſt credendum contra alium, utpotè Teſti crimino ſo, & infami.

In 11. cap., quod incipit. *Cauſam*, ex eodem ſtatuitur, quòd atteſtationes receptæ coràm primis Judicibus, dandæ ſunt aliis Judicibus, quibus de novo committatur eadem Cauſa, nàm atteſtationes in uno judicio receptæ fidem faciunt in eadem Cauſa coram alio Judice.

In 12. cap., quod incipit. *Cum Nuncius*, ex eodem ſtatuitur, quòd Clerici non debent repelli à ferendo teſtimonio in Cauſa Eccleſiæ ſuæ, eo quòd Clerici ſint, niſi aliud impediat, quia ut tales ſunt capaces ferendi teſtimonium, & non extrà Eccleſiam.

In 13. cap., quod incipit. *Super eo*, ex eodem ſtatuitur, quòd Teſtes criminoſi, ſi jam de crimine, quod eis opponitur ad repellendum eorum teſtimonium, fuerint convicti, aut confeſſi, vel in tali cauſa convincantur, aut confiteantur, invalidatur eorum teſtimonium, ſi tamen probetur eos in crimine perſeverare.

In 14. cap., quod incipit. *De cætero*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſecundùm Canones, Laicus in criminali non poteſt teſtificari contra Clericum; poteſt tamen ipſum accuſare pro ſua, vel ſuorum injuria, non autem pro iniuria aliorum.

In 15. cap., quod incipit. *In cauſis*, ex eodem ſtatuitur, quòd in Cauſis Eccleſiaſticis, & Civilibus poſſunt tantùm concedi à Judice tres productiones; ſcilicet tres delationes Teſtium; quartam verò non debet concedere abſque ſolemnitate legali: & hoc ſtatuitur ad compeſcendam effrænatam multitudinem Teſtium, quæ inutilis eſt, & cauſa protractionis litium.

In 16. cap., quod incipit. *Cum tu fili*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Teſtes jurati pro una parte appareant contrarii teſtibus juratis pro alia parte, ſi adductâ diverſitate temporis, vel actionis, poſſunt concordari, benignior facienda eſt interpretatio, nè tales Teſtes notentur crimine perjurii: nam interpretatio ſemper facienda eſt in benigniorem partem, cùm adeſt cauſa taliter interpretandi.

In 17. cap., quod incipit. *Fraternitatis*, ex eodem ſtatuitur, quòd in cauſa appellationis ſi producantur nova Capitula, ſuper eâdem tantùm novi Teſtes, & etiam Veteres poſſunt produci, recepto ab eis juramento ſecundùm morem.

In 18. cap., quod incipit. *Intimavit*, ex eodem ſtatuitur, quòd compelli poſſunt à Judice ad teſtificandum in aliqua Cauſa etiam illi, qui juramento ſe obligarunt ad non teſtificandum in tali Cauſa: nàm juramentum, utpotè illicitum, non tenet; nàm non eſt vinculum iniquitatis.

In 19. cap., quod incipit. *Cauſam, quæ vertitur*, ex eodem ſtatuitur, quòd publicatis atteſtationibus ſuper aliquibus Capitulis, ſuper eiſdem non ſunt recipiendi alii Teſtes; benè tamen recipi poſſunt alii Teſtes ſuper novis Capitulis ejuſdem cauſæ.

In 20. cap., quod incipit. *Perſonas*, ex eodem ſtatuitur, quòd qui conſimilem cauſam habet in cauſa conſimili, Teſtis eſſe non poteſt: præſumitur enim partialitas.

In 21. cap., quod incipit. *Judæi*, ex eodem ſtatuitur, quòd in qualibet Cauſa Chriſtiani poſſunt eſſe Teſtes contrà Judæos, non tamen è contrà, quia de jure nullus Infidelis contrà Fidelem admitti poteſt in teſtimonium.

In cap. 22., quod incipit. *Super eo*, ex eodem ſtatuitur, quòd in Cauſa Matrimonii teſtimonium Matris aſſerentis Filiam contraxiſſe matrimonium cum Viro altioris conditionis non eſt admittendum; præſumitur enim ſuſpectum. Si autem ſola Mater deponat de impedimento contrà Matrimonium contrahendum, admittitur, non autem admittitur contrà Matrimonium jam contractum, niſi aliæ ſint probationes: plus enim requiritur ad diſſolvendum contractum, quàm ad impediendum contrahendum.

In 23. cap., quod incipit. *Licet*, ex

ex eodem ſtatuitur, quòd nulli Chriſtiano, multò minùs Judæo licitum eſt Cauſam ſuam probare per unum tantùm Teſtem, ſed ad minùs per duos, vel tres probatæ vitæ, & laudabilis converſationis: in ore enim duorum, vel trium ſtat omne verbum.

In 24. cap., quod incipit. *In literis*, ex eodem ſtatuitur, quòd non ſunt à Judice admittendi tamquam idonei, Teſtes, quos Actor de familia ſua producit; cum enim ſint domeſtici, & familiares, præſumuntur ſuſpecti de partialitate.

In 25. cap., quod incipit. *Cum veniſſet*, ex Urbano III. ſtatuitur, quòd Teſtes poſſunt produci, donec atteſtationes fuerint publicatæ, & eis à partibus renunciatum; poſtea verò poterunt produci non ſuper eodem, ſed ſuper diverſo capitulo.

In 26. cap., quod incipit. *Series*, ex Clemente III. ſtatuitur, quòd in Cauſis Matrimonialibus,etiam Teſtibus publicatis contrà Matrimonium, alii Teſtes poſſunt admitti à Judice ad probandum, quòd primi Teſtes falſum tulerunt teſtimonium: hoc enim fieri poteſt etiam poſt ſententiam in favorem Matrimonii; undè ſententia contrà validitatem Matrimonii non tranſit in rem judicatam,ſi contrarium per Teſtes poſſit probari.

In 27., quod incipit. *Præterea*, ex Cœleſtino III. ſtatuitur, quòd in his, quæ ſunt difficillimæ probationis, ut in Cauſa carnalis copulæ, in qua haberi non poſſunt Teſtes de viſu, Judex debet judicium formare ex dictis Teſtium de auditu, de publica voce, & fama, de familiaritate, & aliis adminiculis, quæ ſimul violentam faciunt præſumptionem: licèt enim non poſſint ſingula, collecta valent.

In 28. cap., quod incipit. *Cum à vobis*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd uni Judici non creditur in Cauſa in præjudicium alterius partis, nec ejus Scripturæ, quæ per Teſtes poteſt reprobari. Fallit tamen hæc Regula in Summo Pontifice, ejuſque determinationibus, cui ſoli tamquàm Supremo Judici controverſiarum Fidei ſtandum eſt, propter authoritatem illi divinitùs collatam, *Tu es Petrus &c. paſce oves meas &c.*

In 29. cap., quod incipit. *De teſtibus*, ex eodem ſtatuitur, quòd Teſtis, qui inducitur in aliqua Cauſa ad probandum ſuper exceptione dilatoriâ, non eſt audiendus ſuper principali: ſecus autem ſi inducitur ad probandum ſuper exceptione peremptoria, tunc enim cogi poteſt, ut juret deponere ſupèr toto.

In 30. cap., quod incipit. *Conſtitutus*, ex eodem ſtatuitur, quòd eadem Cauſa concernens plures Perſonas coràm diverſis Judicibus poteſt tractari, ſed atteſtationes receptæ in uno judicio, non valent in alio,niſi de conſenſu partium.

In 31.cap.quod incipit. *Præſentium*, ex eodem ſtatuitur, quòd publicatis atteſtationibus,non poteſt opponi in perſonas Teſtium, quos prius approbavit, niſi poſt publicationem atteſtationum novam habeat cauſam taliter ſe opponendi hujuſmodi Teſtibus, & niſi juret, quòd hoc non facit ex malitia, cauſa differendi negotium. Nullus enim debet ſe opponere ei, quem ſemel approbavit.

In 32. cap. quod incipit. *In noſtra*, ex eodem, ſtatuitur, quòd non ſemper Judex debet ſe referre ad multitudinem Teſtium, ſed potiùs ad eorum honeſtatem, & æſtimationem. Si autem ſint ex utraque parte ejuſdem exiſtimationis, tunc ſtandum eſt majori numero, ſi ſine etiam æquales in veriſimilitudine ſuorum dictorum.

In 33. cap. quod incipit. *Tàm literis*, ex eodem ſtatuitur, quòd ad probandum impedimentum electi in Epiſcopum, puta quia contraxit cum Vidua, ac proinde Irregularis; Laici, & Fœminæ poſſunt admitti: ſufficienter tamen non probant, ſi tantum deponant de auditu, & famâ.

In 34. cap. quod incipit. *Cum olim*, ex eodem ſtatuitur, quòd in Cauſâ liberali favore libertatis,Reo abſente per contumaciam, Teſtes recipi poſſunt, etiam lite non conteſtatâ, & ſententia à Judice poteſt proferri.

In 35. cap. quod incipit. *Ex tenore*, ex eodem ſtatuitur, quòd etiam publicatis atteſtationibus, ſi novus articulus emerſerit, poterunt ſuper eo recipi novi Teſtes, ut veritas ſuper illum novum articulum juridicè probetur.

In

In 36. quod incipit. *Significaverunt*, ex eodem ſtatuitur, quòd quarta productio Teſtium poteſt à Judice concedi in Cauſa, quandò petitur cùm ſolemnitate legali.

In 37. quod incipit. *Cum Cauſam*, ex eodem ſtatuitur, quòd Teſtes ſunt diligenter examinandi à Judice, & puniendi, qui eos impediunt: ſpectat autem ad Judicem refrænare multitudinem Teſtium, ſpecialiter, quandò eſt inutilis.

In 38. cap. quod incipit. *Veniens*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in aliqua Cauſa, quæ inter duos controvertitur, ſi coram Judice alius compareat, & probet talem Cauſam, etiam ad ſe pertinere, & ideò ſe opponit, debet admitti, & examinari debent Teſtes, quos producit; nullus enim ad quem negotium pertinet, debet excludi.

In 39. cap. quod incipit. *Tuis quæſtionibus*, ex eodem ſtatuitur, quòd Religioſi poſſunt admitti ad teſtificandum, adhibito Juramento de veritate dicenda, niſi tale Juramentum à parte adverſa remittatur: Juramentum enim Teſtis de veritate dicenda poteſt remitti à parte adverſa, cùm inſtitutum ſit in ejus favorem; ſecùs dicendum de Juramento calumniæ, quòd non poteſt remitti, quia eſt inſtitutum propter Judicii Religionem.

In 40. cap. quod incipit. *Dilecto Filio*, ex eodem ſtatuitur, quòd Judex delegatus à Papa ſuper aliqua Cauſa, in qua talis Judex eſt Teſtis neceſſarius; itaut talis Cauſa ſine ejus atteſtationibus terminari non poſſit, ad inſtantiam partis debet removeri à judicando, & alius Judex reſtitui.

In 41. cap. quod incipit. *Significavit*, ex eodem ſtatuitur, quòd ad conſervandam memoriam alicujus liberæ donationis; aut fundationis, citatis iis, ad quos ſpectat, poſſunt recipi, & examinari Teſtes, quos Actor inducit, ne ſucceſſu temporis in ea oriatur controverſia.

In 42. cap. quod incipit. *Cum Cauſam*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi publicatis atteſtationibus in aliqua Cauſa, novus Articulus emerſerit, poterit proferri per Teſtes antiquos, nam eſt nova materia; licèt enim ijdem Teſtes non ſint iterùm audiendi ſuper eodem, atteſtationibus publicatis, propter periculum ſubornationis; in diverſo tamèn articulo examinari poſſunt.

In 43., cap., quod incipit. *Albericus*, ex eodem ſtatuitur, quòd quotieſcumquè non poteſt haberi ſcriptura ſententiæ, quæ jàm lata eſt, poſſunt recipi, examinati, & publicari Teſtes, qui interfuerunt prædictæ ſententiæ, quod verificatur etiàm, ſi ſententia ſit ore tantùm prolata.

In cap. 44., quod incipit. *Cùm in tua*, ex eodem ſtatuitur, quòd propter diverſum modum agendi, ſuper eodem articulo poſſunt Teſtes iidem iterùm induci, ut ſi prima cauſa proceſſit viâ denunciationis, deindè eadem cauſa procedat viâ accuſationis.

In 45. cap., quod incipit. *Conſtitutis*, ex eodem ſtatuitur, quòd poſſunt excommunicari, qui impediunt Adverſarium in Teſtibus producendis; ut ſi impediunt Teſtes, nè veritatem fateantur: & ſi ſint Conſanguinei Rei, qui hoc faciunt, punitur Reus, ex cujus voluntate hoc fieri præſumitur. Tandem ſtatuitur: Teſtes eſſe à Judice monendos de dicendâ veritate, etiamſi forte contrarium juraverint; nam tale Juramentum eſt nullum.

In 46. cap. quod incipit. *Conſtitutis ſecundò*, ex eodẽ ſtatuitur, quòd quotieſcumque Teſtes in uno Judicio recepti, non ſunt publicati, nec renunciatum ſit Teſtibus producendis, iidem, vel alii Teſtes poſſunt iterum produci pro majori inquiſitione veritatis.

In 47. cap. quod incipit, *Licet*, ex eodem ſtatuitur, quòd Teſtimonium de auditu in Cauſis Matrimonii, hodiè ſignatis non valet, nec Teſtimonium eorum, qui ſunt infames, in aliquâ Cauſa eſt admittendum. Item Teſtes debent teſtificare remoto odio, amore, commodo &c.

In 48. cap. quod incipit. *Per Tuas*, Ex Honorio III. ſtatuitur, quòd poſt publicationem atteſtationum, Teſtes ad petitionem producentis non ſunt amplius interrogandi, niſi quandò dolo, vel negligentiâ Judicis ſuper aliquo articulo neceſſario interrogati non fuerint.

In 49. cap. quod incipit. *Licet*, ex eodem

eodem ſtatuitur, quòd licitum eſt tantum fieri duas reprobationes Teſtium, & non ulrra, nè in infinitum negotium prorogetur.

In 50. cap., quod incipit. *Præſentata*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Atteſtationes receptæ per Arbitrum, fidem faciunt in Iudicio, ſi Teſtes mortui ſunt: ſi autèm vivunt, eſt in optione illius, contra quem Teſtes ſunt producti, an velit tales atteſtationes recipere, aut de novo Teſtes deponere.

In 51. cap. quod incipit. *Nuper*, ex eodem ſtatuitur, quòd non eſt eredendum Teſti etiam Religioſo, qui ſine juramento deponit: nulli enim eſt eredendum in præjudicium alterius, niſi juramento ſuum dictum confirmet.

In 52. cap. quod incipit. *Venerabili*, ex eodem ſtatuitur, quòd Teſtes ſunt diligenter examinandi, & ſigillatìm, etiam cum agitur in Cauſa Canonizationis Sanctorum, de Vita, & miraculis:

In 53. cap. quod incipit. *Cum clamor*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd Teſtis, qui obſeurè depoſuit, ex mandato Judicis debet iterum examinari, ut clariori modo explicet ſuum dictum.

In 54. cap. quod incipit. *Teſtimonium*, ex eodem ſtatuitur, quòd Criminoſus, qui perſeverat in erimine, repellitur à teſtimonio ferendo, etiam in Civili: emendatus verò, non infamis, admittitur in Civili, & in Criminali motâ eiviliter; excepto tamen perjuro, qui licèt emendatus, ſemper in Criminali repellitur.

In 55. cap. quod incipit. *Ultra tertiam*, ex eodem ſtatuitur, quòd quarta productio Teſtium non eſt danda ſine ſolemnitate legali: quæ ſolemnitas conſiſtit in hoc, quod petens quartam productionem Teſtium juret, quòd neque per ſe, neque per alium teſtificata ſubtexerit, vel fuerit percunctatus, nec per dolum, nec per malitiam quartam productionem expoſcat, ſed ſolum, quia hos Teſtes, quos intendit produeere, prius habere non potuit.

In 56. cap. quod incipit. *Non debet*, ex eodem ſtatuitur, quòd aeeuſatus criminaliter, ſua aeeuſatione pendente, non admittitur in Teſtem contra alium in Cauſa Criminali; nec alium accuſare, niſi prius ſe probet innoeentem.

TITULUS XXI.

De Teſtibus cogendis, vel non in 11. *capita diſtinctus.*

Quia actum eſt in Superiori Titulo de Teſtibus, qui proponuntur Judici à partibus litigantibus; ſed quia quandoque nolunt examinari: ideò hic agitur, an à Judice pro inveſtiganda veritate poſſint compelli, & eogi ad teſtificandum.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 2. qu. 6. cap. *Statuendum*, In 6. Decretalium, & Clement. loeis citatis in ſuperiori Titulo.

In eap. 1. quod incipit. *Cauſam Matrimonii*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd Teſres prius à Judice monendi ſunt, ne reeuſent teſtificari, & veriratem fateri in Cauſis, in quibus examinantur; quòd ſi odio, amore, vel timore ſe ſubtraxerint, debent à Judice compelli per Eeeleſiaſticas cenſuras.

In 2. cap. quod incipit. *Cum ſuper*, ex eodem ſtatuitur, quòd quandò Teſtimonium in aliqua Cauſa eſt neceſſarium pro inveſtiganda veritate, & Teſtes recuſant teſrificari, debent eompelli per ſententiam ſuſpenſionis, aut excommunieationis, aut depoſitionis, ſi ſint Clerici.

In 3. cap., quod incipit. *Super eo*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Teſtis, qui timore partis adverſæ ſe ſubtrahit, non ſolùm in Civili, ſed etiam in Criminali cauſa, debet compelli ad teſtificandum, & ad veritatem aperiendam.

In 4. eap., quod incipit. *Pervenit*, ex eodem, ſtatuitur, quòd etiam in cauſa Criminali debet compelli Teſtis ad teſtificandum, etiam ſi talis Teſtis juraverit Reo, ſe non laturum Teſtimonium contra ipſum: non enim tenet tale juramentum, utpotè iniquum, & eontra veritatem.

In 5. cap. quod incipit. *Pervenit ad Nos*, ex Clemente III. ſtatuitur, quòd ſi res aliter probari non poſſit, non ſolùm in Civili, ſed etiam in Criminali, compellendi ſunt Teſtes ad teſtificandum, ut veritas habeatur.

In

In 6. cap., quod incipit. *Cæterùm*, ex eodem, ſtatuitur, quòd etiam in Cauſa Matrimonii cogendi ſunt Teſtes ſuper conſanguinitate probandâ, ſi Iudici conſtiterit eos recuſare teſtimonium ferre, odio, vel gratia, aut timore &c.

In 7. cap., quod incipit, *Præterea*, ex Cœleſtino III. ſtatuitur, quòd ſi Teſtis ſemel juravit in cauſa, non debet cogi ad aliud juramentum, niſi ſuperveniat novus Articulus. Item quòd Teſtis, ſi antè teſtificationem evadat infamis, non eſt ejus atteſtatio recipienda: & tandem quòd Teſtis poteſt incontinenti corrigere dictum ſuum, ſed ex intervallo non poteſt.

In 8. cap., quod incipit, *Super his*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd etiam in cauſa Famæ, aut vitii falſitatis, Teſtes nominati ad probandam veritatem, ſi recuſent, ſunt compellendi.

In 9. cap., quod incipit, *Cum contra*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Teſtes, qui ſe ſubtrahunt, etiam in Cauſa Criminali, ſunt cogendi ad teſtificandum.

In 10. cap., quod incipit, *Dilectorum*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd in Civili Cauſâ Teſtes nominati, ſi ſe gratiâ, odio, vel timore ſubtraxerint, per cenſuram Eccleſiaſticam ſunt compellendi ad teſtificandum: ſecùs autem in Criminali, quandò agitur cauſa viâ accuſationis; ſed ſi agatur Cauſa Criminalis viâ Inquiſitionis, aut denunciationis, tunc poſſunt compelli Teſtes, ne crimina ob defecientiam Teſtium maneant impunita, & peccarent mortaliter Teſtes, ſi in tali cauſa veritatem occultarent.

In 11. cap., quod incipit, *Venerabilis Frater noſter*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in Cauſa Conjurationis poſſunt à Iudice compelli tamquàm Teſtes ad veritatem manifeſtandam etiam Socii, quamvis juramento ſe adſtrinxerint de non manifeſtanda Conjuratione: à tali enim juramento abſolvuntur à Iudice, utpotè illicito, & ut Teſtimonium perhibeant veritati. Videatur D. Th. 2. 2. qu. 70. per totam quæſtionem, ſuper cujus doctrina fundatur præſens titulus, cum præcedenti; & præcipuè articulo 1., ubi explicat, quando nam homo tenetur ad teſtimonium ferendum, & art. 4. quale peccatum ſit falſum teſtimonium.

TITULUS XXII.

De Fide Inſtrumentorum in 16. capita diſtinctus.

Quia in ſuperioribus titulis actum eſt de prima ſpecie probationum, ſcilicet de Teſtibus; nunc ſequitur agendum de ſecunda ſpecie, ſeu modo, quo res poteſt probari, ſcilicet per Inſtrumenta: unde de eorum fide tractandum eſt.

Agitur de hac materia in Decreto cauſa 7. q. 9. cap. *Teſtes*.

In 1. cap., quod incipit. *Si ſcripturam*, ex Gregorio, ſtatuitur, quòd exemplari fides non eſt in judicio adhibenda, niſi ſit per manum publicam authenticatum, vel per Iudicem cum ſubſcriptione ſaltem duorum Teſtium roboratum, & recognitum.

In 2. cap. quod incipit. *Scripta verò authentica*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd ſi in aliqua cauſa exhibeatur ſcriptura privata, ſcilicet non confecta manu publici Notarii, & talis ſcriptura ſit ſubſcripta à Teſtibus, ſed tales Teſtes mortui ſint, talis Scriptura fidem non facit, niſi ſit publicè recognita, habeatque publicum ſigillum; ſic enim non authenticatur.

In 3. cap., quod incipit. *Ex literis veſtris*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Reſcriptum Apoſtolicum propter raſuram in loco non ſuſpecto non præſumitur vitioſum; unde debet admitti.

In 4. cap., quod incipit, *Accepimus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in Cauſa negantis veritatem Privilegii, Judex tenebitur illud recognoſcere coràm aliquibus in loco congruo, & ſecuro, & interìm poſſeſſio eſt in favorem privilegiati, quouſque conſtet tale Privilegium eſſe invalidum.

In 5. cap., quod incipit. *Contingit*, ex Cœleſtino III. ſtatuitur, quòd Inſtrumentum, vel Privilegium, quo quis utitur coram Judice, non eſt neceſſe, quòd oſtendatur Adverſario integraliter, ſed ſufficit, ut ei oſtendatur capitulum illud; de quo agitur.

In 6. cap., quod incipit. *Inter dilectos*,

ctos, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd Inſtrumentum, vel Scriptura publicâ manu non confecta, in qua adſit ſigillum ita antiquum, quòd literæ non ſit legibiles, vel ipſa ſcriptura ſit in notabili parte in intelligibilis, aut patiatur enormem fracturam, non probat in judicio.

In 7. cap., quod incipit. *Quod ſuper his*, ex eodem, ſtatuitur, quòd non valent literæ ſuper abſolutione Voti impetratæ, tacitâ veritate, aut expreſsâ falſitate: tales enim ſunt obreptitiæ, vel ſubreptitiæ.

In 8. cap., quod incipit. *Paſtoralis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi aliqua Decretalis, quæ non eſt in corpore juris, allegetur coram Iudice, videndum eſt, an ſit conſona juri communi; & tunc eſt judicandum ſecundùm illam: ſi autem ſit diſſona juri communi, & dubitetur de ejus veritate; tunc conſulendus eſt Papa ſuper illam, antequam terminetur cauſa.

In 9. cap., quod incipit. *Cùm dilectus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Inſtrumenta poſſunt produci in cauſa, etiam poſt publicatas atteſtationes, antequàm tamen in cauſa ſit concluſum. Item, ſtatuitur, quòd conſuetudo loci facit Inſtrumentum authenticum, ut in partibus Scotiæ Inſtrumentum ſignatum à Rege habetur pro authentico.

In 10. cap., quod incipit. *Cùm Joannes*, ex eodem, ſtatuitur, quòd quandò dubitatur de veritate, aut falſitate Inſtrumenti, veritas, vel falſitas probanda eſt per Teſtes, per quos etiam probatur, ſi aliquid deeſt Inſtrumento, quod ſupponitur relictum à Notario.

In 11. cap., quod incipit. *Ex parte chariſſimæ*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd propter modicum defectum in Reſcripto, vel inſtrumento, puta ob deficientiam unius literæ, non vitiatur Reſcriptum, aut Inſtrumentum, cùm ex antecedenti, & ſubſequenti poſſit compræhendi ſcripturæ intentio.

In 12. cap., quod incipit. *G. perpetus Vicarius*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd Iudex tenetur ad inſtantiam partis compellere partem adverſam ad exhibenda Inſtrumenta communia; quòd ſi hoc non faciat, licitum eſt parti à tali Iudice appellare.

In 13. cap., quod incipit. *Imputari*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui in judicio contrarias ſcripturas producit, non eſt audiendus, quia contrariæ ſcripturæ fidem non faciunt, & imputet ſibi, qui cauſam ſuam malè tractat, quia debebat providere.

In 14. cap., quod incipit. *Si cautio*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Actor producat ſcripturam debitoris coram Iudice, in qua exprimatur cauſa debiti, Iudex condemnabit debitorem ad ſolvendum ex confeſsione ipſius Debitoris, niſi Debitor probet indebitè feciſse talem Scripturam, puta coactè; & per vim, aut aliàs ſolviſse debitum: ſi autem in tali ſcriptura non exprimitur cauſa debiti, & Reus neget, pertinet ad Actorem probare cauſam debiti, puta ex venditione, aut ex mutuo &c.

In 14. cap., quod incipit. *Cùm P. Tabellio*, ex eodem, ſtatuitur, quòd authoritate judicis Ordinarii ad inſtantiam eorum, ad quos ſpectant, poſſunt notæ Inſtrumentorum relictæ à Notario mortuo redigi in publicam formam; ſicque habebunt perpetuam firmitatem.

In 16. cap., quod incipit. *Si Inſtrumenta*, ex eodem, ſtatuitur, quòd inſtrumentum authoritate Iudicis Ordinarii exemplatum per mortem publici Notarii eamdem habet vim, & probat in judicio, ac ſi eſset originale.

TITULUS XXIII.

De Præſumptionibus in 16. capita diſtinctus.

Quia Præſumptiones aliquandò plenè probant, aliquandò ſemiplenè, aliquandò coadiuvant ad cauſam: ideò poſtquàm de Teſtibus, & de fide inſtrumentorom dictum eſt, ſequitur agendum de hac ſpecie probationis, ſcilicèt de Præſumptionibus.

Agitur de hac materia in Decreto diſt. 50. cap. *Ferrum*, & cauſa 11. qu. 3. cap. *Abſit*.

In 1. cap., quod incipit. *Sicut noxius*, *ex parabolis Salomonis cap. 26.* ſtatuitur, quòd ſicut manifeſtè nocens eſt pœnæ

pœnæ obnoxius, ita & occultus, licèt poſtea dicat ſe joco feciſse, præſumitur enim Reus, niſi ex circumſtantiis probet contrarium.

In 2. cap., quod incipit. *Apertè mihi*, ex eodem Salomone Regum cap. 3. ſtatuitur, quòd ex præſumptione violenta poteſt à Iudice ferri diffinitiva ſententia, Præſumptio autem violenta eſt illa, quæ plenè probat, & inducit judicem ad credendum.

In 3. cap., quod incipit. *Ex ſtudiis ſuis*, ex Hieronymo, ſtatuitur, quòd converſatio,ſeu mores,in adoleſcentia faciunt præſumptionem in virilitate, & ſenectute: nam *Puer juxtà viam ſuam, etiam cùm ſenverit, non recedet ab ea*, ex Salomone.

In 4. cap., quod incipit. *Nullus dubitat*, ex Bonifacio Papa, ſtatuitur, quòd adeſt ſufficiens ratio præſumendi contra Reum, qui dilationibus mendicatis ſubterfugit Judicium.

In 5. cap., quod incipit, *Nonne benè dicimus nos*, ex Gregorio, ſtatuitur, quòd qui ex duobus ſibi obiectis, alterum tantùm negat, præſumitur aliud tacendo concedere, ut Chriſtus, cui duo objiciebant Iudæi; ſcilicet *Samaritanus es tu, & Dæmonium habes*; hoc ſecundum negavit, alterum tacendo conceſſit.

Iu 6. cap., quod incipit. *Mandata*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ex præteritis licitum eſt præſumere circà futura: nàm, ut in plurimum, ex tranſactâ vitâ alicujus arguitur, quid de ſubſequenti converſatione ejuſdem ſit præſumendum.

In 7. cap., quod incipit. *Quoſdam*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ex vicinitate loci, ubi res facta eſt, præſumitur notitia rei; undè ſi examinentur Teſtes exiſtentes vel in eo loco, vel propè, præſumuntur ſcire factum: quapropter Iudex debet illi integram fidem præſtare, ſi cœtera ſunt paria.

In 8. cap., quod incipit. *Quantò*. ex eodem, ſtatuitur, quòd factum notum in loco remoto, multò magis præſumitur notum in loco proximiori.

In 9. cap., quod incipit. *Scribam eis*, ex Hyeronimo, ſtatuitur, quòd ex præteritis quandoque præſumitur circà futura. Nota ex Gloſſa, quod ſex ſunt modi, ſeù ſpecies præſumendi. Primò, quandò ex præteritis præſumitur circà futura, ut in præſenti. Secundò, quandò ex præſenti præſumitur circà præſens, ut cauſa 6. qu. 1. *qui crimen*. Tertiò, quandò in præſenti præſumitur circà præteritum cauſa 34. qu. 2. *Per pellicam*. Quartò, quandò ex præſenti præſumitur circà futurum, diſt. 5. *Si quis Diaconus*. Quintò, quandò ex præterito præſumitur circà præteritum. diſt. 28. *Quià ſunt culpæ*. Et Sextò, quandò ex præterito præſumitur circà præſens, quotiès de fama quæritur alicujus. diſt. 77. *Quicumque*, & cap. *Monachus Novitius &c.*

In 10. cap., quod incipit. *Quià veriſimile non eſt*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd ille, qui intendit probare aliquid, quod eſt contrà veriſimilitudinem, ſeù præſumptionem, debet uti evidentibus probationibus, & Teſtibus fide digniſſimis, quibus poſſit purgari, non obſtante tali veriſimili præſumptione.

In 11. cap., quod incipit. *Illud quoque*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in cauſa Matrimoniali præſumitur in favorem Matrimonij, quotieſcumque probatur cohabitatio Viri, & Mulieris diuturna, & exhibetur contractus Matrimonialis: Inſuper de eo eſt apùd vicinos publica vox, & fama.

In 12. cap., quod incipit. *Literis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd violenta præſumptio ſufficit ad condemnationem; ut ſi Teſtes probent in Cauſa divortii ſe vidiſſe Uxorem Petri jacentem in lecto cùm Paulo, nudam cùm nudo, ſolam cùm ſolo, eâ intentione, ut credebant, ut Paulus eam cognoſceret carnaliter; quæ præſumptio, utpotè violenta, ſufficit ad condemnandum.

In 13. cap., quod incipit. *Tertio loco*, ex Clemente III. ſtatuitur, quòd affinitas per copulam illicitam contracta probatur per Teſtes deponentes de publica voce, & fama viciniæ: Itèm aſſerentes, eos vidiſſe ſimul in domo, & foris familiaritèr converſantes in locis ſecretis, ſicquè cum Iuramento affirmantes ſe certò credere intèr eos interceſſiſſe Copulam, quod etiàm juravit Mulier ſic eſſe. Hæc præſumptio deducta ex multis cir-

cumſtantiis ſufficit ad dirimenda ſponſalia, ſi Vir velit contrahere cùm conſanguinea prædictæ Mulieris, quam cognovit, in primo, vel ſecundo gradu.

In 14. cap., quod incipit. *Literas veſtras*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd Iudex ſtante ſolâ præſumptione, etiàm vehementi, non debet aliquem de gravi crimine condemnare, puta de Hæreſi: Poteſt enim Reus ſe purgare de tali præſumptione.

In 15. cap., quòd incipit. *Cùm in Iuventute*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Superior non ſtatìm debet credere de Subditis, quæ à Malevolis malo zelo referuntur eidem, ſed debet prudentèr informationes petere à fide dignis de Subditorum converſatione vitæ præteritæ: Nàm non eſt præſumendus malus, aùt incontinens in Senectute, qui in Iuventute fuit bonus, & continens.

In 16. cap., quod incipit. *Dudùm*, ex eodem, ſtatuitur, quòd cùm in Reſcripto Papæ, quo mandat dari Beneficium alicui, ponitur clauſula, ſi reperiatur idoneus, non pertinet ad illum, qui vult promoveri ad beneficium, probare ſuam idoneitatem, ſed ad Adverſarium probare hunc non eſſe idoneum; Unuſquiſque enim præſumitur idoneus ad id quod petit, niſi probetur oppoſitum.

TITULUS XXIV.

De Iureiurando in cap. 36. diſtinctus.

QUià deficientibus probationibus, aliquandò neceſſe eſt recurrere ad Iuramentum, quod per hoc dicitur omnis controverſiæ finis; ideò poſtquàm de Probationum ſpeciebus dictum eſt, ſequitur agendum de Iureiurando.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 22. queſt. 1. 2. 4. 5. & Cauſa 35. queſt. 5. per totum, & aliis in locis. In 6. lib. 2. Titulo 11. & in Clement. lib. 2. Titulo 9.

In cap. 1., quod incipit. *Ex adminiſtrationis*, ex Gregorio III. ſtatuitur, quòd Creditores compellendi ſunt ab Eccleſiaſtico Judice, ut relaxent Juramenta Debitoribus, qui ab eis mutuò acceperunt pecuniam, jurando ſolvere eis uſuras; Tale enim Juramentum eſt in præjudicium animæ Crediroris.

In 2. cap. quod incipit. *Pervenit ad Nos*, ex Gregorio, ſtatuitur, quòd Juramentum præſtitum pèr metum à Rectore Eccleſiæ de rebus Eccleſiæ ſuæ non repetendis non obligat, tùm quià eſt coactum, tum quia Eccleſia tamquàm Pupilla non poteſt expoliari. Talis tamen ſic jurans debet petere abſolutionem à tali Juramento ad cautelam.

In 3. cap., quod incipit. *Pervenit ad Nos* 2., ex eodem, ſtatuitur, quòd non frangit juramentum, qui illud commutat in melius, nec tenetur ad juramentum, vel fidem ſervandam, qui juravit, vel promiſit ſub conditione, ſi conditio appoſita non adimpleatur.

In 4. cap., quod incipit. *Egò N. Epiſcopus*, ex eodem, ſtatuitur forma juramenti fidelitatis, quod debent Epiſcopi in conſecratione preſtare Domino Papæ, quæ forma 7. continet capita, 1. promittit fidelitatem, 2. promittit eius defenſionem, 3. promittit non aliquid prolaturum contrà eum, 4. promittit Papatum Romanæ Eccleſiæ defendere, & Regulas SS. Patrum contrà hoſtes Eccleſiæ, 5. promittit, quòd vocatus àd Synodum, niſi legitimo obſtante impedimento, veniet, 6. quod Legatos Apoſtolicæ Sedis honorificè tractabit, 7. quod Apoſtolorum limina ſingulis annis, ſivè per ſe, ſive pèr alios viſitabit.

In 5. cap. quod incipit. *Nullus Epiſcopus*, ex Urbano Papa, ſtatuitur, quòd Clericus non tenetur Epiſcopo ſuo Juramentum Obedientiæ præſtare, niſi occaſione alicuius adminiſtrationis Eccleſiaſticæ ſibi demandatæ.

In 6. cap., quod incipit. *Debitores*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd obligatio ſolvendi uſuras non tenet; ſed ſi ſuperadditum ſit Juramentum, hoc tenet, & in tali caſu debent perſolvi; ſed recipiens debet per Eccleſiaſticas Cenſuras compelli ad earum reſtitutionem.

In 7. cap., quod incipit. *Ad noſtram*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Iuramentum ſemper ſervandum eſt etiam factum

factum ſuper Uſuris ſolvendis, licèt promiſſio Uſurarum non valeat: nàm mutuans, ultra ſortem nil petere, nec retinere poteſt ratione mutui, niſi præcisè expenſas, quas fecit circa pignus ſervandum.

In 8. cap., quod incipit. *Si verò aliquis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi aliquod Iuramentum pèr metum extortum poteſt ſervari ſine peccato, erit ſervandum. Eccleſia tamen conſuevit regularitèr ſuper tali Juramento abſolvere, ſeu diſpenſare.

In 9. cap., quod incipit. *Ex Reſcripto*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Monachi à ſuo Abbate prò utilitate Monaſterii dari poſſunt prò Obſtagio, ſeu obſides fieri ſimul cum ſecularibus: qui omnes poſtquam juraverunt, tenentur ſtare promiſſis: quòd ſi contrafecerint, punientur Monachi per Interdictum ſuæ Eccleſiæ, & ſæculares ſimiliter, prohibendo eis ingreſſum Eccleſiæ, & aſſiſtentiam Divinis Officiis.

In 10. cap., quod incipit. *Querelam*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Periurus eſt judicandus, & àb Eccleſia removendus Clericus ille, qui non neceſſitate, ſed voluntate facit contrà ſuum licitum Iuramentum; ut Clericus, qui juravit ſolvere penſionem, quam non vult ſolvere.

In 11. cap., quod incipit. *Tua nos*, ex Lucio III. ſtatuitur, quòd ſi Clericus àd obtinendum Beneficium Iuris Patronatus juret Præſentanti de Penſione augendâ ſuper tali Beneficio; & deindè Epiſcopo Collatori, ſeu Viſitatori juret contrarium, ſcilicet de non augendâ ſolitâ Penſione, valebit hoc ſecundum Iuramentum, non primum: talis tamèn Clericus eſt deponendus tamquàm periurus.

In 12. cap., quod incipit. *Cùm quidam*, ex Urbano III. ſtatuitur, quòd Periurium tantò gravius eſt, quantò major eſt dignitas Perſonæ periurantis, tùm proptèr majorem deformitatem criminis, tùm propter ſcandalum, quod aliis præſtat, ut ſi Epiſcopus ſit Periurus.

In 13. cap., quod incipit. *Sicut ex literis*, ex eodem ſtatuitur, quòd Iuramentum temerarium, quo aliquis Religioſus juravit, ſe amplius nolle vivere in Clauſtro ſub jugo Religionis, non valet: eſt tamèn talis gravitèr puniendus àd exemplum aliorum.

In 14. cap., quod incipit. *Veritatis amica*, ex Clemente III., ſtatuitur, quòd Vaſſallus, qui præſtitit Iuramentum fidelitatis ſuo Principi, vel Prælato, non tenetur tale Iuramentū præſtare ejus Succeſſoribus; tenetur tamen ei eſſe fidelis, àc ſi juraſſet: nàm Iuramentum factum Anteceſſori ratione dominii, tranſit etiam àd legitimos Succeſſores in eodem.

In 15. cap., quod incipit. *Verùm*, ex Cœleſtino III. ſtatuitur, quòd à juramento per metum gravem extorto, Eccleſia ſolet abſolvere, ſeu diſpenſare; undè cenſetur ex ſe obligatorium: non tamen tranſgreſſores illius, ut perjuri ſimpliciter ab Eccleſia puniuntur.

In 16. cap., quod incipit. *Veniens*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd cum aliquis alicui ſimpliciter jurat ſtare ejus mandato, mandatum illius debet eſſe juſtum, & rationabile, non iniquum, aliàs obedire non tenetur.

In 17. cap., quod incipit. *Brevi*, ex eodem ſtatuitur, quòd qui juravit jura alicujus Eccleſiæ defendere, & neceſſitate imminente Rector talis Eccleſiæ ad ipſum juridicè recurrit pro defenſione, quam antea juravit præſtare tali Eccleſiæ; ſi iſte, cum poſſit, non præſtat defenſionem, ſed appellat à tali inſtantia abſque legitima cauſa, eſt Reus perjurii: nam talis appellatio eſt fruſtratoria.

In 18. cap., quod incipit. *Quantò*, ex eodem ſtatuitur, quòd jurans ſcienter aliquod illicitum, non indiget abſolutione, cum tale juramentum non teneat, imò tenetur illud non obſervare. Si autem juravit rem illicitam, ignorans eam eſſe illicitam, debet obſervare, ſi aliquo licito modo eſt obſervabilis. Si autem juravit licitum, quod putabat illicitum; obſervare tenetur juramentum, ſed de prava intentione pœnitebit.

In 19. cap., quod incipit. *Venientes*, ex eodem ſtatuitur, quòd juramentum præſtitum in præjudicium juris Tertii non valet, & ſpecialiter loquendo in præjudicium juris ſuperioris, vel Principis, ut in præſenti Decretali.

In cap. 20., quod incipit. *Ad noſtram*,

ſtram, ex eodem ſtatuitur, quòd qui juravi: Uſurario uſuras ab eo non repetere; licèt non poſſit agere contra Uſurarium, ut ab eo reſtituantur uſuræ ſolutæ, poteſt tamen, ſi Eccleſia compellat Uſurarium ad reſtituendas uſuras, manifeſtare Eccleſiæ tot ei ſolviſſe uſuras, ad effectum, ut ei reſtituantur: hoc enim facit non viâ accuſationis, ſed denunciationis.

In 21. cap., quod incipit. *Ad noſtram*, ex eodem ſtatuitur, quòd juramentum generale taliter eſt interpretandum, ut non ſit contrarium Juri Canonico: aliàs tamquàm temerarium non obligat, cum ſit illicitum: undè benignè eſt interpretandum.

In 22. cap., quod incipit. *Ex te credimus*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi juramentum fidelitatis, quod uni præſtandum eſt, præſtetur alteri, illicitum eſt, & non tenet, imò eo non obſtante ei, cui debetur, eſt præſtandum, ut patet de juramento fidelitatis, quod fit Domino Papæ.

In 23. cap, quod incipit. *Quinta vallis*, ex eodem ſtatuitur, quòd cum aliquis ſimpliciter jurat ſtare mandato alterius, licitum debet eſſe tale mandatum, aliàs mandatum non ligat: nam juramentum illud non poteſt eſſe vinculum iniquitatis.

In cap. 24., quod incipit. *Tua nos*, ex eodem ſtatuitur, quòd ex cauſa levi, & temeraria, Conjuges nec etiam ad Thorum, vel cohabitationem ſeparari debent, etiamſi talem ſeparationem firmaverint juramento.

In 25. cap., quod incipit. *Quemadmodùm*, ex eodem ſtatuitur, quòd qui juravit Mulieri eam ducere in Matrimonium, ſi poſtea Mulier cum alio fornicetur, aut fiat notabiliter deformis, non tenetur ſtare juramento: ſecus ſi fornicatio, aut deformitas præceſſerint.

In 26. cap., quod incipit. *Et ſi Chriſtus*, ex eodem ſtatuitur, quòd Monachi, & Converſi jurare poſſunt pro teſtimonio ferendo in Cauſa ſui Monaſterii; licèt enim jurare ſine neceſſitate ex Evangelio ſit prohibitum, jurare tamen ex neceſſitate cuicumque eſt licitum, dummodò juramentum habeat tres Comites, ſcilicet, veritatem, judicium, & juſtitiam.

In 27. cap., quod incipit. *Sicut noſtris*, ex eodem ſtatuitur, quòd juramentum in damnum Eccleſiæ datum, non eſt ſervandum, nec obligat, ſed potius perjurium dicitur, & de hoc debet ab Eccleſiaſtico Judice pœnitentia imponi.

In 28. cap., quod incipit. *Cum contingat*, ex eodem ſtatuitur, quòd conſenſus Uxoris firmatus cum juramento ſuper alienatione ſuæ dotis tenet: nam juramentum prævalet legi, & ſemper ſervandum eſt, quando ſervari poteſt abſq; periculo animæ.

In 29. cap., quod incipit. *Sicut*, ex eodem ſtatuitur, quòd Fides etiam jurata ſervanda non eſt ei, qui fidem frangit, undè verſus: *Frangenti fidem fides frangatur eidem*, cum jurans taliter juret; ſcilicet ſub conditione, ut fides ſervetur eidem. 2. ſtatuitur, quòd movens bellum injuſtum, tenetur reſtituere quæ per violentiam occupavit, & debet abſolvere eos, à quibus indebitè juramentum fidelitatis extorſit.

In cap. 30., quod incipit. *Nimis*, ex eodem ſtatuitur, quòd Clerici non habentes temporalia à Principibus laicis, non tenentur eis præſtare juramenta fidelitatis: hoc enim eſſet in præjudicium Ordinis Clericalis.

In 31. cap. quod incipit. *Petitio veſtra*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd qui jurat non eſſe contra aliquem, hoe non obſtante poteſt, ſi eſt Clericus, eſſe contra illum in Cauſis ſuæ Eccleſię, vel etiam propriis; quia nullus tenetur eſſe contra ſe, vel contra Eccleſiam ſuam; Juramentum autem illud intelligendum eſt, quòd non erit contra perſonam illam, eam lædendo perſonaliter, vel machinando contra eam.

In 32. cap. quod incipit. *Ex litteris veſtris*, ex eodem ſtatuitur, quòd in Cauſa Uſurarum, deficientibus probationibus, Juramentum de veritate dicendâ præſtandum eſt, quod etiam verificatur in aliis Cauſis ſpiritualibus, & ad hoc partes à Judice compelli debent.

In 33. cap. quod incipit. *Intellecto*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi conſtitutus in Dignitatate alienet Bona dignitatis, non

valet

valet alienatio, & tenetur eam revocare, etiamſi juraverit eam non revocaturum; nàm talis alienatio, & Juramentum ſunt illicita, præſertim, ſi prius juraverit, ſe non alienaturum res, aut Iura ſuæ Dignitatis.

In 34. cap. quod incipit. *Mulieri*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd ſi Mulier juravit coràm Judice contraxiſſe Matrimonium cùm aliquo per mutuum conſenſum maritalem, quod tamen negat ille Vir, nec Mulier habeat probationes; in tali caſu prædictus Vir non poteſt conſtringi ad Matrimonium, nec Mulier poteſt abſolvi à Matrimonio, ſed uterque dimittitur, relinquendo cauſæ reſolutionem propriæ conſcientiæ.

In 35. cap. quod incipit. *Clericus*, ex eodem ſtatuitur, quòd Juramentum non extenditur ad illud, ſuper quod juratum non eſt; undè Clericus jurans ſervare ſtatuta ſuæ Eccleſiæ, ex vi talis juramenti non tenetur ſervare ſtatuta edenda, licet ex vi promiſſionis teneatur.

In 36. cap. quod incipit. *Juramentum*, ex eodem ſtatuitur, quòd Juramentum litis deciſorium à Iudice delatum, non poteſt ſine juſta cauſa recuſari, delatum verò à parte, licitè poteſt recuſari. Item ſtatuitur, quòd Actore nihil probante, Reus eſt ab omni onere abſolvendus, niſi præſumptio ſit contra Reum; tunc enim debet Reus adſtringi ad Iuramentum. Videatur D. Th. 2. 2. qu. 89. ubi per 10. Articulos elegantiſſimè explicat quando Iuramentum ſit licitum, quæ ſint ejus conditiones, quomodo ſit obligatorium, & quando in ipſo poſſit diſpenſari, ex cujus doctrinâ omnia, quæ in hoc Titulo continentur faciliter intelliguntur, & & contra Adverſarios propugnantur.

TITULUS XXV.

De Exceptionibus in 14. Capita diſtinctus.

Quia in Superioribus Titulis actum eſt de Probationibus in genere, & ſpecie, quæ probationes ut in plurimum ſpectant ad Actorem contra Reum: nunc agendum eſt de exceptionibus, quæ à Reo ſolent opponi contra Actorem, vel contra Iudicem, vel Teſtes &c.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 3. qu. 6. §. *Exceptio*. In 6. Titulo 12. & in Clement. lib 2. Titulo 10.

In 1. cap. quod incipit. *Denique*, ex Cœleſtino III. ſtatuitur, quòd cum Teſtes debeant eſſe ſine aliquâ notâ infamiæ, ſi Reus det exceptionem Teſtibus, quòd jam in alio Iudicio fuerint convicti, vel confeſſi de crimine; aut ſi obiicit crimen; quòd coràm Iudice probat, & hoc crimen induxit infamiam, in tali caſu Teſtes ſunt repellendi à Iudicio viâ exceptionis: non tamen ſunt puniendi Teſtes de tali crimine, quia Reus non procedit viâ Accuſationis.

In 2. cap. quod incipit. *A Nobis*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd excommunicatus majori excommunicatione repellitur in Iudicio tamquam Actor, quia eſt ſegregatus à communione Fidelium; ſecùs autem excommunicatus minori excommunicatione, qui ſolùm eſt privatus participatione paſſivâ Sacramentorum; unde valet exceptio de excommunicatione majori, non de minori.

In 3. cap. quod incipit. *Cùm Eccleſiaſtica*, ex eodem ſtatuitur, quòd habens plura Beneficia, non poteſt excipere contra alium de Beneficiorum pluralitate: nam qui eodem impedimento laborat, non poteſt illud alii opponere; unde exceptione tollitur.

In 4. cap. quod incipit. *Paſtoralis*, ex eodem ſtatuitur, quòd ne Cauſæ in longum malitioſè protrahantur, Iudex debet ſtatuere terminum ad exceptiones dilatorias proponendas, quo elapſo amplius non poſſunt proponi, niſi in tribus Caſibus Primò ſi præceſſerit Proteſtatio in contrarium. Secundò ſi novum emerſerit motivum excipiendi. Tertiò ſi præſtetur Iuramentum talem rem poſt terminum aſſignatum, ad ejus notitiam perveniſſe.

In 5. cap. quod incipit. *Cum inter*, ex eodem ſtatuitur, quòd excommunicatus per ſuum Procuratorem poteſt excipere, appellare, & omnem defenſionem facere ſibi competentem: Agere tamen, & reconvenire contra Actorem non poteſt: conce-

conceditur enim ei defenſio, non actio.

In 6. cap., quod incipit. *Cùm venerabilis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Reus, à quo res ab Actore petitur, excipiat de permutatione ipſius rei facta cum Actore, per hoc non videtur fateri, Actorem fuiſse Dominum talis rei; poterat enim eſse Uſufructuarius, Dominus. Item ſtatuitur, quòd exceptio falſi, vel falſificationis ſcripturæ, etiam poſt ſententiam poteſt opponi.

In 7. cap., quod incipit. *Olìm & infra*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd qui appellat à gravamine antè ſententiam, excipiendo de juriſdictione, tenetur probare coram Iudice appellationis, talem exceptionem fuiſse veram, & fundatam; & interim Iudex ſuper cauſa principali teneatur ſuperſedere, quouſque decidatur ſuper ſubſiſtentiâ exceptionis.

In 8. cap., quod incipit. *Dilecti Filii*, ex eodem, ſtatuitur, quòd pro defenſione ſuæ Eccleſiæ poteſt quis opponere exceptionem excommunicationis, aut Perjurii, aut quamcumque aliam legitimam exceptionem; nec per replicationem excommunicationis, aut perjurii repelli poteſt, quia etſi excommunicatus, & perjurus poſsit defendere ſe, & Eccleſiam ſuam; agere tamen, aut reconvenire non poteſt.

In 9. cap., quod incipit. *Apoſtolicæ Sedis*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd ſi alicui promoto ad aliquod Beneficium, vel dignitatem Eccleſiæ detur exceptio ſuſpenſionis, contra quam exceptionem replicatur de nullitate, fit abſolutio ad cautelam, nè ordinatio Eccleſiæ retardetur.

In 10. cap., quod incipit. *Dilecta*, ex eodem ſtatuitur, quòd excommunicatus poteſt, ſi eſt gravatus, appellare ad Iudicem ſuperiorem; nulli enim denegandum eſt defenſionis auxilium; undè excommunicationis exceptione non obſtante, valet Reſcriptum impetratum à Papa viâ appellationis.

In 10. cap., quod incipit. *Significaverunt*, ex eodem, ſtatuitur, quòd excommunicatus poſſit appellare, & proſequi appellationem: non enim excommunicatio impedit ei legitimam ſui defenſionem, undè excommunicationis exceptio contra eum non valet.

In 12. cap., quod incipit. *Exceptionem*, ex eodem, ſtatuitur, quòd exceptio excommunicationis contra Actorem, licèt ſit dilatoria, habet hoc ſpeciale, ut poſſit opponi à Reo, non ſolùm in principio, ſed in qualibet parte litis. Et ſi Actor ſit publicè excommunicatus, etiamſi Reus non opponat exceptionem excommunicationis, debet tamen Iudex ex officio talem Actorem repellere.

In 13. cap., quod incipit. *Adverſario tuo*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Reo abſoluto à Iudice, quia non poſſidebat tempore ſententiæ rem petitam ab Actore, ſi poſtea eam incipiat poſsidere, ei non competit exceptio rei judicatæ, quia eſt facta mutatio rei. de non poſſeſſa in poſſeſſam.

In 14. cap., quod incipit. *Venerabilem*, ex eodem, ſtatuitur, quòd valet Reſcriptum impetratum ab excommunicato in cauſa appellationis, licet de excommunicatione in eo nulla fiat mentio, hoc enim fit ad ſui defenſionem, & ad repellendum gravamen, quod nulli negatur.

TITULUS XXVI.

De Præſcriptionibus in 20. capita diſtinctus.

QUia in ſuperiori Titulo actum eſt de exceptionibus in genere, ſequitur modò agendum de aliqua exceptione in ſpecie, quæ dicitur præſcriptio, quæ quandoque à Reo objicitur Actori, probans ſe præſcripſiſſe rem, quæ petitur ab Actore.

Agitur de hac materia in Decreto cauſa 3. q.2., & cauſa 16. q.3. & 4. In 6. lib.2. tit.13.

In 1. cap., quod incipit. *Placuit*, ex Concilio Aphricano, ſtatuitur, quòd Epiſcopo negligente reducere ad Catholicam unitatem aliquem locum ſuæ Diœceſis, ſi alius Epiſcopus faciat hoc, & primus intra triennium non repetat ſibi talem locum, ſecundus Epiſcopus illum ſibi præſcribit. Quod triennium non currit Sede Epiſcopali vacante, aut Epiſcopo illo in hære-

hæreſim, aut Schiſma prolapſo: cenſetur enim pro tali tempore àc ſi Eccleſia vacaret.

In 2. cap., quod incipit. *Nihil prodeſt*, ex Gregorio in Regiſtro, ſtatuitur, quòd in rebus invaſis, & injuſtè poſſeſſis non currit præſcriptio; undè taciturnitas, & patientia Prælati non nocet Eccleſiæ, nec rebus Eccleſiaſticis in caſu uſurpationis, ſi hæc impediri non poſſit: non enim ex tali violentâ poſſeſſione inducitur præſcriptio.

In 3. cap., quod incipit. *Sanctorum*, ex Gregorio, ſtatuitur, quòd per quietam & ſinceram poſſeſſionem ſpatio 30. annorum, Eccleſia præſcribit rem alicujus privati.

In 4. cap. quod incipit. *De Quarta*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd ad præſcribendam Quartam Decimarum, & Funeralium contra Epiſcopum requiritur ſpatium 40. annorum, & quòd in tali ſpatio non vacaverit Eccleſia Cathedralis; tempus enim vacationis non computatur: unde ad hoc ut una Eccleſia præſcribat contra aliam, aut contra Epiſcopum, aut Perſonam publicam requiruntur 40. anni, contra perſonam privatam anni 30.

In 5. cap. quod incipit. *Vigilanti*, ex eodem, ſtatuitur, quòd poſſeſſor malæ Fidei numquàm præſcribit ſecundùm leges Canonicas, licet juxta leges civiles præſcribat in odium ejus, qui rem ſuam negligit repetere; in foro tamen conſcientiæ poſſeſſor malæ fidei non præſcribit.

In 6. cap., quod incipit. *Ad aures*, ex eodem, ſtatuitur, quod ad hoc ut una Eccleſia in Parochiâ alterius decimas præſcribat, requiritur ſpatium 40. annorum.

In 7. cap., quod incipit. *Cauſam*, ex eodem, ſtatuitur, quòd id, quod poſſideri licitè non poteſt, non poteſt præſcribi; unde Laici, qui decimas, vel alias res Spirituales, & Eccleſiaſticas licitè nequeunt poſſidere, eas nullatenùs valent præſcribere.

In 8. cap., quod incipit. *Illud autem*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Præſcriptio ſecundùm Canones hodiè acquiritur per ſpatium 40. annorum, ſpecialiter ſi ſit ſermo de Præſcriptione contra Eccleſiam. Quæ præſcriptio debet per tale tempus eſſe continuata, ſi autem opponatur in judicio, quòd fuerit interrupta, utraque pars per Teſtes debet probare intentum, quòd ſi probetur interrupta, præſcriptio non ſubſiſtit.

In 9. cap., quod incipit. *Quia indicante*, ex eodem, ſtatuitur, quòd fines Prædiorum Eccleſiaſticorum ſpatio 40. annorum præſcribuntur: unde juxta hanc Regulam quæſtio de Finibus terrarum Eccleſiæ à Judice Eccleſiaſtico decidenda eſt.

In 10. cap., quod incipit. *Ex tranſmiſſa*, ex Lucio III. ſtatuitur, quòd tempore hoſtilitatis non currit Præſcriptio, eo quod tempore hoſtilitatis omnia confunduntur, & indiſcriminatìm occupantur: undè non eſt vera, & legitima poſſeſſio.

In 11. cap., quod incipit. *Accedentes*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd procurationes, ſeu expenſæ, quæ debentur Legatis, vel Nunciis Sedis Apoſtolicæ, etiam curſu longiſſimi temporis præſcribi non poſſunt; quod enim omnes tangit, ab omnibus eſt approbandum, undè omnes ad illas tenentur, niſi ſit ſpeciale Privilegium Apoſtolicum exemptionis.

In 12. cap., quod incipit. *Cùm non liceat*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in ſubditis non currit præſcriptio contra obedientiam debitam ſuo Prælato. Inobedientia enim utpotè manifeſta contra Sacros Canones non poteſt præſcribi.

In 13. cap., quod incipit. *Ad audientiam*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in juribus, & rebus ſpectantibus ad Eccleſiam Romanam currit ſola præſcriptio centum annorum. Hoc enim eſt Privilegium ſolius Romanæ Eccleſiæ, ad differentiam aliarum Eccleſiarum, contra quas præſcribitur ſpatio annorum 40.

In 14. cap., quod incipit. *Cùm nobis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Eccleſia Romana gaudet Privilegio prædicto, non ſolùm in juribus, & rebus ſuis propriis, ſed etiam pro Eccleſiis illi immediatè ſpecialiter ſubjectis: & inſuper tempore ſchiſmatis nulla currit præſcriptio.

In 15. cap., quod incipit. *Auditis, & intellectis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Præ-

Prælatus inferior, puta Abbas poteſt præſcribere in Eccleſiis ſuæ Abbatiæ jus Epiſcopale ſpatio 40. annorum, detracto tamen tempore, quo vacavit Eccleſia Cathedralis, quo tempore præſcriptio non currit.

In 16. cap., quod incipit. *Cùm ex officii ſui*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſubditus non poteſt præſcribere contra Superiorem, nec viſitationem, nec procurationem ei debitam ratione viſitationis; hæc enim de jure canonico ſpectant ad ſuperiorem ratione Officii, nec Subditi poſſunt eximi, niſi per ſpeciale Privilegium expreſſum Sedis Apoſtolicæ.

In 17. cap., quod incipit. *Si diligenti*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui alieno nomine poſſidet, numquàm pro ſe ipſo præſcribit, ſed pro eo, pro quo poſſidet: nec etiam præſcribit, qui proprio nomine poſſidet, niſi habeat bonam fidem, & juſtum titulum ſuæ poſſeſſionis, ſi aliàs jus commune, aut præſumptio ſit contra ipſum. Ad præſcribendum autem contra Romanam Eccleſiam eſt neceſſaria centenaria poſſeſſio.

In 18. cap., quod incipit. *Cùm olim*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Abbas in Cappellis poteſt præſcribere contra Epiſcopum jura Epiſcopalia, unde Cappellæ propriè pertinentes ad Abbatiam ſunt exemptæ ab Epiſcopo, non quidem omnes, ſed ſolùm illæ, quæ fuerunt præſcriptæ.

In 19. cap. quod incipit. *Veniens*, ex eodem ſtatuitur, quòd eo ipſo, quòd Clerici, & Eccleſiæ ſunt in Diœceſi Epiſcopi, tenentur ab eodem recipere Chriſma, Oleum Sanctum, Conſecrationes Altarium, Ordines &c. niſi ſit præſcriptum in contrarium, aut extiterit in oppoſitum legitima præſcriptio.

In 20. cap., quod incipit. *Quoniam*, ex eodem, ſtatuitur, quòd nec in Foro Canonico, nec Civili valet præſcriptio abſque bonâ fide continuata: nàm quicumque poſſidet contra conſcientiam, ædificat ad Gehennam, & eſt in ſtatu peccati mortalis; undè in nullo Foro legitimè præſcribit.

TITULUS XXVII.

De Sententia, & Re judicata in 26. Cap. diſtinctus.

CUm in Superioribus Titulis actum ſit de his, quæ ſpectant ad Iudicium, tam ex parte Actoris, quàm ex parte Rei, nunc proponitur Titulus de eo, quod ſpectat ex parte Iudicis, ſcilicèt de ſententia, à qua ſi Reus non appellat, dicitur res judicata: ideò de Sententia, & Re judicata agendum eſt.

Tractatur de hac materia in Decreto cauſa 3. qu. 9. per totum, & cauſa 5. qu. 4. cauſa 30. qu. ultima, & cauſa 35. qu. 11. in 6. lib. 2. Tit. 84. in Clementinis lib. 2. Titulo 11.

In 1. cap., quod incipit. *Sententia*. ex Gregorio, ſtatuitur, quòd ſententia lata contrà Leges, vel Canones eſt nulla, nèc ab ea opus eſt appellare.

In 2. cap., quod incipit. *Jurgantium*, ex eodem, ſtatuitur, quòd controverſiæ litigantium celeri debent ſententia terminari; hoc enim æquitati convenit, & rigori.

In 3. cap., quòd incipit. *Non poteſt*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Judices in ſententiis ferendis concordes eſſe debent ſaltèm pro majori parte, & ſpecialiter ſi agitur de depoſitione Sacerdotis.

In 4. cap., quod incipit. *Ea quæ*, ex Leone Papa, ſtatuitur, quòd illa ſententia, quæ juſtè, & rationabiliter fuit lata à Judice inferiori, juſtè poteſt peti, ut confirmetur à Papa: ſecùs de ſententia injuſta, & lata contrà Sacros Canones.

In 5. cap., quod incipit. *De cætero*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd ſi Papa ſententiam à ſe latam mandet Judici inferiori exequendam, & Reus contrà quem eſt exequenda ſententia, alleget, quòd eſt lata per fraudem, & dolum, non ſpectabit ad Executorem videre de fraude, & dolo, ſed hoc remittendum Sedi Apoſtolicæ: nàm merus executor non debet excedere fines mandati.

In 6. cap., quod incipit. *Cùm aliquibus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd cum ali-

alicui per ſententiam adjudicata eſt poſſeſſio, non ſufficit, quòd Reus det pignus loco rei, ſed debet realem, & corporalem dare poſſeſſionem.

In 7. cap., quod incipit. *Lator præſentium*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſententia lata à Judice contrà Matrimonium circà invaliditatem, aùt validitatem numquàm tranſit in rem judicatam; undè quotieſcumquè poſteà conſtet de errore, revocanda eſt.

In 8. cap. quod incipit. *Cum Cauſa*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſententia lata contra formam, & ſtatuta Sacrorum Canonum non valet, non obſtante conſuetudine in contrarium, ſpecialitèr in alienatione Bonorum Eccleſiæ: nàm talis conſuetudo corruptela eſt, & abuſus.

In 9. cap. quod incipit. *Inter cæteras*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſententia iniqua, ſcilicèt contra Ius, aut manifeſtum continens errorem, eſt revocanda per Iudicem Superiorem, etiamſi Cauſa fuerit ab eo commiſſa Iudici inferiori cum Clauſula, *omni appellatione remota*: in tali enim caſu Reus debet appellare, cum ſententia contra ipſum manifeſtam contineat injuſtitiam.

In 10. cap. quod incipit. *Tenor literarum*, ex Clemente III. ſtatuitur, quòd ſententia lata contra abſentem non contumacem non tenet, & abſque aliâ appellatione reſcinditur: Nullus enim damnandus eſt non vocatus, & expectatus.

In 11. cap. quod incipit. *Conſanguinei*, ex eodem ſtatuitur, quòd quandocumque conſtiterit Eccleſiam deceptam fuiſſe in Cauſâ Matrimonii, ſententia contra Matrimonium lata revocabitur: deceptio autem debet probari non per ſimplicem confeſſionem unius Conjugis, ſed per Teſtes idoneos, & bonæ famæ.

In 12. cap. quod incipit. *Cum olim*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd ſententia Romanæ Sedis ſi ſit ſubreptitia, aut obreptitia, eo ipſo nulla eſt, ac proinde revocanda, etiam eo abſente, in cujus favorem eſt lata, eſt enim contra intentionem Papæ.

In 13. cap. quod incipit. *Cum inter*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſententia contra jus litigatoris, à qua Reus infra decem dies non appellat, tranſit in rem judicatam.

In 14. cap. quod incipit. *Cauſam*, ex eodem ſtatuitur, quòd qui appellat à ſententiâ, probare debet ſententiam, illam continere injuſtitiam; quòd ſi non probet, confirmatur ſententia.

In 15. cap., quod incipit. *Quod ad conſultationem*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſententia pèr lapſum decem dierum tranſit in rem judicatam, ſi priùs non fuerit appellatum. Item ſtatuitur, quòd quadrimeſtre tempus, quod ſolet concedi condemnatis in perſonali àd ſolvendum, poteſt ex causâ rationabili per Iudicem arctari; quo tempore à Reo acceptato, non valet deindè Appellatio.

In 16. cap., quod incipit *Sicut nobis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſententia lata poteſt probari pèr Teſtes, licet non depònant de cauſis moventibus Iudicem àd ſententiandum, quæ cauſæ, non eſt neceſſe, ut omnes exprimantur in ſententiâ; imò ſemper præſumendum eſt prò rectitudine actus judiciarii, quouſque probetur oppoſitum.

In 17. cap., quod incipit *Cùm ſuper*, ex eodem, ſtatuitur, quòd àb eâdem ſententia poteſt appellare nè dùm Reus, qui convictus eſt in Iudicio, ſed etiam alius Tertius, cujus intereſt; & poterit talis ſententia quoàd Reum, nil docentem de novo de jure ſuo, confirmari, reſpectu autèm Tertii rationabilitèr appellantis de gravamine, infirmari.

In 18. cap., quod incipit *Cùm Bertoldus miles*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi aliquis citatus àd ſententiam, ex causâ legitimâ Judici ignotâ non comparuit, tenet quidèm ſententia in abſentem lata, ſed retractanda eſt, Reo probante legitimam abſentiæ cauſam: ſi verò tale impedimentum non plenè probatur, non retractatur ſententia, niſi prius doceat de ejus iniquitate, & Injuſtitia.

In 19. cap., quod incipit. *In Cauſis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in Cauſis decidendis non ſolùm à Judicibus inferioribus, ſed etiàm à Summo Pontifice ordo juris, & vigor æquitatis eſt ſubtiliter obſervandus; niſi tamen causâ neceſſitatis, & utilitatis inſpectâ, Summus Pontifex ali-

aliquandò duxerit aliquid diſpenſativè ſtatuere.

In 20. cap., quod incipit. *Inter*, ex eodem, ſtatuitur, quòd exceptiones dilatoriæ, & ſpecialitèr contrà perſonam Judicis, declarando ipſum ſuſpectum, debent proponi antè litis ingreſſum; nam eo ipſo quòd quis incipit ſtare ejus judicio, renunciat juri ſuo in tali Cauſa: poteſt tamèn contra latam ſententiam appellare, probando injuſtitiam.

In 21. cap., quod incipit. *Suborta*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſententia lata à Papa Succeſſore contrà Monaſterium in favorem Epiſcopi, non obſtante Privilegio conceſſo Monaſterio àb Anteceſſore in ejus favorem, tenet; eo quòd præſumitur, Succeſſorem per talem ſententiam revocaſſe prædictum Privilegium.

In 22. cap., quod incipit. *Cum* I. *& A*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſententia Iudicis, à qua fuit appellatum, debet retractari, ſi probetur, quòd Teſtes, ad quorum dicta tantùm lata fuit, fuerint conſpiratores, & recepti ipſa parte contradicente.

In 23. cap., quod incipit. *Cùm te*, ex eodem, ſtatuitur, quòd condemnatus à Iudice per ſententiam in Cauſa injuriarum, notatur infamiâ, niſi tamen injuria ſit in levi materia; Poteſt tamèn fama pèr Papam reſtitui.

In 24. cap., quod incipit. *Ad probandum*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſententia lata à Judice publicè excommunicato eo tempore, quo tulit ſententiam, nulla eſt; ea tamèn, quæ antè excommunicationem fecit in Cauſâ, valida ſunt, ſi aliàs ſit ſervatus ordo juris; unde non debet repeti.

In 25. cap., quod incipit. *Quamvis*, ex Gregorio IX., ſtatuitur, quòd licèt regularitèr loquendo, res inter alios acta, aliis non noceat; tamen hæc regula fallit, cùm aliquis, cui competit actio, vel defenſio, ſubſtinet alium agere, quod ipſi competit; in tali enim caſu ſibi imputet præjudicium, quod indè ſequitur; non enim debet cedere juri ſuo.

In 26. cap., quod incipit. *Duobus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi duo Judices Ordinarii in eâdem cauſa pronuncient contrarias ſententias, tenet ſententia in favorem Rei. Fallit tamèn hæc regula in Cauſis favorabilibus, ſcilicèt Matrimonii, Libertatis, Dotis, & Teſtamenti, in quibus cauſis arbitrium ſtat prò ipſis; ſi autem hæ ſententiæ contrariæ procedunt ex Iudicibus delegatis, utraque pendet ſententia ex arbitrio Delegantis; ſi vero ex Compromiſſo, vel Arbitris, ſi ſententiæ contrariæ ſunt æquales, neutra debet habere vigorem. De hac materia agit S. Thom. 2. 2. queſt. 67., ubi agit de Iniuſtitia Iudicis in judicando per 4. Articulos, ex cujus Doctrina elucidantur ea, quę in præſenti Titulo pertractantur.

TITULUS XXVIII.

De Appellationibus, Recuſationibus, & Relationibus in 73. Cap. diſtinctus.

QUià in Superiori Titulo actum eſt de ſententia, & ejus effectu, modò eſt agendum de Appellatione, quæ dicitur Remedium contrà ſententiam, ſi ſententia ex aliquo capite contineat iniuſtitiam, & quià prætèr Appellationem etiam conducunt ad Iudicis Iuriſdictionem ſuſpendendam, Recuſatio ipſius Iudicis, quæ ſit à Reo allegante exceptionem contrà ipſum, & Relatio quæ ſit ab eodẽ Iudice inferiori remittente decisionem Cauſæ ipſi Iudici Superiori: ideò ſub eodem Titulo etiam de his erit agendum.

Tractatur de hac materia in Decreto Cauſa 2. queſt. 5. per totum. In 6. lib. 2. Titulo 15. In Clement. lib. 2. Titulo 12.

In cap. 1. quod incipit. *Dilecti Filii*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd quidquid ſit à Iudice poſt legitimam appellationem, debet in irritum revocari; Appellatio enim ſuſpendit factum, & impedit faciendum.

In 2. cap. quod incipit. *Inter cętera*, ex eodem ſtatuitur, quòd Appellatio generalis, qua quis appellat à Iudice generaliter ſuper omni cauſa, quæ contra ipſum poteſt moveri; nullo modo eſt admittenda; non enim præſumitur rationabilis.

In

In 3. cap. quod incipit. *Ad noſtram*, ex eodem ſtatuitur, quòd à Correctione legitimâ, qua Superior Subditum corrigit, non eſt appellandum, niſi forte Superior in corrigendo modum excedat; Correctio enim debet eſſe proportionata culpæ.

In 4. cap. quod incipit. *Perſonas*, ex eodem ſtatuitur, quòd appellanti debet præfigi terminus appellationis conveniens à Iudice, à quo appellat, quòd ſi intrà tale ſpatium temporis appellationem non proſequitur, cenſetur tacitè appellationi renunciare: unde tenetur ſtare ſententiæ prioris Judicis, à quo appellavit.

In 5. cap. quod incipit. *Cum ſit*, ex eodem ſtatuitur, quòd Appellans de Jure communi habet ſpatium unius anni ad proſequendam appellationem, & ex cauſa rationabili poteſt extendi ad biennium, niſi à Judice moderetur: & ſi infra tale tempus appellationem non proſequitur, rata manet ſententia lata; quòd ſi appellatio ſit facta ante ſententiam, redit ad judicium prioris judicis.

In 6. cap. quod incipit. *Ad hæc*, ex eodem ſtatuitur, quòd coram Iudice, à quo quis appellat in una Cauſa, poteſt in alia conveniri, niſi forte appellatio facta fuerit, excipiendo eum ut ſuſpectum.

In 7. cap. quod incipit. *Si duobus*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi duo Litigantes Adverſarii appellent à ſententia Iudicis, unus ad Sedem Apoſtolicam, alius ad Iudicem inferiorem Papæ: ſi ille, qui appellavit ad Papam citatus à Iudice inferiori, neſciente appellationem ab eo factam ad Papam, non compareat, poteſt condemnari in contumaciâ, tenetur enim ille comparere, & docere de appellatione ab eo factâ ad Papam.

In 8. cap. quod incipit. *Ex ratione*, ex eodem ſtatuitur, quòd lapſus biennii non præjudicat appellanti, quominus ex cauſa rationabili non audiatur: quâ cauſâ legitimatâ, debet gaudere beneficio reſtitutionis in integrum.

In 9. cap. quod incipit. *Meminimus*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Reus poſt citationem, vel notitiam literarum recurrat ad Curiam Papæ, Iudex delegatus in cauſâ poteſt procedere; ſi autem recurſus fiat ante citationem, aut notitiam literarum: Iudex delegatus non poteſt procedere, qui enim recurrit, appellat facto, qui recurſus valet ante citationem, per quam Iudici acquiritur poſſeſſio Iuriſdictionis.

In 10. cap. quod incipit. *Super eo*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi ſit appellatum ſuper uno Articulo Cauſæ, debet à Iudice inferiori ſuperſederi ſuper principali Cauſâ, ſi talis Articulus neceſſariam connexionem habeat cùm principali cauſa: Si autem appellatio ſit interpoſita ex falſa cauſa, judex, ea non obſtante poteſt procedere ad ulteriora.

In 11. cap. quod incipit. *De Appellationibus*, ex eodem ſtatuitur, quòd appellari poteſt non ſolum pro Cauſis gravioribus, ſed etiam pro minoribus, ſeu levioribus, quia in utriſque idem Jus appellandi ſervari debet, ſi adſit cauſa legitima gravaminis.

In 12. cap. quod incipit. *Super eo*, ex eodem ſtatuitur, quòd licèt ſecundum leges appellatio ſolùm fiat poſt ſententiam; tamen ſecundum Canones poteſt appellari non ſolum poſt, ſed etiam ante ſententiam, quæ appellatio ante ſententiam dicitur Recuſatio Judicis, quæ convenit cum Appellatione, quia utraque debet eſſe ex Cauſâ legitimâ, & rationabili.

In 13. cap. quod incipit. *Pervenit ad nos*, ex eodem ſtatuitur, quòd in crimine notorio, & publico non debet à Judice admitti appellatio; unde in publica Clerici percuſſione, non obſtante, quòd Laicus appellet, debet declarari Laicus excommunicatus.

In 14. cap. quod incipit. *Conſuluit*; ex eodem ſtatuitur, quòd cum in notoriis non ſit admittenda Appellatio, cavendum eſt, ne dubia pro notoriis habeantur; ea enim dicuntur notoria, quæ publica ſunt, & nullâ tergiverſatione celari poſſunt.

In 15. cap. quod incipit. *Suggeſtum*, ex eodem ſtatuitur, quòd quotieſcumque aliquis Reus in fraude appellet, & abſque legitima cauſa, audiendus non eſt, quia Appellatio non conceditur ad deprimendam juſtitiam, ſed ad removendum gravamen.

In 16. cap. quod incipit. *Ad præſentiam*,

tiam, ex eodem ſtatuitur, quòd excommunicatus pendente cognitione Appellationis poteſt abſolvi ad cautelam, & ſi conſtet excommunicationem contra eum latam eſſe, poſtquàm ipſe ad Papam appellavit, talis excommunicatio nulla eſt, nec ille, ſi ſit Sacerdos, puniendus eſt, ſi interim celebravit divina: nam ea, quæ fiunt poſt legitimam appellationem, nulla ſunt.

In 17. cap., quod incipit. *Cùm teneamur*, ex eodem, ſtatuitur, quòd licèt Appellans redeat ad Judicem ſuum Ordinarium, à quo appellavit, non intelligitur appellationi ſuæ renunciaſſe, cùm cauſa ſit diverſa, & Judex ſit illius Ordinarius: ſecùs autèm ſi eſſet delegatus.

In 18. cap., quod incipit. *Conſuluit*, ex eodem, ſtatuitur, quòd appellatio vaga, & generalis non expreſsâ certâ, & determinatâ cauſâ gravaminis, non tenet, nec eſt admittenda: ſecùs ſi exprimat certam cauſam gravaminis.

In 19. cap., quod incipit. *Cùm parati eſſemus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd quilibet vocatus à Judice ſuo, venire tenetur, nèc excuſatur ſub prætextu frivolo Appellationis, quam coràm eo Judice tenetur allegare; aliàs erit puniendus, ſi non compareat.

In 20. cap., quod incipit. *Ad hæc; & infrà*, ex eodem, ſtatuitur, quòd nullus pretextu Appellationis poteſt contrà proprium Juramentum ire, niſi in caſu, quo ei ſit mandatum aliquid, quod excedit limites Juramenti, & licitæ promiſſionis.

In 21. cap., quod incipit. *Quæſtioni*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Excommunicatus, qui pro obtinendâ abſolutione jurat de ſtando Judicio Eccleſiæ, ſi poſtquàm eſt abſolutus, appellet, non admittitur ejus appellatio; etſi non adimplcat Eccleſiæ mandatum, debet reduci in eamdem ſententiam Excommunicationis, à qua fuerat abſolutus.

In 22. cap., quod incipit. *Prætereà*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Appellatio non extenditur ad ea, quæ poſt appellationem fiunt: nàm appellatio in una cauſa non tuetur Reum in alia Cauſa, quin poſſit in ea à ſuo Judice Ordinario canonicè puniri.

In 23. cap., quod incipit. *Conſtitutis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui non defert legitimæ appellationi ſui Adverſarii, appellationem contrà ipſum obiicere non poteſt, quià *fruſtrà legis implorat auxilium, qui committit in legem.*

In 24. cap., quod incipit. *Propoſuit*, ex eodem, ſtatuitur, quòd licèt aliquis appellet à ſuo Ordinario in una Cauſa, tamèn ab eo ſuper aliis cauſis poteſt conveniri: Poteſt tamèn eum recuſare ut ſuſpectum, niſi conveniatur de crimine manifeſto, in quo non cadit Appellatio, nèc ſuſpicio.

In 25. cap., quod incipit. *Qua fronte*, ex eodem, ſtatuitur, quòd poteſt abſolvi Excommunicatus, receptâ cautione de ſtando judicio Eccleſiæ, etiàmſi Adverſarius, vel Excommunicator appellet: talis tamèn abſolutio debet dari ſatisfactâ parte, vel ſaltèm datâ cautione de ſatiſfaciendo parti in eo, in quo fuit læſa.

In 26. cap., quod incipit. *Reprahenſibilis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Prælatus ſubditum non debet ſuſpendere, aùt excommunicare, niſi monitione præmiſſa: nèc Subditus appellare poteſt contrà ſuum Prælatum in cauſa diſciplinæ Eccleſiaſticæ, maximè ſi ſit Religioſus, qui ad eam tenetur.

In 27. cap., quod incipit. *Ad hæc; & infrà*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Judex, à quo eſt appellatum, (ſi appellans non proſequatur appellationem) poteſt cognoſcere de cauſa, quia ſuam Juriſdictionem in ea reaſſumit. Itèm ſtatuitur, quòd Judex recuſatus, ut ſuſpectus, poterit alteri cauſam illam committere.

In 28. cap., quod incipit. *Pervenit ad Nos*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi aliquis Canonicus non reſidens, monitus ab Epiſcopo, appellet, debet ei præfigi terminus ad proſequendam appellationem, & interìm debet per alium, de fructibus Canonicatus ſubſtentandum, Eccleſiæ deſervire; Si autèm appellationem infrà terminum ſibi aſſignatum non proſequatur, aùt nolit reſidere, privandus eſt Præbendâ Canonicali.

In 29. cap., quod incipit. *Conſuluit*, ex eodem, ſtatuitur, quòd non eſt admittenda appellatio, quæ ſit contrà leges, aut

aut Canones; talis enim appellatio manifeſtam continet iniuſtitiam, cùm ſit contrà Juris æquitatem.

In 30. cap. quod incipit. *Ad hæc ſicùt aſſeris*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui antè citationem, vel antè notitiam literarum, quibus cauſa committitur, miſerit Nnncium ad Papam, poterit appellare, nè Delegatus procedat: ſecùs ſi poſt citationem, vel notitiam literarum.

In 31. cap. quod incipit. *De Priore*. ex eodem, ſtatuitur, quòd Prælatus non debet excedere modum in corrigendo Subditum; quòd ſi excedat, Subditus poteſt ad Superiorem majorem appellare, quam appellationẽ legitimam ſi contemnat, aut ei non deferat, Prælatus ille debet puniri.

In 32. cap., quod incipit. *Quia Nos*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in notorijs delictis non habet locum Appellatio, nèc habet locum Appellatio in correctione Subditi factâ à Superiore juxta Conſtitutiones Regulares; ſi aliàs modus non excedatur.

In 33. cap., quod incipit. *Ad aures noſtras*, ex eodem, ſtatuitur, quòd appellanti poteſt, & debet præfigi à Judice à quo, terminus ad proſequendam appellationem, quo elapſo, ſi Appellatio non eſt ab eo proſecuta, Judex ille reaſſumit Juriſdictionem in Causâ.

In 34. cap., quod incipit, *Ad audientiam*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui gravatus in aliquâ Causâ ſubmittit ſe protectioni Sedis Apoſtolicæ in tali causâ, videtur facto appellare ad Sedem Apoſtolicam; undè nulla eſt excommunicatio contrà eum lata ab Ordinario poſt talem recurſum ad Papam.

In 35. cap., quod incipit. *Accepta*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Cauſa non debet ad eumdem Judicem remitti, à quo fuit appellatum a partibus, niſi de ipſarum partium conſenſu; tunc enim Cauſa ad eumdem Judicem remitti poterit.

In 36. cap., quod incipit. *Poſtremo*, ex Lucio III. ſtatuitur, quòd Judex delegatus à Papa ſuper aliqua Cauſa, etiam cùm clauſula *omni appellatione remota*, poterit recuſari, ſi eſt conſengnineus impetrantis, aut fuerit ejus Advocatus in illa Cauſa. Adeſt enim evidens cauſa exceptionis.

In 37. cap., quod incipit. *Ad hæc*, ex eodem ſtatuitur, quòd licèt pòſt appellationem aliquis non poſſit a Judice, à quo appellavit, excommunicari, aut interdici; tamen ſi ante appellationem fuerit excommunicatus, aut interdictus, talis excommunicatio, & Interdictum tenet, nec ſuſpenditur.

In 38. cap., quod incipit. *Cùm in Eccleſia*, ex Clemente III ſtatuitur, quòd Judex Appellationis debet appellantem, & Cauſam remittere ad priorem Iudicem, niſi ei conſtiterit de gravamine, aùt injuſtâ ſententiâ.

In 39. cap., quod incipit. *Directa*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi appellans appellationem ſuam in termino præfixo non proſequatur, tenetur redire ad eumdem Judicem, à quo ſi iterum gravetur, poteſt ſecundò appellare in eâdem causâ.

In 40. cap., quod incipit *Præterèa*, ex Cæleſtino III., ſtatuitur, quòd ſententia excommunicationis, ſuſpenſionis, aùt Interdicti lata sùb conditione, v. g. ſi infra tres dies non ſatisfecerit, ſuſpenditur, ſi antè conditionis eventum fuerit à tali ſententiâ appellatum; Appellatio enim ſuſpendit ſententiam.

In 41. cap., quod incipit. *Secundò*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi in aliquo Reſcripto Papæ committantur alicui Judici plures Articuli inter ſe connexi, & in ultimo Articulo ponatur Clauſula: *omni appellatione remota*, intelligitur hoc non ſolum de illo, ſed etiam de aliis prioribus Articulis, eſt enim eadem Cauſa.

In 42. cap., quod incipit. *An ſit deferendum*, ex eodem, ſtatuitur quòd qui appellationi àb alio interpoſitæ non defert, nèc ei appellanti eſt deferendum; nàm hic puniendus eſt, in quo peccavit: fruſtrà enim legis implorat auxilium, qui committit in legem.

In 43. cap., quod incipit. *Novit ille*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd merus Exequutor recuſari non poteſt, nèc àb eo appellari, niſi in executione modum excedat, quod utique probari debet.

In 44. cap. quod incipit. *Sæpe contingit*, ex eodem, ſtatuitur, quòd legiti-

ma

mâ appellatione acceptatâ à Judice, & àb eo de conſenſu partium præfixo termino àd proſequendam appellationem, talis terminus obtinet vicem peremptorii; talitèr quòd Judex tranſacto termino in Abſentem procedere poteſt, ac ſi fuiſſet peremptoriè citatus, ſi aliàs abſens non probet ſe fuiſſe legitimè impeditum.

In 45. cap., quod incipit. *Conſtitutus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui non proſequitur appellationem infrà annum, poſtea non admittitur ad eam proſequendam, niſi juſtam cauſam oſtenderit, propter quam daretur ei biennium.

In 46. cap. quod incipit. *Conſtitutis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd contrà electum, vèl confirmatum regularitèr non admittitur exceptio, vèl appellatio, maximè fruſtratoria ad impediendum electionis, vel Confirmationis effectum; ſed poſſeſſione habitâ, poterit talis electus, vèl confirmatus accuſari, vèl denunciari.

In 47. cap., quod incipit. *ex parte tua*, ex eodem, ſtatuitur, quòd etiam ſi in Reſcripto Papæ ſit Clauſula, *Appellatione remota*, poterit tamèn à partibus appellari, ſi locus Judicii partibus aſſignatus non ſit eis ſufficienter notus.

In 48. cap., quod incipit. *Significavit*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Reus poteſt licitè appellare, ſi Judex eum non audit in exceptione, quam dat Procuratori partis non habenti ſufficiens mandatum procuræ; vèl ſi oſtendat in tali Cauſâ, ſe fuiſſe prius conventum per priores literas àd alios Judices, de quibus non ſit mẽtio in ſecundis; nemo enim in eâdem cauſa poteſt apùd diverſos Judices conveniri.

In 49. cap., quod incipit. *Significantibus*, ex eodem, ſtatuitur quòd Reus legitimè appellat à Judice, ſi ab eo non audirur, petens, rem petiram àb Actore declarari, & exponi in libello.

In 50 cap., quod incipit. *Ex inſinuatione*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Judex, a quo quis appellat, non poteſt ſtatuere terminum àd finiendam appellationem: nam minor Judex non poteſt legem ſuo Superiori imponere, ut cauſam appellationis teneatur infrà tale tempus expedire; bene tamen poteſt Judex à quo, ſtatuere terminum ad proſequendam appellationem, & hoc non præjudicat Iudici Superiori.

In 51. cap., quod incipit. *Bonæ memoriæ*, ex eodẽ, ſtatuitur, quòd ſi aliquis extra judicium ex veriſimilibus, & probabilibus Cauſis appellet extra judiciũ à futuro gravamine, nè turbetur in poſſeſſione quã habet, ſi violenter ſpolietur poſſeſsione, & recurrat ad Judicem, ad quem appellavit, debet per talem Judicem reſtitui in poſſeſſione, quam habebat tempore appellationis, ſalvo tamen jure proprietatis.

In 52. cap., quod incipit. *Dilecti Filii*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui iter arripit ad Sedem Apoſtolicam, recurrendo ad ipſam pro remedio gravaminis, appellare intelligitur; plùs enim facto, quàm verbo appellatur; undè ea, quæ à Judice inferiori facta ſunt poſt talem recurſum, ſunt nulla.

In 53. cap., quod incipit. *Paſtoralis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd per clauſulam poſitam in Reſcripto Papæ, *Appellatione remota*, intelligitur prohibita non ſolùm appellatio fruſtratoria, quæ ſit abſquè rationabili fundamento, ſed etiam omnis alia Appellatio, quæ non eſt expreſſa in jure; hanc enim non intendit Papa alicui denegare, videlicet illam, quæ indulgetur à jure. Item ſtatuitur, quòd ſi quis excommunicatur à ſuo Ordinario, & iſte appellet ad Papam, non per hoc impeditur Ordinarius, nè ralem excommunicationem publicè denunciet, ut vitetur; quia denunciatio non eſt nova ſententia, ſed ejuſdem ſententiæ exequutio, quam excommunicatio habet paratam: imò tempore excommunicationis poteſt Ordinarius talem excommunicatum privare fructibus Beneficii, ſi ſit Clericus, quia ramquàm excommunicatus non poteſt fructibus Eccleſiæ gaudere.

In 54. cap., quod incipit. *Sollicitudinem*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ad quem ſpectat cognoſcere de Appellatione, ſpectat etiam cognoſcere de his, quæ factæ ſunt à Judice Ordinario poſt appellationem legitimè factam ad Papam; undè ſi quis poſt dictam appellationem fuerit excommunicatus à Judice Ordinario, ſpectabit ad Papam videre de ejus validitate; nam ad quem ſpectat principale, ſpe-

ſpectat & acceſſorium.

In 55. cap., quod incipit. *Dilecti Filiis*, ex eodem. ſtatuitur, quòd ſi Papa aliquam cauſam ad ſe revocet, non valet proceſſus deindè factus à minori Judice, ſicut non valeret, ſi ab eo fuiſſet legitimè appellatum.

In 56. cap., quod incipit. *Ut noſtrum*, ex eodem, ſtatuitur, quòd per Appellationem legitimè interpoſitam, tàm principalis cauſa, quàm omnia ad eam acceſſoria deferuntur, ut dictum eſt in Capitulo præcedenti.

In 57. cap., quod incipit. *Oblata nobis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Appellans habet annum ad proſequendam appellationem, & ex *justâ causâ* biennium; qui terminus quidem poteſt abbreviari à Judice appellationis, vel ab ipſo appellante, prorogari tamen non poteſt; ſi autem periculum immineat, poterit Judex Appellationis tale tempus abbreviare, etiamſi partes recuſent.

In 59. cap., quod incipit. *Ut debitus honor*, ex eodem, ſtatuitur, quòd appellans antè ſententiam tenetur cauſam exprimere ſuæ appellationis coram Iudice à quo, nec admittenda eſt exceptio, quòd ipſe prius miſerat Nuncium ad Sedem Apoſtolicam, vel quòd literas ab ea impetraverat, quæ nondum ſunt Iudici præſentatæ, hæ enim exceptiones utpotè poſt factum non præjudicant ſententiæ jam latæ.

In 60. cap., quod incipit. *Cùm ceſſante cauſa*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Iudex, à quo eſt facta appellatio ratione gravaminis, tale gravamen revocet per interlocutoriam ſententiam, appellatio ampliùs non habet locum; quia remotâ causâ, removetur effectus.

In 61. cap., quod incipit, *Cùm ſpeciale*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui vult Iudicem recuſare, debet coràm eodem rationabilem cauſam ſuæ ſuſpicionis proponere, & eam coram Arbitris de communi conſenſu eligendis probare, quâ non probatâ, Iudex proſequi debet in cauſa: ſi autem probetur, negotium eſt remittendum Superiori, vel alteri de utriuſque partis conſenſu. Item ſtatuitur, quòd in notoriis non admittitur appellatio, in dubiis verò cauſa probabilis coram Iudice eſt exprimenda, quæ debeat legitima reputari, quam ſi non proſequitur Iudex à quo, in cauſa procedat. Idem ſi proſequitur, & non probat; hæc tamen conſtitutio ad Regulares non extenditur.

In 62. cap., quod incipit. *Cùm Cauſam*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd ſi Iudex confeſsionem Advocati eâdem die revocatam velit habere pro litis conteſtatione, vel proceſſum à Subdelegato Subdelegati factum pro rato velit habere, licitè à tali Iudice appellatur: nàm confeſsio Advocati eâdem die ab eodem poteſt revocari, & Subdelegatus non poteſt ſubdelegare, niſi ſit delegatus à Principe.

In 63. cap., quod incipit. *Dilecto Filio*, ex eodem, ſtatuitur, quòd non ſufficit appellanti docere, quòd veram, & legitimam exceptionem oppoſuit, & appellavit; ſed inſuper tenetur docere talem exceptionem non fuiſſe à Iudice admiſſam, & propter hoc appellaſſe.

In 64. cap., quod incipit. *Nicolao Militi*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ille, qui appellat, ſi terminum præfixit ſuæ appellationi, & à Iudice, & ab Adverſario fuit approbatus, tenetur infra tale tempus, vel per ſe ipſum comparere, vel per Procuratorem idoneum cùm plena facultate per totam cauſam; aliàs in expenſis erit condemnandus, altera partè appellationem proſequente.

In 65. cap., quod incipit. *Sua nobis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd idem non poteſt tertiò ab eâdem ſententiâ diffinitivâ appellare.

In 66. cap., quod incipit. *Dilecti Filii*, ex eodem, ſtatuitur, quòd gradatim eſt appellandum, nullo medio omiſſo, niſi quis voluerit ad Papam immediatè appellare; quòd ſi appellatio aliter fiat, admitti non debet.

In 67. cap., quod incipit. *Ex parte M.*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd uxor, quæ eſt à marito defuncto relicta tutrix filiorum, eo ipſo quòd tranſit ad ſecunda vota, deſinit eſſe tutrix, unde conveniri non poteſt nomine filiorum; quòd ſi invita conveniatur, poterit appellare, & ea, quæ facta fuerint à Judice poſt talem

Iem appellationem, nulla ſunt.

In 68. cap., quod incipit. *Intimaſti*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Judex dubitans de jure in aliqua cauſa velit referre negotium ad ſuperiorem, ſtatim tenetur dare litigantibus exemplum conſultationis, aliàs partes poſſunt appellare; non enim tenentur ſtare verbis talis conſultationis, ipſis, ignorantibus, an conſultatio ſit rectè facta.

In 69. cap., quod incipit. *Significante*, ex eodem, ſtatuitur, quòd licitè quis poteſt appellare, ſi Judex antè litem conteſtatam aliquod innovat; vel diem aſsignatam ſine cauſà prævenit. Item poteſt quis appellare, ſi ejus Procurator exceſsit formam mandati; non enim talis Procurator poteſt Domino præjudicare in eo, quod ipſi commiſſum non eſt.

In 70. cap., quod incipit. *Interpoſita*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ad juſtificandam appellationem, probare oportet cauſæ appellandi veritatem coram Iudice ad quem, niſi fuerit coram Iudice à quo oblata probatio, & rejecta; quia tunc non eſt neceſſe aliquem probare cauſam veram fuiſſe, ſed ſufficier probare, cauſam probabilem allegaſſe coram Iudice inferiori,& rejectumfuiſse,ideoquè appellaſſe. Item ſi appellatio non ſit recepta à Iudice à quo, nec approbata à parte, ſufficit appellanti mittere Procuratorem ad impetrandum & contradicendum. Quod ſi antè inchoatam proſecutionem Appellationis appellans velit cedere appellationi, & redire ad Iudicem à quo, poterit etiam invità parte, ſed condemnabitur in expenſis factis per partem adverſam in tali appellatione. Tandem, ſtatuitur, quòd articulus appellationis interpoſitæ à gravamine, debet diſcuti per Iudicem ad quem parte àbſente per contumaciam, etiam lite non conteſtatâ in appellatione, vel principali cauſâ.

In 71. cap., quod incipit. *Inquiſitioni tuæ*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Clauſula, *appellatione remota*, poſita in medio literarum reſpicit præmiſſa, quibus connectitur, non ſequentia, niſi repetatur in fine: Et hoc ſi negotia, & cauſæ ſint diſparatæ.

In 72. cap., quod incipit. *Una Sententia*, ex eodem, ſtatuitur, quòd appellatio unius alteri poteſt prodeſſe, ſi communi Jure juventur, ſcilicèt, ſi idem ſit negotium, eadem defenſionis cauſa, & ſint eàdem ſententià condemnati: ſecùs autèm non.

In 73. cap., quod incipit. *Si juſtus metus*, ex eodem, quòd juſtus metus excuſat volentem appellare, ſi aliàs fuerit proteſtatus, & juſtas Appellationis cauſas expreſſerit; tùnc enim habetur pro Appellante. De hac materia agit Sanctus Thomas 2. 2. qu. 69. art. 3 in corpore, ubi explicat quando ſit licita, vel illicita appellatio, his verbis: *Dicendum, quòd duplici de cauſa contingit aliquem appellare. Uno quidem modo confidentià juſtæ cauſæ, quià videlicèt iniuſtè a Judice gravatur, & ſic licitum eſt appellare, hoc enim eſt prudentèr evadere, Undè ſecundò qu.6. dicitur. Omnis oppreſſus liberè Sacerdotum, ſi voluerit, appellet Judicium, & à nullo prohibeatur. Alio modo aliquis appellat cauſà afferendæ moræ, nè contra eum juſta Sententia proferatur, & hoc eſt calumnioſè ſe defendere, quod eſt illicitum; facit enim Iniuriam, & Iudici, cujus officium impedit, & Adverſario ſuo, cujus juſtitiam quantum poteſt perturbat &c.*

TITULUS XXIX.

De Clericis peregrinantibus unico Cap. compræhenſus.

CUM in ſuperiori Titulo actum ſit de Appellationibus, meritò ſtatim ſubijcitur præſens Titulus de Clericis peregrinantibus, quià Peregrinantes gaudent Privilegio Appellantium.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 24. qu. 1. cap. *Si quis Romipetas*, & cap. *Paternarum*. Itèm de Pœnitentia diſt. 6. cap. *Sacerdos*, & de Conſecratione diſt. 5. *non oportet*.

In hoc ergo unico cap., quod incipit. *Conquærente*, ex Cœleſtino III. ſtatuitur, quòd qui ad Papam accedit cauſâ peregrinationis, ſub ejus protectione conſtituitur, non ſolùm ipſe, ſed omnis res ſua: licèt enim non exprimat verbo, exprimit

tamèn

tamèn facto recurſum ad Papam; undè ſi ab Adverſariis fuerit turbata ejus poſſeſſio, in ea debet reſtitui.

TITULUS XXX.

De Confirmatione utili, vel inutili in 9. cap. diſtinctus.

Dictum eſt ſupra de Suſpenſione ſententiæ, quæ fit per remedium Appellationis, ſeu Peregrinationis; ſed quia proceſſus factus, vel ſententia lata à Judice inferiori contingit, quòd confirmetur à Judice Superiori, puta à Papa, nunc videndum eſt, quandò talis Confirmatio valida ſit, & utilis, quando verò invalida, & inutilis.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 9. qu. 3. cap. *Conquæſtus*, & Cauſa 13. qu. 3. cap. *Ultimo*, & aliis in locis.

In 1. cap. quod incipit. *Si quis*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd lite pendente non valet Confirmatio, vel Privilegium obtentum à Papa ſuper re litigioſâ, tacito, quòd res jam fuerit in judicium deducta; ſupponitur enim obreptitiè, vel ſubreptitiè impetratum.

In 2. cap. quod incipit. *De Confirmationibus*, ex eodem ſtatuitur idem quod in Superiori Decretali.

In 3. cap. quod incipit. *Bonæ memoriæ*, ex Celeſtino III. ſtatuitur, quòd Confirmatio ſuper ſententiâ, à qua fuerat appellatum, non valet, ſi appellatus prævenit malitioſè appellationem: ſi autem hoc factum ſit ſinè malitiâ appellati, tùnc talis Confirmatio ſuſpenditur, donèc de appellatione cognoſcatur. Confirmatio enim in causâ litigioſâ, aùt eſt nulla, aut tantùm ſuſpenditur uſque ad terminationem Cauſæ.

In 4. cap., quod incipit. *Cùm dilecta*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd innovatio puræ Privilegii non inducit Confirmationem Juris in eo contenti: nàm per puram innovationem nullum Ius novum acquiritur, sèd antiquum tantùm conſervatur; undè illud Ius relinquitur ſicùt priùs.

In 5. cap. quod incipit, *Ad noſtram*, ex eodem, ſtatuitur, quòd non valet Confirmatio, quam Religioſus impetravit à Papa in ſua adminiſtratione, vèl Prælaturâ, ſi tacuit ſe eſſe Regularem; nàm ſic eſſet obreptitia: ſi autèm expreſſit, Reſcriptum præſumitur falſum, nàm Regularibus non ſolet Papa tales Confirmationes concedere.

In 6. cap., quod incipit *Porrecta*, ex eodem, ſtatuitur id quod dictum eſt in Decretali proximè ſuperiori.

In 7. cap., quod incipit, *Examinata*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſententia Iudicis, vèl laudum pèr Arbitros pronunciatum, ſi ſint contrà formam Iuris eſtò per Papam in forma communi confirmentur, non tenent. Per confirmationem enim in forma communi factam nulla fit diſpenſatio in jure communi a Papa; unde ſi illa continent injuſtitiam, cum ſint contrà Ius, per talem confirmationem non validantur.

In 8. cap., quod incipit. *Venerabiles*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd compoſitio amicabilis poteſt fieri inter Eccleſiam, & Laicos ſupèr decimis, dummodò authoritate Papæ confirmetur, & roboretur; aliàs non valeret, quia Eccleſiaſtici non poſſunt præjudicare Eccleſiæ.

In 9. cap., quod incipit. *Sua nobis*, ex eodem ſtatuitur, quòd conceſſio facta de aliqua Eccleſia alicui Clerico, & à Papa confirmata non intelligitur facta in prejudicium jurium Epiſcopi: nam per Confirmationem Papæ in forma communi jus alterius non læditur.

Finis ſecundi Libri Decretalium.

ELENCHUS

Titulorum XXX. Secundi Libri Decretalium.

Titulus I. *De Judiciis in cap. 21. diſtinctus.* pag. 66.
Titulus II. *De foro competenti in cap. 20. diſtinctus.* pag. 67.
Titulus III. *De libelli oblatione in cap. 3. diſtinctus.* pag. 69.
Titulus IV. *De mutuis petitionibus in cap. 2. diſtinctus.* pag. 70.
Titulus V. *De litis conteſtatione unico cap. comprehenſus.* pag. 70.
Titulus VI. *Quòd lite non conteſtata non proceditur ad tertiam receptionem, vel ad ſententiam diffinitivam in cap. 5. diſtinctus.* pag. 70.
Titulus VII. *De Juramento Calumniæ in 7. cap. diſtinctus.* pag. 72.
Titulus VIII. *De Dilationibus in cap. 4. diſtinctus.* pag. 73.
Titulus IX. *De Feriis in 5. cap. diſtinctus.* pag. 73.
Titulus X. *De Ordine cognitionum in 4. cap. diſtinctus.* pag. 74.
Titulus XI. *De plus Petitionibus unico cap. comprehenſus.* pag. 74.
Titulus XII. *De Cauſa Poſſeſſionis, & Proprietatis in 8. cap. diſtinctus.* pag. 75.
Titulus XIII. *De Reſtitutione ſpoliatorum in cap. 19. diſtinctus.* pag. 75.
Titulus XIV. *De dolo, & Contumacia in cap. 10. diſtinctus.* pag. 77.
Titulus XV. *De eo, qui mittitur in Poſſeſſionem Cauſa rei ſervandæ in 4. cap. diſtinctus.* pag. 78.
Titulus XVI. *Ut lite pendente nihil innovetur in cap. 5. diſtinctus.* pag. 78.
Titulus XVII. *De ſequeſtratione Poſſeſſionum, & Fructuum in cap. 3. diſtinctus.* pag 79.
Titulus XVIII. *De confeſſis in 3. cap. diſtinctus.* pag. 80.
Titulus XIX. *De Probationibus in cap. 15. diſtinctus.* pag. 80.
Titulus XX. *De Teſtibus, & atteſtationibus in cap. 56. diſtinctus.* pag. 82.
Titulus XXI. *De Teſtibus cogendis, vel non in cap. 11. diſtinctus.* pag. 86.
Titulus XXII. *De Fide Inſtrumentorum in cap. 16. diſtinctus.* pag. 87.
Titulus XXIII. *De Præſumptionibus in cap. 16. diſtinctus.* pag. 88.
Titulus XXIV. *De jurejurando in cap. 36. diſtinctus.* pag 90.
Titulus XXV. *De Exceptionibus in cap. 14. diſtinctus.* pag. 93.
Titulus XXVI. *De Præſcriptionibus in cap. 20. diſtinctus.* pag. 94.
Titulus XXVII. *De Sententia, & re judicata in cap. 26. diſtinctus.* pag. 96.

Titu-

Titulus XXXIII. *De Appellationibus, Reſcriptionibus, & Relationibus in cap. 73. diſtinctus.* pag. 98.

Titulus XXIX. *De Clericis peregrinantibus unico cap. compræhenſus.* pag. 104.

Titulus XXX. *De Confirmatione utili, vel inutili in cap. 9. diſtinctus.* pag. 105.

LIBER TERTIUS DECRETALIUM

In Titulos L. diſtinctus.

TITULUS PRIMUS.

De Vita, & Honeſtate Clericorum, 16. *Capitibus compræhenſus.*

CUM in primo libro Decretalium tractatum ſit de Perſonis, & Officiis earum. In ſecundo de actibus hominum in Judicio, ſequitur videndum de actibus hominum extrà Judicium, tàm reſpectu Clericorum, quàm Laicorum: Et quià Clerici ſunt digniores Laicis, primò in hoc tertio libro tractatur de actibus Clericorum, & in quarto libro agetur de actibus Laicorum. Agendo ergò de actibus Clericorum ponitur primus Titulus de Vita, & Honeſtate eorum, quià præ omnibus Clerici debent vita, & honeſtate fulgere, exemplariter, ſcilicèt converſando, & honeſtè vivendo.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 12. qu. 1. Cauſa 21. qu. 4. diſt. 23. cap. *Clerici comam*, uſque ad finem diſtinctionis, & diſt. 92. per totum. Et de Conſecrat. diſt. 5. cap. *numquam*. In 6. lib. 3. Titulo 1. in Clement. lib. 3. Titulo 1. & in Extravag. lib. 3.

In 1. cap., quod incipit. *Ut Laici*, ex Concilio Maguntino, ſtatuitur, quòd Laici propè Altare, vel in Choro, dum Officia celebrantur ſtare non debent; quaproptèr Eccleſia duas debet habere partes, ſcilicèt Chorum pro Clericis, qui per Cancellos dividatur ab altera parte Eccleſiæ, quæ eſt pro Laicis.

In 2. cap., quod incipit. *Clerici*, ex Concilio Pictavienſi, ſtatuitur, quòd Clerici arma portantes, vel Uſurarii debent excommunicari.

In 3. cap., quod incipit. *Ut quiſque*, ex Concilio Maticenſi, ſtatuitur, quòd quilibet Rector Eccleſiæ debet habere ſaltèm unum Clericum, qui ſecùm cantet Epiſtolam, & Lectiones legat, & poſſit docere Pueros, & Parochianos inſtruere in Symbolo, & Doctrinâ Chriſtianâ.

In 4. cap., quod incipit. *Si quis*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd Clericus, qui comam nutrit eſt excommunicandus à ſuo Ordinario.

In 5. cap., quod incipit. *Clericus*, ex Concilio Carthaginenſi, ſtatuitur, quòd Clericus non debet, nec comam nutrire, nec barbam.

In 6. cap., quod incipit. *Clericus ſi tonſura dimiſſa*, ex Concilio Triburienſi, ſtatuitur, quòd Clericus non profeſſus aliquam Religionem, nec in Sacris conſtitutus, ſi dimiſsâ tonſurâ Uxorem duxerit, validum eſt Matrimonium, nec eam poteſt dimittere; ſed iterum tondeatur, ſi vult gaudere Privilegio Clericali, vel diſpenſativè retinere Beneficium, quod habuit.

In 7. cap., quod incipit. *Clericis*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd Clerici tenentur Tonſuram deferre, & ſi admoniti recuſent, poſſunt a ſuo Ordinario tonderi, vel ad Tonſuram Cenſuris compelli.

In 8. cap., quod incipit. *Monaſteria*, ex eodem in Concilio Lateranenſi, ſtatuitur, quòd frequentans Monaſteria Monialium, ſi Clericus eſt, a ſuo Epiſcopo deponatur, ſi laicus, excommunicetur.

In 9. cap., quod incipit. *Quoniam*, ex

ex Gregorio VII. ſtatuitur, quòd ad Epiſcopum ſpectat ſtatuere in Eccleſia certum numerum Clericorum ſecundùm facultates ipſius Eccleſiæ, qui vivant in communi, & contradicentes ad hoc compellere per ſuſpenſionem Officii, & beneficii. Et hos in communi viventes poterit Epiſcopus abſolvere ab excommunicatione, ſi forte unus in alium manus violentas injecerit; niſi tamen percuſſio ſit enormis.

In 10. cap, quod incipit. *Cum ab omni ſpecie mali*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd Judices Eccleſiaſtici, ſive ſint Ordinarii,ſive Delegati, debent gratis judicare, nec poſſunt exigere quotam aliquam litis, etiam conſuetudine non obſtante.

In 11. cap., quod incipit. *Deus qui*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ad ſcandalum evitandum, Religioſi diverſorum Ordinum Profeſſi miſſi ad prædicandum Evangelium Infidelibus, vel recenter converſis ad fidem, poſſunt dimiſſo proprio habitu ſuæ Religionis, ad tempus convenire in aliquo communi habitu decenti, & honeſto, quouſque habitant in illis regionibus prædicantes.

In 12. cap., quod incipit. *Cùm decorem*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ludi Theatrales in Eccleſijs per Clericos fieri non debent, quacumque conſuetudine, vel abuſu non obſtante, & hoc proptèr honeſtatem Eccleſiæ, & decentiam ſtatus Clericalis.

In 13. cap., quod incipit. *Ut Clericorum*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Clerici debent continere, & caſtè vivere, aliàs à Prælato ſeverè puniantur juxtà gravitatem criminis ſecundùm Canones, ut quos timor Dei à malo non revocat, revocet ſaltèm pœna temporalis: Quòd ſi Prælatus diſſimulaverit, & fuerit negligens in puniendo, præſertim obtentu pecuniæ, vel alterius commodi temporalis, pari pœna puniatur.

In 14. cap. quod incipit. *A Crapula*, ex eodem ſtatuitur, quòd Clericus crapuloſus, vel ebrioſus, ſi admonitus ab Epiſcopo non ſe emendet, ab Officio, vel Beneficio debet ſuſpendi.

In 15. cap. quod incipit. *Clerici Officia*, ex eodem ſtatuitur, quòd Clerici debent ſe abſtinere à negotiis,perſonis, locis, ludis, & veſtibus inhoneſtis, nec non ab ornatu minùs decenti, vano, muliebri, & improprio eorum ſtatui, & dignitati.

In 16. cap. quod incipit. *Ex literis Pontini*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd Clericus, qui à ſuo Ordinario tertiò monitus, à negotiationibus Sæcularibus non ſe abſtinet, debet ſeverè puniri, & interim quoad Bona perdit Privilegium Clericale.

TITULUS II.

De Cohabitatione Clericorum, & Mulierum in decem capita diſtinctus.

CUM in Superiori Titulo actum ſit de vita, & honeſtate Clericorum, ad quam conſervandam neceſſe eſt mulierum conſortia fugere, utpotè inducentia ſuſpicionem de Clericorum incontinentiâ, ideo ponitur præſens Titulus.

Agitur de hac materia in Decreto diſt. 32. cap. *Nullus* diſt. 33. cap. ultimo, diſt. 34. per totum.

In 1. cap. quod incipit. *Inhibendum eſt*, ex Concilio Moguntino, ſtatuitur, quòd Clericus non debet retinere domi mulierem ſuſpectam de incontinentia, etiamſi ſit Mater, vel alia Conſanguinea.

In 2. cap., quod incipit. *Si quiſquam*, ex Decreto Eugenii Papæ, ſtatuitur, quòd Clericus in Sacris conſtitutus debet excommunicari, ſi monitus ab Ordinario, à ſuſpectarum Mulierum colloquio, vel ab earum conſortio, non abſtinet.

In 3. cap., quod incipit. *Clericos*. ex Alexandro III., ſtatuitur, quòd Prælatus non debet medio Juramento compellere Clericum ad dimittendam Concubinam, nè in eamdem fornicationem inſtinctu diabolicæ fraudis rediens, perjurii reatum incurrat; nulli enim parandus eſt laqueus damnationis: ſed ad ipſum retrahendum à tali crimine debet uti Cenſuris, ſuſpenſionis, & Interdicti; & ſi hoc non ſufficit,debet contra ipſum ferre Sen-

Sententiam excommunicationis ad ſui correctionem, & ad exemplum aliorum.

In 4. cap., quod incipit. *Sicut ad extirpanda*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Clerici ab Epiſcopo moniti Concubinas non dimittant, ſuſpendendi ſunt à Beneficiis, quòd ſi non corrigantur, debent perpetuò ſuis Beneficiis privari.

In 5. cap., quod incipit. *Super eò*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Clericus Concubinarius à ſuo Epiſcopo fuerit ſuſpenſus à Beneficio, & ipſe appellaverit, recurrendo ad Papam pro abſolutione, & reſcriptum favorabile obtinuerit, non expræſsâ verâ Causâ talis ſuſpenſionis, tale Reſcriptum eſt nullum, quia obreptitium, vel ſubreptitium; Veritas enim cauſæ ſemper eſt Papæ exprimenda.

In 6. cap., quod incipit. *Si autem Clerici*, ex eodem, ſtatuitur, quòd quicumque Clerici, etiam in Minoribus conſtituti, tertiò admoniti ab Epiſcopo, Concubinas non dimiſerunt, præmiſsâ ſuſpenſione, debent deindè ſuis Beneficiis, & portionibus Eccleſiaſticis privari.

In 7. cap. quod incipit. *Veſtra*, ex Lucio III. ſtatuitur, quòd à Sacerdote publico Fornicario, ſeù notorio non ſunt recipienda Sacramenta; non quià in Sacramento ſit defectus, ſed ad ipſius Fornicatoris emendationem: Ab occulto verò, & tolerato licitè recipiuntur, nèc eſt propter hoc contemnendus.

In 8. cap. quod incipit. *Tua nos duxit*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd ſi fornicatio Clerici ſit taliter publica, quòd tranſeat in notoriam, & quòd domi retineat mulierem publicè meretricem; ad ipſum puniendum, nec Accuſator, nec Teſtes neceſſarii ſunt; ſed ſi talis fornicatio eſt publica per ſolam famam, non ſufficiunt ad ipſum condemnandum Teſtes de auditu, non jurati: ſed ſi ex hac famâ oriatur ſcandalum, debet tali Clerico intimari purgatio, quam ſi recuſet, vel in ea deficiat debet canonicè puniri.

In 9. cap., quod incipit. *A Nobis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd non eſt permittendum Clericos habere in domo Mulierculas, niſi ſint talitèr ſanguine coniunctæ; ut de illis nullatenùs permiſſum ſit ſuſpicari.

In 10. quod, incipit. *Quæſitum eſt*; ex Gregorio IX., ſtatuitur; quòd Clericus Concubinarius vitandus non eſt in ſuo miniſterio, niſi ſit notorius, vel per ſententiam, vel per propriam confeſſionem juridicè factam, vel per rei evidentiam.

TITULUS III.

De Clericis conjugatis in 10. *cap. diſtinctus.*

QUia in ſuperiori Titulo viſum eſt de cohabitatione illicitâ Clericorum, & Mulierum, ſcilicet ſine forma Matrimonii, nunc eſt tractandum de cohabitatione licitâ, ſcilicet contracto Matrimonio; poſſunt enim Clerici in minoribus conſtituti validè, & licitè Matrimonia cõtrahere, de quibus videndum eſt, an gaudere poſſint Beneficiis, & Privilegiis Clericalibus.

Agitur de hac materia in Decreto diſt. 20. 31. & 32. per totum, & Cauſa 27. qu. 1. & in 6. lib. 3. Titulo 2.

In 1. cap. quod incipit. *Si qui Clericorum*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd Matrimonium contractum per Clericum exiſtentem in Sacris non valet: ſecus ſi contrahatur à Clerico in Minoribus conſtituto; ſed hic cogitur tùnc dimittere Beneficium, ſi habet; immò tale Beneficium ipſo jure intelligitur vacare.

In 2. cap. quod incipit. *Sanè*, ex eodem ſtatuitur, quòd Clericus conjugatus non eſt promovendus ad adminiſtrationem, aut ad Ordinem Eccleſiaſticum, ſive Beneficium, niſi Caſtitatẽ promittat, & non ſit Bigamus.

In 3. cap. quod incipit. *Quod à te*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Clericus in Minoribus ſit Beneficiatus, & Matrimonium contrahat, privatur ipſo jure Beneficio, & ſi quid dedit Eccleſiæ, debet Rector Eccleſiæ ei reſtituere.

In 4. cap. quod incipit. *Sanè Sacerdotes illi*, ex eodem ſtatuitur, quòd Epiſcopi poſſunt diſpenſare cum Sacerdotibus qui deſacto Matrimonia contraxerunt, peractâ tamen ab eis canonicâ pœnitentiâ, ut videlicet ſuo officio fungantur, & munera Sacerdotalia exerceant.

In 5. cap. quod incipit. *Diverſis*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd Beneficia, quæ habebat Clericus tempore contracti Matri-

Matrimonii, ſunt omninò tollenda à proprio Epiſcopo: ſi autem ab alio Epiſcopo eidem poſt contractum Matrimonium ſcienter aliquod Beneficium conferatur, per eumdem auferri non poteſt, ſed per Superiorem; quia nullus poteſt contra factum ſuum venire.

In 6. cap. quod incipit. *Cùm olim*, ex eodem ſtatuitur, quòd Filius Sacerdotis Græci ex Uxore genitus poteſt licitè promoveri inter Latinos, ſi aliàs ſcandalum non obſtat; nam eſt verè legitimus, cùm Clericus Græcus poſſit in Minoribus Matrimonium contrahere, & uti matrimonio etiàm in Sacris conſtitutus, ad differentiam Clerici Latini, qui in Minoribus contrahens Matrimonium, non poteſt ad Ordines Sacros promoveri, niſi ſeparatus ab Uxore, & facto voto Caſtitatis.

In 7. cap. quod incipit. *Joannes*, ex eodem ſtatuitur, quòd Clericus conjugatus, ſi non ſit beneficiatus, non debet cogi deferre Tonſuram Clericalem in ſcandalum Uxoris; ſi autem ſit Beneficiatus, tenetur eam deferre ſub pena privationis.

In 8. cap. quod incipit. *Cùm decorem*, ex eodem ſtatuitur, quòd Clerici conjugati non ſunt admittendi ad Eccleſiaſticas dignitates; immo ſunt cogendi ad dimittendas eas, ſi quas habeant.

In 9. cap. quod incipit. *Ex parte tua*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd Clerici conjugati in rebus propriis gaudere non debeant Privilegio Clericali, niſi ſint beneficiati, & incedant in habitu, & tonſurâ, & deſtinentur ad ſervitium Eccleſiæ.

In 10. cap. quod incipit. *Ut conſultationi tuæ*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Clericus in Minoribus conſtitutus militet, non debet pro eo ſtatu deferre Tonſuram, aut habitum Clericalem.

TITULUS IV.

De Clericis non reſidentibus in Eccleſia, vel Præbenda in 17. cap. diſtinctus.

Cum ad Clericos ſpectet, non ſolùm vitâ, & honeſtate fulgere, conſortia Mulierum fugiendo, ſed etiam Eccleſiæ fideliter, & diligenter inſervire, à qua fructus Beneficii, & Præbendas recipiunt, unde ſubſtentantur: ideo poſtquàm de Clericorum honeſtate dictum eſt, ſequitur agendum de eorum Reſidentiâ in Eccleſiis, in quibus ſunt beneficiati, & præbendati.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 7. qu. 1. per totum, & principaliter cap. *Quia Frater* §. *ambitionis*, & in 6. lib. 3. Titulo 3.

In 1. cap. quod incipit. *Non liceat*, ex Concilio Sardicenſi ſtatuitur, quòd non licet Epiſcopo tranſire de ſuo Epiſcopatu ad alium, quod tamen ex Gloſſa intelligendum eſt ſine expreſsâ licentiâ Papæ. Ratio hujus prohibitionis affertur à Concilio dicente, quòd nullus eſt inventus Epiſcopus, qui de majori ad minorem Civitatem tranſierit: unde videtur, quòd hujuſmodi tranſitus fiant vel ex ambitione, vel ex majori commodo temporali.

In 2. cap. quod incipit. *Ex geſtis*, ex Leone III. ſtatuitur, quod Rector Eccleſiæ, vel Parochus non debet Eccleſiam ſuam derelinquere; quòd ſi fecerit, & admonitus non redierit, debet per ſententiam tali Eccleſiâ privari.

In 3. cap., quod incipit. *Quià nonnulli*. ex Concilio Lateranenſi, ſtatuitur, quod eidem non poſſunt plures dignitates, aut Eccleſiæ Parochiales conferri, ſed ſolum conferenda ei eſt dignitas, vel Eccleſia Parochialis, qui poſſit reſidere, & inſeruire per ſe ipſum: alias proviſus amittere debet talem dignitatem, vel Eccleſiam, & ille, qui eam impotenti contulit, pro ea vice conferendi poteſtate privatur.

In 4. cap., quod incipit. *Relatum eſt Nobis*, ex Alexandro III., ſtatuitur, quòd ſi aliquis præſentetur, aut nominetur ad aliquam Eccleſiam, in qua nolit reſidere, aut non poſſit, non debet admitti à ſuperiore talis nominatio, aut præſentatio: ſi autem promittat reſidere, & poſtea diſcedat abſque licentiâ Epiſcopi, & ſine legitimâ Cauſâ, debet privari, omni appellatione remotâ.

In 5. cap., quod incipit. *Fraternitati tuæ*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Clerici alterius Diœceſis non ſunt recipiendi

di abſque commendatitiis literis ſuorum Epiſcoporum, niſi pro iis receperint ſpeciale ab Apoſtolicâ ſede mandatum.

In 6. cap., quod incipit. *Conquarente*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui non reſidet in Eeeleſia Parochiali, vel alio beneficio etiam modicæ utilitatis, dummodò habeat ſibi neceſſaria ad victum, eâ privandus eſt.

In 7. cap., quod incipit. *De cætero*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Clericus beneficiatus, dum eſt in ſervitio Epiſcopi, percipit fructus Beneficii tamquam reſidens, prætèr tamèn diſtributiones quotidianas, quæ danrur tantùm illis, qui Choro quotidiè interſunt: Qui autèm eſt in ſervitio Papæ habetur prò præſente.

In 8. cap., quod incipit. *Ex parte veſtra*, ex Cæleſtino III., ſtatuitur, quòd Prælatus, vel Clericus non reſidens, etiamſi per longum tempus ſit abſens, non eſt privandus, niſi priùs admoneatur, & citetur: quòd ſi aliàs legitimè non impeditus, recuſaverit redire, tùnc pèr ſententiam privabitur ſuo Beneficio.

In 9. cap., quod incipit. *Qualitèr*, ex Innocentio III ſtatuitur, quòd Epiſcopus ſuâ propriâ voluntate abſens per longum tempus à ſuâ Ecclesiâ, puta per quatuor annos, ſi per Populum fuerit rogatus, ut rediret; de conſenſu, & commiſſione Papæ eſt ei aſſignandum tempus unius menſis, intrà quod si non redeat, debet privari, ſi aliàs non probat ſe eſſe legitimè impeditum.

In 10. cap., quod incipit. *Intèr quatuor*, ex eodem, ſtatuitur id, quod ſuprà pluries ſtatutum eſt, nempè Clericos, qui Ecclesias, vèl Præbendas ſine juſta, & neceſſaria cauſa deſerunt, præſertim ſine licentia Epiſcopi, ab eodem admonitos, ſi infrà tempus taxatum non redierint, eſſe privandos Beneficiis, & Præbendis, ſi aliàs non probaut, ſe eſſe legitimè impeditos, & juſto impedimento detentos.

In 11. cap., quod incipit. *Ex tuæ devotionis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Clericus beneficiatus, aur Prælatus ſit diù abſens a ſuâ Eccleſiâ, & neſciatur ubi ſit, debet citati tribus Edictis affixis ad Eccleſiam ſuam, & ſi infrà ſex menſes non revertatur, privabitur ſuâ Eccleſiâ.

In 12. cap., quod incipit. *Tua Fraternitatis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Clericus beneficiatus, qui obtinuit Privilegium non reſidendi propter ſtudium, & interim ut poſſit gaudere fructibus Præbendæ ſi permaneat in Villa, aut aliquo Caſtro, ubi nullum, aut modicum eſt ſtudium, non eſt permittendum, ut gaudeat tali Privilegio, urpotè obtento in fraudem; fraus autem nulli patrocinatur.

In 13. cap., quod incipit. *Ex parte tua*, ex Honorio III., ſtatuitur, quòd Clericus, qui promiſit, vel etiam juravit in ſua Eccleſia teſidere, poteſt licitè ſe abſentare pro ſervitio talis Eccleſiæ; nàm licet ſit phyſicè abſens, tamen quia procurat utiliratem Eccleſiæ, cenſetur moraliter præſens, ſeclusâ tamen omni fraude, & dolo; & ſic non eſt perjurus.

In 14. cap., quod incipit. *Cum dilectus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Clericus beneficiatus, qui eſt in ſervitio Domini Papæ debet gaudere fructibus ſuæ Præbendæ, etiamſi ſit lex, quòd abſentes non gaudeant: inſerviens enim Domino Papæ, cenſetur etiàm ſuæ Eccleſiæ inſervire.

In 15. cap. quod incipit. *Ad audientiam*, ex eodem, ſtatuitur, quòd duo de Canonicis exiſtentes in ſervitio proprii Epiſcopi integrè percipere debent fructus ſuarum Præbendarum, quia abſentes dici non debent, qui in ſervitio proprii Epiſcopi, vel propriæ Eccleſiæ commorantur.

In 16. cap., quod incipit. *Cùm ad hoc*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd ſi aliqua Eccleſia valdè patiatur propter abſentiam multorum Canonicorum, vel Clericorum, qui Privilegium obrinuerunr à Sede Apoſtolica non reſidendi; hoc non obſtante, debet Epiſcopus eos revocare per ſubtractionem proventuum, ex quibus ſubſtententur alii Clerici pro ſervitio Eccleſiæ, & quod remanet, in utilitatem ejuſdem Eccleſiæ expendatur.

In 17. cap., quod incipit. *Clericos*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Clericus non reſi-

reſidens, ſi ſit admonitus ab Epiſcopo, & non redeat, nec juſtam excuſationem alleget, ſuo Beneficio eſt privandus, quia non poteſt fructibus Eccleſiæ gaudere, qui Eccleſiæ non inſervit.

TITULUS V.

De Præbendis, & Dignitatibus in 38. cap. diſtinctus.

QUia Clerici non poſſunt decentèr, & honeſtè vivere, niſi habeant præbendas, & redditus, quibus poſſint ſubſtentari: ideò poſt præcedentes titulos proponitur præſens, ſcilicet de Præbendis, & Dignitatibus.

Agitur de hac materia in Decreto diſt. 70. cap. *Sanctorum*, & cauſa 16. q. 7. cap. *Nullus*, & cauſa 21. qu. 1. & 2. per totum. In 6. lib. 3. titulo 4. In Clementin. lib. 3. titulo 2., & in Extravag. lib. 3.

In 1. cap., quod incipit. *Ut nullus*, ex Concilio Pictavienſi, ſtatuitur, quòd nullus in bonis Eccleſiæ ſuccedere poteſt jure hæreditatis: nam hæreditaria ſucceſſio non habet locum in ſpiritualibus, vel ſpiritualibus annexis.

In 2. cap., quod incipit. *Non liceat*, ex corpore Canonum, ſtatuitur, quòd non licet ulli Epiſcopo ordinare, ſinè eo quòd ei aſsignet, undè poſsit honeſtè vivere; quod intelligitur ex Gloſsa de Ordinato in Sacris, & de his, qui non habent Patrimonium, & Religioſi non ſunt.

In 3. cap., quod incipit. *Ratio nulla*, ex Gregorio, ſtatuitur, quòd Bona Eccleſiarum ſunt communia; undè non debet quis ea tamquàm propria ſibi vendicare.

In 4. cap., quod incipit. *Epiſcopus*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd Epiſcopus, qui aliquem ordinavit in Sacris ſinè titulo, & talis ordinatus non habet ex proprio, undè vivat, tenetur ei de ſuo providere, donec aliquem titulum fuerit conſecutus.

In 5. cap., quod incipit. *Quia in tantum*, ex eodem, ſtatuitur in Concilio Lateranenſi, quòd nemo poteſt habere plures Eccleſias abſquè ſpeciali diſpenſatione Papæ, ſed quilibet debet eſse unâ tantùm contentus, cùm plures ſint Clerici pauperes, & habiles ad inſerviendum Eccleſiis, qui non habent undè vivant, proptèr avaritiam eorum, qui plura occupant Beneficia.

In 6. cap., quod incipit. *Cùm teneamur*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi quis habens Beneficium competens, & impetraverit litteras à Domino Papa prò alio Beneficio obtinendo, non expreſso in literis prioris Beneficii, tales literæ non ſunt exequendæ utpotè obreptitiæ: ſicut etiam non ſunt exequendæ, ſi ille, pro quo ſunt literæ, provideri non poteſt ſinè ſcandalo. Nam mandatum Papæ debet interpretari, ſi res fieri poſſit juſtè, & ſinè ſcandalo.

In 7. cap., quod incipit. *Referente*, ex eodem, ſtatuitur, quòd olim obtinens plures Eccleſias, unam ex illis pro ſuo arbitrio retinere poterat, aliis dimiſsis; non enim poterat ſimul plures habere: hodiè tamen ille, qui ſecundam Eccleſiam acceprat, ipſo jure primam amittit, niſi à Papa diſpenſetur ſuper pluralitate Eccleſiarum.

In 8. cap., quod incipit. *Majoribus*, ex eodem, in Concilio Turonenſi, ſtatuitur, quòd Beneficium, ſeu Præbenda, aut etiam Dignitas dividi non debent, itaut eamdem plures obtineant, ſed debent in ſua integritate manere, & in his non debent fieri permutationes; Intellige, ſine licentia Papæ.

In 9. cap., quod incipit. *Relatum eſt*, ex eodem, ſtatuitur, quòd inſtitutus in Canonicum cùm promiſsione eidem conferendi primam Præbendam, quæ vacaverit, interim debet de aliqua portione Eccleſiæ provideri, & vacatâ Præbendâ, illa ſtatim eſt ei conferenda.

In 10. cap., quod incipit. *Avaritia*, ex eodem ſtatuitur, quòd Monachi, vel Canonici Regulares non poſsunt ſinè conſenſu Ordinarii dividere ſuas Parochias in plures, minuere redditus, ſeu fructus, qui ab antiquo debentur ipſis Clericis inſervientibus in eorum Eccleſiis, nec penſiones illorum augere.

In 11. cap., quod incipit. *Significatum eſt*, ex eodem, ſtatuitur, quòd vacante

cante aliquâ Præbendâ Canonicali, ſeù Beneficio; Prælatus, & capitulum, ad quod ſpectat electio, poſsunt tali Præbendæ, ſeu Beneficio aliquod honeſtum onus imponere, ad quod Præbendarius teneatur.

In 12. cap., quod incipit. *De Monachis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Epiſcopi non debent admittere præſentationes, quas Monachi faciunt de Clericis pro Eccleſiis ipſorum Monaſteriorum, niſi priùs eis congrua portio reddituum aſsignetur, ut poſsint hoſpitalitatem ſervare, & ſua Epiſcopalia perſolvere.

In 13. cap., quod incipit. *Ad hæc licet*, ex eodem, ſtatuitur, quòd nullus poteſt habere plures Dignitates, ſeu Perſonatus, non ſolùm in eâdem, ſed nec etiam in diverſis Eccleſiis; Intellige, ſine diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ.

In 14. cap., quod incipit. *Præterea.* ex eodem ſtatuitur, quòd habens plures Dignitates, unâ retentâ, alias dimittere compellitur.

In 15. cap., quod incipit. *Cùm non ignores*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi electus ad ſecundam Eccleſiam, primam nolit dimittere, eligentes poſsunt reſilire à prima electione, ipſum non acceptare, & alterum ſibi eligere.

In 16 cap., quod incipit. *Cùm ſecundùm Apoſtolum*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd tenetur Epiſcopus providere de neceſsariis ad victum, & veſtitum Clerico ab eodem ordinato in Sacris ſinè titulo, quouſque ſit proviſus de Beneficio, ſi tamen fuerit ordinatus, nemine præſentante: quòd ſi fuerit ordinatus ad præſentationem alterius, ſpectabit ad Præſentatorem.

In 17. cap., quod incipit. *Inter cætera*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Epiſcopus conferens alicui de facto Præbendam, quam de jure dare non poterat, tali Præbendâ ab alio evictâ, tenetur ſupradicto dare aliam, quam poteſt, ne fraudolenter viſus ſit Præbendam contuliſse.

In 18. cap., quod incipit. *Cùm jam dudùm*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui habet plures dignitates, perſonatus, & Præbendas ſinè diſpenſatione Papæ, non poteſt eligi ad aliam dignitatem; ſicut etiam non debet confirmari ejus electio, qui antè confirmationem adminiſtravit.

In 19. cap., quod incipit. *Dilectus Filius*, ex eodem, ſtatuitur, quòd aliquis poteſt recipi in Canonicum ſinè actuali aſsignatione Præbendæ, quæ debet ei aſſignari ſtatìm, cùm vacaverit: interim debet gaudere diſtributionibus quotidianis.

In 20. cap. quod incipit. *Tua Fraternitatis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi accidat caſus, quòd duo ad eamdem eligantur Præbendam, talis electio omninò caſſanda eſt, cùm Præbenda dividi non debeat,& electi æquali gaudeant ratione.

In 21. cap. quod incipit. *Niſi eſſent*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi duo ſint electi ad aliquam Dignitatem, & iſti pro evitandis litibus, compromittant in Judices,arbitri uni ex illis adjudicare illam dignitatem debent,& alteri pro bono pacis, & concordiâ, aliquam portionem de proventibus talis dignitatis annuatim ſolvendam aſſignare ſua vita durante, accedente tamen beneplacito Sedis Apoſtolicæ, alias eſſet nulla talis diſpoſitio.

In 22. cap. quod incipit. *Pro illorum*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Canonici alicujus Eccleſiæ obtinuerint à Papa tale Privilegium, ſcilicet, ut ſit numerus taxatus Canonicorum, qui excedi non poſſit, & hoc non obſtante aliquem alium Canonicum ſupra talem numerum eligant, & conſtituant, non poſſunt recuſare electionem alterius Canonici ſupra talem numerum factum à Papa, quia ipſi facto proprio ceſſerunt juri per Privilegium conceſſo.

In 23. cap. quod incipit. *Tuis quæſtionibus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Clericus non beneficiatus poteſt ordinari ad Sacros Ordines, ſi habuerit ſufficiens Patrimonium, undè poſsit ſubſtentari, & aliud Canonicum impedimentum non obſtet.

In 24. cap. quod incipit. *Accedens*, ex eodem, ſtatuitur, quòd aliquis nomine, aut vice abſentis de Beneficio Eccleſiæ poteſt inveſtiri, quia ille dicitur inveſtiri, cujus nomine alius inveſtitur: qui enim per alium facit, per ſe ipſum facere videtur.

In

In 25. cap. quod incipit. *Dilecto Filio*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in eodem Beneficio, ſeu eâdem Præbenda duo inſtirui non poſſunt ex Concilio Turonenſi, quod Præbendarum, ſeu Beneficiorum inhibet ſectionem.

In 26. cap., quod incipit. *Vacante*, ex eodem, ſtatuitur, quòd una Præbenda, vel Beneficium Parochiale ex juſta, & rationabili cauſa poteſt dividi in duas, ſi tot ſint proventus illius, ut poſſint comperenter utrique ſufficere; alias talis diviſio nulla eſt, & Epiſcopus dividens tenetur illas reintegrare ex Præbendis vacaturis; ſicque non eſt contra Concilium Turonenſe.

In 27. cap., quod incipit. *Dilectus Filius*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Papa mandat alicui capitulo, ut aliquem recipiat in Canonicum, & ei aſſignent præbendam, ſi ſit vacans: ſi Canonici illius Capituli in contemptum hujus mandati talem præbendam vacantem alteri aſſignent, tenentur, illum in favorem cujus eſt mandatum Papæ, recipere in Canonicum, & eidem de redditibus talis Eccleſiæ ſufficientèr providere, donèc alia vacet præbenda ipſi conferenda.

In 28. cap. quod incipit. *De multa*. ex eodem, ſtatuitur, primò, quòd habens dignitatem, vel Parochiam, ſi ſecundam acceptet, eo ipſo vacat prima; quòd ſi contendat eam retinere cùm ſecunda, utrâque eſt privandus. Secundò ſtatuitur, quòd ille, ad quem ſpectat collatio talis Beneficii vacati per ſuſceptionem ſecundi Beneficii, ſtatim illud poterit conferre, & ſi illud infra ſex menſes non conferat, collatio devoluitur ad ſuperiorem. Tertiò ſtatuitur, quòd ſolus Papa poteſt diſpenſare cùm ſublimibus Perſonis circa pluralitatem Beneficiorum incompatibilium; nam ſolus Papa diſpenſare poteſt in Decretis Conciliorum Generalium.

In 29. cap., quod incipit. *Grave nimis*, ex eodem, ſtatuitur in Concilio Generali Lateranenſi, quòd Prælatus, qui poſt ſecundam admonitionem Beneficia confert indignis, ex Decreto Concilii ſuſpenditur à Beneficiorum collatione; & interim perſona prudens, & honeſta à Concilio deputata debet ſupplere; quæ ſuſpenſio non poteſt relaxari niſi à Romano Pontifice, vel à Patriarcha prædicti Prælati.

In 30. cap., quod incipit. *Extirpandæ*, ex eodem in eodem Concilio, ſtatuitur, quòd Rector Eccleſiæ Parochialis, non obſtante qualibet conſuetudine in contrarium, debet habere de redditibus Eccleſiæ ſuæ ſufficientem portionem, undè poſſit commodè ſuſtentari; qui enim Altari ſervit, de Altari vivere debet, & ſecundò ſtatuitur, quòd Parochus non reſidens eſt privandus, niſi talis Parochia ſit annexa Dignitati, vel præbendæ; in quo caſu tenetur ibi habere perpetuum Vicarium ſub pœna amiſſionis talis Beneficii Parochialis.

In 31. cap., quod incipit. *In Lateranenſi*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Religioſi non debent à Laicis Decimas recipere ſinè Ordinariorum conſenſu, nec excommunicatos, aut interdictos ad Divina admittere, nec Eccleſiis, quæ ad ipſos non pleno jure ſpectant, inſtituere, aut deſtituere, ſed ad eas præſentabunt Ordinariis viros idoneos.

In 32. cap., quod incipit. *Licet*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd Beneficiatus abſens ab Eccleſia ſua ratione ſtudii poſſit lucrari fructus ſui Beneficii, ſive præbendæ, non tamen quotidianas diſtributiones, quas lucrantur ſolùm illi, qui aſsiduè Choro interſunt.

In 33. cap. quod incipit. *Expoſuiſti*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Epiſcopus poteſt, & debet augere præbendas Canonicis ſuis, ſi non poſsint de ſuis præbendis commodè ſuſtentari, & hoc de Cappellis, vel aliundè, reſervatâ tamen congruâ portione pro Cappellanis.

In 34. cap. quod incipit. *Dilectus Filius*, ex eodem, ſtatuitur, quòd licet ex donatione Laici Fundatoris jus eligendi ad aliquod Beneficium, vel Dignitatem pertineat ad Eccleſiaſticas Perſonas, puta ad Capitulum Canonicorum, poteſt tamen Papa tale Beneficium conferre, eo quòd Papa eſt ſuper omnes Eccleſiaſticos, etiam in temporalibus annexis ſpiritualibus.

In 35. cap. quod incipit. *Super inordinata*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd qui inſervire non poſſunt Eccleſiæ, non

reputantur idonei in eâdem, ut Pueri antè 14. annos ad nullum Beneficium ſunt apti. Similiter antè 25. annum nullus eſt idoneus ad Beneficium Parochiale, & ad Epiſcopatum uſquè ad annum 30. cùm Beneficium detur tantùm propter ſervitium, & qui ratione ætatis non eſt idoneus ad ſervitium, nec etiam eſt capax, & idoneus ad Beneficium.

In 36. cap. quod incipit. *Cùm Cauſam*, ex eodem ſtatuitur, quòd Præbenda non debet dividi; & ſi dividatur, tenetur diviſor ad reintegrandam talem Præbendam, ut dictum eſt ſupra.

In 37. cap. quod incipit. *Venerabilis Frater*, ex eodem ſtatuitur, quòd defectus nobilitatis, vel eminentis ſcientiæ non repellunt aliquem à conſecutione Præbendæ, etiam in Eccleſia, in qua recipi conſueverunt tantùm Nobiles, & eminentis ſcientiæ; non enim eſt acceptio Perſonarum apud Deum; unde in Collatione Beneficiorum potius virtutum, & vitæ honeſtas eſt attendenda, quam nobilitas.

In 38. cap. quod incipit. *Cùm olim*, ex eodem ſtatuitur, quòd quando Dominus Papa mandat aliquem provideri in Eccleſia, hujuſmodi mandatum non ſe extendit ad Rectoriam, vel Dignitatem, ſed ad Beneficium ſimplex, vel Cappellaniam in tali Eccleſia; & hæc eſt intentio Papæ, nec executor debet excedere fines mandati.

TITULUS VI.

De Clerico ægrotante, vel debilitato in ſex capita diſtinctus.

Quia in Superioribus Titulis tractatum eſt de Clericis non reſidentibus, & de Præbendis, & fructibus Beneficii non debitis Clericis Eccleſiæ non inſervientibus; meritò nunc ſubnectitur præſens Titulus de Clerico ægrotante, vel debilitato, ut videatur: an iſti pro tali ſtatu non inſervientes debeant prædictis fructibus gaudere.

Agitur de hac materia in Decreto diſt. 33. per totum, & Cauſa 7. qu. 1. & 2. & Cauſa 17. qu. 1. cap. *Gonſaldus*, & in 6. lib. 3. *Tit. 5.*

In 1. cap. quod incipit. *Cum percuſſio*, ex Gregorio ſtatuitur, quòd Clericus infirmus non debet privari fructibus ſui Beneficii; quòd enim non inſerviat Eccleſiæ, hoc non provenit ex negligentiâ, aut malitiâ, ſed ex infirmitate.

In 2. cap. quod incipit. *Præsbyterum*, ex Eugenio Papa ſtatuitur, quòd Sacerdos, qui amiſerat duos digitos cum medietate palmæ à quodam latrone ipſi abſciſſos, non debet, nec poteſt Miſſam celebrare; eſt enim ſuſpenſus propter debilitatem manus, tùm propter deformitatem; alia tamen munia Sacerdotalia, ut Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrare, cantare in Choro &c. poteſt exercere.

In 3. cap. quod incipit. *De Rectoribus*, ex Lucio III. ſtatuitur, quòd ſi Rector Eccleſiæ evadat Leproſus, non debet propter ſcandalum miniſtrare in Altari, ſed ei dandus eſt Coadiutor ab Ordinario, qui ex aliqua portione illius Beneficii ſubſtentetur.

In 4. cap. quod incipit. *Tua Nos*, ex Clemente III. ſtatuitur idem prorſus, quòd ſtatutum eſt in cap. præcedenti.

In 5. cap. quod incipit. *Ex parte tua*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd ſi Epiſcopus ſit infirmus infirmitate aliquâ incurabili, non eſt privandus Epiſcopatu, ſed ei dandus eſt Coadjutor, qui munia Epiſcopalia vice illius valeat exercere.

In 6. cap. quod incipit. *Conſultationibus*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd Prælatis impotentibus propter morbum incurabilem Officium ſuum exercere, dandi ſunt Coadjutores, ut illorum vices ſuppleant, nè Eccleſiæ patiantur.

TITULUS VII.

De Inſtitutionibus in 7. capita diſtinctus.

Quia ſuprà dictum eſt de Præbendis, ex quibus Eccleſiaſtici ſubſtentati debent, quæ Præbendæ non poſſidentur jure hæreditario, ſed per Collationem; & cum ad Collationem ſequatur Inſtitutio, nunc agendum eſt de Inſtitutionibus in eiſdem

præ-

præbendis, ſeu Beneficiis.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 16. qu. 7. cap. *Omnes* uſque ad cap. *Quoniam in quibuſdam*, & in 6. lib. 3. tit. 6.

In 1. cap. quod incipit. *Non amplius*, ex Concilio Arelatenſi, ſtatuitur, quòd numerus Clericorum Eccleſiæ Collegiatæ, ſicut etiam numerus Monachorum, nec non numerus Sanctimonialium in communi viventium, debet regulari ſecundùm quantitatem redditum ſuarum Eccleſiarum, & Monaſteriorum.

In 2. cap. quod incipit. *In Eccleſia*, ex Eugenio ſtatuitur, quòd Laici non ſunt capaces, ut in Canonicos poſſint inſtitui: non enim retinendo ſtatum Laicalem ſunt capaces ad inſerviendum Eccleſiæ, in quo ſervitio requiritur motum honeſtas, & literarum ſcientia.

In 3. cap. quod incipit. *Ex frequentibus*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd Beneficia Eccleſiaſtica recipienda non ſunt, niſi ab his, ad quos de jure ſpectat eorum collatio, ſeu Inſtitutio, ſcilicet à Papa, vel ab Epiſcopis, aut ab eorum Officialibus; aliàs talis Inſtitutio non eſſet Canonica.

In 4. cap. quod incipit. *Authoritate*, ex Clemente III. ſtatuitur, quòd nullus eſt inſtituendus Clericus alicujus Eccleſiæ ultra facultates talis Eccleſiæ, cùm debeat ex proventibus illius ſubſtentari; qui enim Altari ſervit, de Altari vivere debet:

In 5. cap. quod incipit. *Ad decorem*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd in collatione Eccleſiarum, ſeu Beneficiorum locum non habet ſucceſſio hæreditaria, nec conditio alicujus particularis Nationis. Non enim in Eccleſia Dei debet eſſe acceptio Perſonarum, aut Nationum.

In 6. cap. quod incipit. *Cum veniſſent*, ex eodem ſtatuitur, quòd Prælatus inferior Epiſcopo, puta Archidiaconus, qui eſt in poſſeſſione inſtituendi aliquem Rectorem, vel Cuſtodem in aliqua Eccleſia, debet defendi in ea poſſeſſione, donec ab Epiſcopo probetur, talem facultatem fuiſſe perſonalem rantum, non realem; & ideo extinctam fuiſſe cum Archidiacono defuncto: quòd ſi hoc non ptobet, melior eſt conditio poſſidentis.

In 7. cap. quod incipit. *Cum ad noſtram*, ex eodem ſtatuitur, quòd promotus ad aliquam Dignitatem, puta Abbatiam, non poteſt retinere dignitatem Prioratus, à qua fuit aſſumptus in Abbatem, nec poteſt ſibi ipſi conferre aliud Officium de Jure diſtribuendum ſibi ſubditis; cum inter dantem, & recipientem debeat eſſe diſtinctio perſonalis: unde debet ſuâ dignitate eſſe contentus.

TITULUS VIII.

De Conceſſione Præbendę, & Eccleſię non vacantis in 16. capita diſtinctus.

CUM ſupra actum ſit de Præbendis, ac Dignitatibus, & earum Inſtitutionibus tempore quo vacandæ ſunt, modò ſequitur agendum de eiſdem, quando conferuntur, vel promittuntur tempore, quo tales Præbendæ vacant, vel quandò per negligentiam ejus, ad quem ſpectat, non conferuntur, cùm actu vacant.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 1., quæſt. 2. & quæſt. 1. per totum Cauſa 15. quæſt. 7. § . *Cùm ergò*, & ſequenti capit. In 6. lib. 3. Titulo 6. In Clement. lib. 3. Titulo 3.

In 1. Cap., quod incipit. *Qui in vivorum*, ex Gelaſio Papa, ſtatuitur, quòd qui ſcienter facit ſe poni in Beneficium viventis, ab Eccleſiaſtica Communicatione repellitur: ſcilicèt à participatione Corporis, & Sanguinis Domini.

In 2. cap., quod incipit. *Nulla*, ex Concilio Lateranenſi, ſtatuitur, quòd nulla Eccleſiaſtica Beneficia, aùt Miniſteria, vèl Eccleſiæ conferanrur, aur promittantur, antèquam actu vacent, nè quis mortem Proximi deſiderare videatur. Itèm ſtatuitur, quòd cùm actu vacant, infrà ſex menſes conferri debent àb eo, qui habet jus conferendi; quod jus ſi reſideat in Capitulo Canonicorum, & Canonici infrà tale tempus non conferant, devoluitur ad Epiſcopum, & è contra; ſi nèc Capitulum, nec Epiſcopus conferat, devoluitur ad Metropolitanum, quòd ſi nèc iſte conferat, àd Papam.

In

In 3. cap., quod incipit. *Relatum eſt*, ex Alexandro III., ſtatuitur, quòd Beneficia actu vacantia debent conferri, non obſtante Appellatione eorum, quibus erant promiſſa, antequàm vacarent; illa enim promiſſio nulla eſt, imò illicita, & contra Sacros Canones.

In 4. cap., quod incipit. *Propoſuit Nobis*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd collatio Præbendæ Canonicalis facta à Capitulo, àd quod ſpectat providere, valet etiamſi facta ſit contrà mandatum Papæ præcipientis, ut talem Præbendam alteri conferat; poteſt tamèn talis collatio à Papa de plenitudine poteſtatis irritari, quià Papa eſt ſuprà jus, & in eo poteſt diſpenſare.

In 5. cap., quod incipit. *Quia diverſitatem*, ex eodem, ſtatuitur, quòd tempus ſex menſium à Jure conceſſum àd eligendum, ſeu conferendum Beneficium, non currit legitimè impedito; & tale tempus non incipit currere à die vacationis, ſed à die ſcientiæ talis vacationis.

In 6. cap., quod incipit. *Cùm noſtris*, ex eodem, ſtatuitur, quòd litteræ impetratæ à Domino Papa prò obtinendo Beneficio, ſeù Præbendâ, ſeù Dignitate, quæ ab alio poſſidetur facto, ſèd non de jure, non valet, niſi hoc in literis exprimatur; quià de tali coloratâ poſſeſſione debent mentionem facere, aliàs judicantur ſubreptitiæ, vèl obreptitiæ.

In 7. cap., quod incipit. *Poſt electionem*, ex eodem ſtatuitur, quòd primâ electione celebrata, & eâ non caſſatâ, non eſt alia electio facienda; nèc ſufficit ad ſecundam electionem faciendam, quòd primò electus privatè renunciaverit, ſed renunciatio debet eſſe juridica, & acceptata à Superiore; ſicque Beneficium illud intelligitur vacans, & tùnc poterit procedi ad ſecundam electionem.

In 8. cap., quod incipit. *Cùm ſuper*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſtatim ac quis eſt receptus in Canonicum, debet ei aſſignari Prębenda Canonicalis, ſaltem prima vacatura, qui enim Altari ſervit, de Altari vivere debet.

In 9. cap., quod incipit. *Litteras veſtras*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi quis Canonicus, ſit promotus àd Præpoſituram, vèl Præsbyteratum ejuſdem Eccleſiæ, cui annexa ſit propria Præbenda talis dignitatis; eo ipſo quòd acceptet talem dignitatem, vacat ejus Canonicatus, & Præbenda ei annexa, etiamſi Epiſcopus, cùm eo videatur diſpenſaſſe; non enim Epiſcopus talem habet facultatem diſpenſandi contrà Concilium Lateranenſe de pluralitate Præbendarum.

In 10. cap., quod incipit. *Ex parte*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ubi certus numerus Canonicorum ſtatutus non eſt, non habet locum Canon Concilii Lateranenſis de pluralitate Præbendarum, quia ibi, Præbendæ diſtinctæ non ſunt, nèc per mortem dicuntur vacare: unde in talibus Eccleſiis tot ſunt Canonici inſtituendi, quot permittunt facultates Eccleſiarum.

It 11. cap., quod incipit. *Conſtitutus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd habens poteſtatem ordinariam conferendi Beneficium, aut Præbendam, poteſt talem poteſtatem alteri cedere, vel demandare, ut ſcilicèt vice ſua conferat Beneficium primò vacaturum; dummodo hoc non fiat in fraudem ſtatuti Concilii Lateranènſis, ſcilicet quòd Beneficia, & Præbendæ non conferantur, nec promittantur, antequam vacent.

In 12. cap., quod incipit. *Dilectus filius*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Decretum Concilii Lateranenſis de Beneficiis ultrà ſex menſes vacantibus, & quòd eorum electio, vel collatio devolvatur ad Superiorem, non eſt extendendum ad Epiſcopatum, ſed ad Perſonatus, & dignitates minores.

In 13. cap. quod incipit. *Ex tenore*, ex eodem, ſtatuitur, quòd promiſſio facta alicui de Beneficio vacaturo, non valet, nec obligationem inducit, utpotè facta contrà Statutum Concilii Lateranenſis expreſsè hoc prohibentis.

In 14. cap. quod incipit. *Accedens*, ex eodem ſtatuitur, quòd aliud eſt promittere Beneficium, cùm vacaverit, quod eſt contrà Concilium Lateranenſe; & aliud promittere Beneficium, cùm facultas

tas

tis ſe obtulerit, quod non videtur prohibitum per tale Concilium, cùm in multis caſibus facultas poſſit offerri Prælato providendi de Beneficio abſque morte Beneficiati. Cœterùm quià per hanc Decretalem poſſet dari occaſio Prælatis, ut promittant Beneficium quomodolibet vacaturum, ſaltèm in genere: Per Decretalem Bonifacii VIII. cap. *Deteſtanda* in 6. eo titulo, ſtatutum eſt, hoc nullo modo licere, nec tales promiſſiones etiàm in genere factas de Beneficiis vacaturis eſſe validas, & obligatorias.

In 15. cap. quod incipit. *Poſtulaſti*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi collatio Beneficiorum in aliqua Cathedrali ſpectet ſimùl ad Capitulum, & Prælatum, & fuerint negligentes; itaut non conferant per ſex menſes, collatio devolvitur non ad illum Epiſcopum, ſed ad ejus Superiorem, putà Metropolitanum, aut Patriarcham. Si autem talis Prælatus interveniat electioni non tamquàm Prælatus, ſed tamquàm Canonicus illius Eccleſiæ; in tali caſu, ſi electio non ſequatur infrà ſemeſtre, devolvitur electio ipſi tamquàm Ordinario, & Epiſcopo; dummodò tamèn hæc mora non ſit procurata in fraudem; Fraus enim nulli patrocinatur.

In 16. cap., quod incipit. *Cum dilecta in Chriſto*, ex Honorio III., ſtatuitur, quòd ſicut non poteſt Patronus promittere ſe præſentaturum aliquem ad Beneficium vacaturum; ità nec poteſt dare alteri facultatem præſentandi, antequàm Beneficium actu vacet: hæc enim inhibita ſunt per Concilium Lateranenſe, & tales promiſſiones ſunt omninò nullæ.

TITULUS IX.

Nè Sede Vacante aliquid innovetur, in tria Cap. diſtinctus.

CUM ſuprà actum ſit de Inſtitutionibus, & Collationibus Beneficiorum, quæ regularitèr, ut dictum eſt, ſpectant ad Epiſcopum, meritò nunc videndum eſt, quid agendum ſit, ſi Beneficia vacent tempore Sedis Vacantis, ſcilicèt mortuo Epiſcopo, & alio nondùm conſtituto.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 12. qu. 2. in multis Capitulis, & in 6. lib. 3. tit. 8.

In 1. cap., quod incipit, *Novit ille*, ex Innocentio III., ſtatuitur, quòd Sede Vacante nihil eſt innovandum de his, quæ ſpectant ad Statum illius Eccleſiæ: tunc enim talis Eccleſia caret defenſore, & ſic non eſt, qui pro ea agat, undè ejus ſtatus pro eo tempore non eſt immutandus.

In 2., cap., quod incipit. *Illa*, ex Honorio III., ſtatuitur, quòd Beneficia, quorum collatio ſpectat ad Epiſcopum, ſi vacent Sede Vacante, eorum collatio non devolvitur ad Capitulum; quià licèt talis collatio, ut dictum eſt, devolvatur ad Capitulum, ſi Epiſcopus, ad quem ſpectat, non contulerit ea infrà ſex menſes; attamen in caſu noſtro, ſcilicèt Vacante Sede, non computatur tale tempus, nec præſumitur negligentia.

In cap. 3., quod incipit. *Conſtitutis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Vacante Sede, Cauſa illius Eccleſiæ tractari non poteſt, quià talis Eccleſia defenſore caret; undè acta contrà eam pro tali tempore non valent; ſicùt non valent acta contrà abſentem non vocatum, nèc expectatum.

TITULUS X.

De his, quæ fiunt à Prælatis ſinè conſenſu Capituli, in 10. Cap. diſtinctus.

QUià in ſuperiori Titulo dictum eſt, quòd Sede Vacante nihil debet innovari per Capitulum; modò videndum eſt, quid poſſit facere Prælatus jam inſtitutus circà ſuam Eccleſiam abſquè conſenſu Capituli.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 16. qu. 5. & qu. 7. per totum.

In 1. cap., quod incipit. *Irrita*, ex Concilio apud Valentiam, ſtatuitur, quòd irrita erit venditio, vel donatio, vel commutatio rei Eccleſiæ facta ab Epiſcopo abſque conſenſu, & approbatione Capituli. Quod tamèn eſt intelligendum de re notabilis valoris; nàm ad res pauci

ei momenti non eſt neceſſaria talis ſolemnitas, ut dictum eſt Cauſa 12. qu. 2. cap. *Terrulas*.

In 2. cap., quod incipit. *Continebatur*, ex Alexandro III., ſtatuitur, quòd Prælatus non poteſt concedere aliquod Jus temporale ſpectans ad ſuam Eccleſiam abſque conſenſu Capituli: Vidente autem Capitulo, & non contradicente cenſetur approbare ex illa Regula: Qui tacet, aſſentiri videtur.

In 3. cap., quod incipit. *Cùm nos*, ex eodem ſtatuitur, quòd Prælatus ſine conſenſu ſui Capituli donationem in damnum ſuæ Eccleſiæ facere non poteſt. Verum tamèn eſt, quod validatur talis donatio, ſi ſubſequens Capituli conſenſus accedat: Nam Ratihabitionem retrotrahi, & mandato comparari, non eſt dubium. Ex Regula Juris.

In 4. cap., quod incipit. *Novit*, ex eodem, ſtatuitur, quòd non decet Prælatum ſinè conſenſu Capituli inſtituere, vel detinere, & alia negotia agere ſuæ Eccleſiæ; cum enim ipſe ſit Caput, & Canonici membra, hæc debet agere cum participatione eorum; non enim debet Caput à Membris recedere, nec membra à Capite, aliàs non ſervatur unitas Corporis miſtici.

In 5. cap., quod incipit. *Quanto*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Epiſcopus debet omnia negotia ad ſuam Eccleſiam ſpectantia tractare cùm conſenſu, & conſilio ſuorum Canonicorum præſentium, vèl ſaltèm majoris partis eorum; aliàs contractus hujuſmodi erunt irriti, nulliuſque momenti.

In 6. cap., quod incipit. *Ea noſcitur*, ex Cœleſtino III., ſtatuitur, quòd Abbas de jure communi non poteſt præſentare, ſeù nominare, aut conferre Beneficium in Eccleſiis ſibi ſubiectis alicui ſinè conſenſu majoris partis ſui Capituli, niſi habeat ſpeciale Privilegium Apoſtolicum, vel exſtet legitima præſcriptio, aut conſuetudo in contrarium: aliàs collatio per ſolum Abbatem facta non valet.

In 7. cap., quod incipit. *Cùm Apoſtolica*, ex Innocentio III., ſtatuitur, quòd valida eſt donatio, quam de ſolius Diœceſis conſenſu facit Laicus Eccleſiæ de Decimis, quas prædictus laicus ab antiquo, ſcilicet antè Lateranenſe Concilium habuit ab alia Eccleſia; licèt enim non poſſit Epiſcopus ſine conſenſu Capituli alienare, vel permutare bona Eccleſiæ, poteſt tamen bona Eccleſiæ à laicis poſſeſſa Eccleſiæ, cui voluerit, vendicare.

In 8. cap., quod incipit. *Tua Nupèr*, ex eodem ſtatuitur, quòd Epiſcopus ſine conſenſu Capituli non poteſt concedere aliquam Eccleſiam Baptiſmalem vacantem alicui Monaſterio, vel alteri Eccleſiæ, etiamſi prædictus Epiſcopus in tali Eccleſia Baptiſmali habeat patronatum, hæc enim eſſet ſpecies alienationis, quæ ſine conſenſu Capituli ab Epiſcopo fieri non poteſt.

In 9. cap., quod incipit. *Paſtoralis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Epiſcopus ſinè conſenſu Capituli non poteſt dare Monachis, nec aliquam Eccleſiam Parochialem, nec penſionem augere ſuper fructus talium Eccleſiarum; Poteſt tamèn ſine conſenſu Capituli centeſimam, vel quinquageſimam portionem dare piis locis, & Religioſis Perſonis.

In 10. cap., quod incipit. *Etſi membra*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Capitula Cathedralium Eccleſiarum debent à Metropolitanâ vocari, & admitti ad Concilia Provincialia, vel eorum Nuncii, ſeu Procuratores.

TITULUS XI.

De his, quæ fiunt à majori parte Capituli, in 4. Cap. diſtinctus.

Dictum eſt in ſuperiori Titulo de his, quæ fieri debent à Prælato de conſenſu Capituli: ſed quia aliqua pertinent ad Capitulum independentèr à Prælato; ideo videndum eſt de his, an fieri debeant ſaltèm de conſenſu majoris partis Capituli, ut dicantur facta à Capitulo.

Agitur de hac materia in Decreto diſt. 16. cap. ultimo, & Cauſa 5. qu. 2. cap. *Hoc jus*.

In 1. cap., quod incipit. *Cum in cunctis*, ex Concilio Lateranenſi, ſtatuitur,

tur, quòd in majori, & ſaniori parte Capituli reſidet poteſtas Capituli; undè ea, quæ à majori parte Capituli fiunt, regulariter prævalent, niſi minor pars rationabiliter contradicat, & hoc evidentèr probet, oſtendendo illud, quod à minori parte eſt ſtatutum, eſſe contrà Eccleſiæ utilitatem, quâlibet non obſtante conſuetudine, ſeù abuſu.

In 2. cap., quod incipit. *Quæſivit*, ex Cœleſtino III., ſtatuitur, quòd Excommunicatio, vel Interdictum ferri non debent à Capitulo, ſed ſolùm ab Epiſcopo, aùt de ejus commiſſione, aliàs non tenent: undè non poteſt ſimplex Canonicus Eccleſias interdicere.

In 3. cap., quod incipit. *Ex ore Sedentis*, ex Innócentio III., ſtatuitur, quòd ea, quæ facta ſunt à majori parte Capituli, non poſſunt impediri per contradictionem, aut appellationem, non ſolùm ab eo, cujus non intereſt, ſed nec etiam ab eo, qui tali facto ſemèl conſenſum præbuit: nàm per hoc ipſo facto renunciat juri ſuo, quod fortè habebat in contrarium; undè non eſt valida ejus reclamatio.

In 4. cap., quod incipit. *Ex parte tua*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in caſu, quo Eccleſia indigeat neceſſariâ reparatione, Prælatus cum majori parte Capituli, etiam contradicente minori parte, poteſt, & debet cogere quemlibet Canonicum ad exhibendam huic operi aliquam portionem ſuorum reddituum: nàm ſententiâ majoris, & ſanioris partis Capituli debet prevalere, non obſtante contradictione minoris partis.

TITULUS XII.

Ut Eccleſiaſtica Beneficia ſinè diminutione conferantur, unico Cap. comprahenſus.

QUià ſupra dictum eſt de Collatione Beneficiorum faciendâ à Prælato cùm Capitulo, vel ſinè, vel ab ipſo Capitulo tantùm, modò videndum eſt, an talia Beneficia Eccleſiaſtica poſſint conferri cum aliqua diminutione.

In hoc ergo cap., quod incipit. *Ut noſtrum*, ex Innocentio III., ſtatuitur, quòd tàm Beneficia, quàm Officia Eccleſiaſtica conferri debent abſque diminutione proventuum, qui pro ipſis ſunt de jure aſſignati: Operarii enim non debent ſuâ mercede fraudari.

TITULUS XIII.

De rebus Eccleſiæ alienandis, vel non, in 12. Cap. diſtinctus.

CUM ſuprà tractatum ſit de Collatione Præbendarum; & Beneficiorum, & aliquando contingat Præbendatos, ſeu Beneficiatos alienare Bona ſuæ Præbendæ, ſeu Beneficii; ideò ponitur præſens Titulus, an hoc fieri poſſit, necnè?

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 10. qu. 2. & Cauſa 17. qu. 4. cap. *Id conſtituimus*, & Cauſa 16. qu. 6. per totum. In 6. lib. 3. Titulo 9. in Clement. lib. 3. Titulo 4. & in extravag. lib. 3.

In 1. cap. quod incipit. *Non licet*, ex Concilio Lugdunenſi ſtatuitur, quòd non licet Prælato Terras unius Eccleſiæ alteri Eccleſiæ aſſignare, eſto ambæ Eccleſiæ ſint in ejus poteſtate: commutare tamen Terras unius cum Terris alterius poterit, accedente conſenſu ambarum.

In 2. cap. quod incipit. *Qui res Eccleſiæ*, ex eodem Concilio ſtatuitur, quòd à Regibus, vel Principibus Laicis res Eccleſiæ accipi non poſſunt; non enim Laici habent talem facultatem ſupra res, quæ ad Eccleſiam ſpectant; unde tàm dantes, quàm accipientes excommunicationem incurrunt.

In 3. cap. quod incipit. *Conſenſus*, ex Concilio Toletano ſtatuitur, quòd in duobus tantum Caſibus Rector Eccleſiæ poteſt manumittere aliquem Servum ſuæ Eccleſiæ. Primò cum talis Rector bona ſua relinquit prædictæ Eccleſiæ in compenſationem talis Manumiſsi. Secundò ſi aliqua nova Prædia tali Eccleſiæ ſuâ induſtriâ acquiſivit ad hunc effectum. Ipſe tamen manumiſſus, ſicut ejus poſteritas ſemper remanent ſub protectione illius

Eccleſiæ, cui debebunt aliqua præſtare in recognitionem libertatis juxtà conditiones impoſitas in Manumiſſione.

In 4. cap., quòd incipit. *Epiſcopi*, ex eodem Concilio, ſtatuitur, quòd Prælatus, qui nihil de ſuo dedit Eccleſiæ, vel acquiſivit, Servis Eccleſiæ libertatem dare non poteſt; iniquum eſt enim, ut qui commodum Eccleſiæ non attulit, incommodum, & damnum afferat; unde Succeſſor talis Prælati poteſt, & debet revocare, quos Anteceſſor malè alienavit à ſervitio Eccleſiæ per manumiſsionem.

In 5. cap., quod incipit. *Nulli liceat*, ex Concilio apud Silvanectum, ſtatuitur, quòd nulli Prælato, aut Rectori Eccleſiæ licitum eſt res Eccleſiæ immobiles alienare, nec etiàm res mobiles pretioſas, quæ ſervando ſervari poſſunt. Nomine autem alienationis intelligitur, non ſolùm alienatio ſtrictè dicta, qua transfertur dominium rei in alium, ſed etiam largè ſumpta; ſcilicet qua res obligatur, vel hypothecatur. Hoc tamen intelligitur, ſi alienatio non ſit in utilitatem evidentem Eccleſiæ, & cùm debita ſolemnitate; aliàs incurritur pœna excommunicationis.

In 6. cap., quod incipit. *Si quis Presbyterorum*, ex Symmacho Papa, ſtatuitur, quòd alienatio facta de rebus Eccleſiæ non tenet, & alienatores, niſi rem citò reſtituant, ſunt excommunicandi: imo Clerici ſubſcribentes alienationi excommunicationem incurrunt: unuſquiſque enim Clericus tenetur contradicere propter bonum talis Eccleſiæ.

In 7. cap. quod incipit. *Ad aures*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd Terra Silvata, & parùm utilis Eccleſiæ dari poteſt in Emphytheuſim alicui Colono, cujus ſtudio reducatur ad culturam: hæc enim alienatio eſt in evidentem Eccleſiæ utilitatem.

In 8. cap. quod incipit. *Ut ſuper aliqua*, ex Cœleſtino III. ſtatuitur, quòd Prælatus, qui juravit non alienare res Eccleſiæ, non poteſt alienare ea, quæ ſunt de menſâ, nec ea, de quibus eſt dubium, an ſint de menſa; hæc enim compræhenduntur nomine rerum Eccleſiæ. Poteſt tamen Epiſcopus res Eccleſiæ minùs utiles cùm conſenſu Capituli permutare in res majoris utilitatis; hæc enim alienatio eſt in evidentem Eccleſiæ utilitatem.

In 9. cap. quod incipit. *Ad audientiam*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Eccleſiaſtici non poſſunt prædia Eccleſiæ perpetuò locare, talis enim contractus eſt ipſo jure nullus, & authoritate Epiſcopi debent collatores compelli ad reſtituendam pecuniam conductoribus, & recuperare prædicta prædia.

In 10. cap. quod incipit. *Poſſeſſiones*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd Poſſeſsiones, quæ ſunt de menſa Epiſcopi, aut Capituli alienari non poſsunt; nec Eccleſiæ, vel Monaſteria ad uſum Regularium conceſſæ, poſsunt Clericis aſsignari.

In 11. cap. quod incipit. *Ad noſtram*, ex eodem, ſtatuitur, quòd quotieſcumque in aliquo contractu venditionis, permutationis, aut locationis rerum Eccleſiaſticarum, Eccleſia enormiter probatur læſa, talis contractus debet revocari; eſt enim irritus, & nullus: dicitur autem Eccleſia enormiter læſa, quando res valet duplo plùs prætio aſsignato.

In 12. cap., quod incipit. *Cùm Laicis*, ex eodem: in Concilio Generali, ſtatuitur, quòd alienationes de Fœudis, vel de aliis rebus Eccleſiæ in ejus præjudicium non tenent; etiamſi per conſtitutiones Laicorum approbentur; non enim habent Laici aliquam poteſtatem diſponendi de rebus Eccleſiæ: hæc enim gaudent immunitate à Foro Sęculari.

TITULUS XIV.

De Precariis in tria cap. diſtinctus.

Quia in ſuperiori titulo dictum eſt de alienatione rerum Eccleſiæ, modo ſequitur agendum de Precariis, quæ ſunt quædam alienationes, non quidèm quoad ſubſtantiam rei, (non enim per eas transfertur dominium) ſed ſolùm quoad fructus, & tempore limitato, & dicuntur Precariæ, quia ad preces petentis conceditur uſus rei, & fructus illius ad arbitrium concedentis.

Agitur de hac materia in Decreto cauſa 10. q. 2. cap. *Precaria*, & cauſa 12.

q. 2.

q. 2. cap. *Precariæ*, & causâ 16. quæſt. 3. cap. *Clerici*.

In 1. cap., quod incipit. *Precariæ*, ex Concilio apud Belvacum, ſtatuitur, quòd precariæ de rebus Eccleſiæ factæ, de quinquennio in quinquennium ſecundùm authoritatem, & antiquam conſuetudinem revocandæ ſunt.

In 2. cap. quod incipit. *De Precariis*, ex Concilio Carthaginenſi, ſtatuitur, quòd Epiſcopus, ſivè quilibet Rector Eccleſiæ poteſt, & debet revocare precarium de rebus Eccleſiæ factum irrationabiliter ab Anteceſſore, & in damnum Eccleſiæ; cùm enim Eccleſia ſit Pupilla, non cogitur pati damnum ab Anteceſſore factum, quià non poſſit reparari per Succeſſorem.

In 3. cap. quod incipit. *Precarium*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd precarium extinguitur voluntate concedentis, aut per concedentis alienationem, aut per mortem recipientis. Precariæ autem non extinguuntur per voluntatem concedentis, ſed firmæ remanent juxtà conditiones contractus. Pro quo eſt obſervandum, quod aliud eſt precarium, aliud precariæ: precarium eſt, quando ad preces alicujus do rem meam, vel Eccleſiæ ad uſum præcisè, reſervatâ mihi liberâ poteſtate eam repetendi: precariæ vero, quando per contractum dantur domus, vel prædia Eccleſiæ ad meliorandum ſpatio quinque annorum; hæ enim revocari non poſſunt, niſi tranſacto quinquennio; niſi fuerit factus talis contractus in damnum Eccleſiæ; ut dictum eſt. De hac materia agit S. Th. 2. 2. q. 78. per quatuor articulos, ubi agendo de Uſura, dat Regulas generales, ex quibus infertur quando nàm contractus ſint liciti nec nè? Agit etiam Bonacina Tom. 2. diſp. 3. q. 15. Leſſius, Molina, & alii; precarium autem definitur quòd ſit contractus, quo quis concedit aliquid alteri cum poteſtate illud repetendi quotieſcumque voluerit, & vocatur precarium, ex eo quòd fiat precibus ejus, in cujus commodum conceditur. Tres autem requirit conditiones, primò, quòd detur mutuus conſenſus dantis, & recipientis. Secundò, quòd fiat traditio rei. Tertiò, tandem, quòd ille, qui tradit precarium poſſit illud repetere quotieſcumque voluerit; niſi aliter expoſtulet charitas.

TITULUS XV.

De Commodato unico capite compræhenſus.

CUM actum ſit in ſuperiori titulo de precariis, quæ conſiſtunt in contractu, qui fit gratiâ recipientis tantùm, & ad preces illius, modò ſequitur agendum de contractu ſatis ſimili, ſcilicet de Commodato, qui contractus fit etiam ut in plurimum gratiâ Commodatarii, licèt aliquando fieri etiam poſſit in commodum, & utilitatem commodantis.

Agitur de hac materia in Decreto diſt. 1. cap. *Jus naturale*.

In hoc ergo cap. quod incipit. *Cùm gratia ſui*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd recipiens commodatum gratiâ rei tantum, & propter propriam utilitatem, tenetur non ſolùm de culpa lata, & levi, ſed etiam de leviſſima; non tamen tenetur de caſu fortuito, niſi per culpam ſuam caſus ille acciderit, vel niſi pactum circa hoc intervenerit, vel niſi fuerit in mora in reſtituendo commodatum. Secundò, ſtatuitur, quòd commodatum non poteſt repeti antè uſum expletum, ad quem res fuit commodata: nam Beneficio decipi non debemus, ſed juvari. Advertendum eſt, quòd commodatum nihil aliud eſt, quàm quidam contractus, quo res alteri conceditur ad certum uſum, & differt à Mutuo, quia in Mutuo non ſolùm uſus, ſed etiam dominium rei transfertur in Mutuatarium; ſic D. Th. q. 78. art. 1. ad 6. ubi ait quòd *Uſus principalis vaſorum argenteorum non eſt ipſa earum conſumptio, & ideo uſus eorum poteſt vendi licitè, ſervato dominio rei.* Ex quo D. Th. infert cur ex commodato poſſit aliquid accipi ultra ſortem, non tamen ex mutuo.

TITULUS XVI.

De Depoſito in duo capita diſtinctus.

Viſum eſt de contractibus, qui fiunt gratiâ recipientis, ſcilicet de precariis, & commodato; nunc videndum eſt de contractu, qui fit gratiâ concedentis, qui contractus dicitur depoſitum.

Agitur de hac materia in Decreto diſt. 1. cap. *Jus naturale*, & cauſa 22. q. 2. *Nè quis*,

In 1. cap. quod incipit, *Gravis illa*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd Eccleſia non tenetur de depoſito facto, non Eccleſiæ, ſed Clerico, vel Miniſtro illius Eccleſiæ; niſi tamen converſum eſſet, & conſumptum in utilitatem illius Eccleſiæ; tunc enim teneretur Eccleſia non ex vi depoſiti, ſed ex vi converſionis rei depoſitatæ in Eccleſiæ commodum.

In 2. cap., quod incipit, *Bona fides*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd Depoſitarius tenetur de dolo, & fraude. Item etiam tenetur de culpa, ſi ſponte ſe obtulit ad recipiendum depoſitum, vel aliquid recepit pro cuſtodia, vel fuit in mora reſtituendi ad inſtantiam Depoſitantis. In caſu autem merè fortuito non tenetur, niſi pactum intervenerit, vel niſi aliqua culpa, aut mora interceſſerit. Tenetur tamen Depoſitarius depoſitum reddere quandocumque voluerit depoſitor, nec ab eo ullam poteſt prætendere compenſationem. Advertendum eſt, quòd depoſitum eſt contractus quo ſola rei cuſtodia alteri committitur; Plures autem requirit conditiones ad hoc ut ſit licitum. 1., Quòd ſit conſenſus tradentis, & acceptantis. 2. Quòd ſit realis traditio rei. 3. Quòd quando depoſitum exigitur, reſtituatur eadem res. 4. Ut reſtituatur in loco, in quo reperitur. 5. Quòd ſi depoſitum pereat, deponenti pereat, cum res Domino pereat, dummodo Depoſitarius in culpa gravi non fuerit in cuſtodiendo depoſito. Sic D. Th. 2. 2. q. 62. art. 6. in corpore ubi ſic ait: *Tertio modo aliquis accipit rem alterius abſque injuria non pro ſua utilitate, ſicut patet in depoſitis; & ideo ille, qui ſic accepit, in nullo tenetur ratione acceptionis, quinimmò accipiendo impendit obſequium; tenetur autem ratione rei, & propter hoc, ſi ei ſubtrahatur res abſque ſua culpa non tenetur ad reſtitutionem, ſecus autem eſſet, ſi cum magna ſua culpa rem depoſitam amitteret.* Hæc D. Th.

TITULUS XVII.

De Emptione, & Venditione in ſeptem capita diſtinctus.

Viſum eſt in ſuperioribus titulis de contractibus, qui fiunt gratiâ recipientis, & de contractibus, qui fiunt gratia dantis: nunc videndum eſt de contractibus, qui fiunt gratiâ utriuſque, inter quos contractus frequentior eſt contractus Emptionis, & Venditionis, ideo proponitur præſens titulus.

Agitur de hac materia in Decreto cauſa 1. q. 1. cap. *Eos*, & q. 2. & 3. in multis capitibus, & in Extravag. lib. 3.

In 1. cap., quod incipit. *Placuit*, ex Concilio apud Valentiam, ſtatuitur, quòd ad Epiſcopum pertinet admonere Plebem, nè proprias merces cariùs vendant tranſeuntibus, quàm in Mercato vendere poſſunt, hoc enim eſſet inhumanum, & contra hoſpitalitatem.

In 2. cap., quod incipit, *Ut menſuræ*, ex Concilio Maguntino, ſtatuitur, quòd qui juſtas menſuras, vel juſta pondera cauſâ lucri mutare præſumpſerit, 30. diebus in pane, & aquâ pœnitere debebit.

In 3. cap., quod incipit. *Cùm dilecti*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd cùm res minus dimidiâ juſti pretii comparatur, in optione emptoris, & non venditoris eſt, vel ſupplere juſtum pretium, vel recedere à contractu, & recipere pretium, quod dedit.

In 4. cap. quod incipit, *Pervenit ad nos*, ex Cœleſtino III. ſtatuitur, quòd ſi vir habeat alia bona, unde uxor poſſit ſibi conſulere, & conſentiente uxore, res uxori donatas propter nuptias vendiderit, non poterit uxor inquietare emptorem, maximè ſi pretium converſum ſit in communem uſum viri, & uxoris.

In

In 5. cap. quod incipit. *Ad noſtram,* ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd ſi in venditione apponitur pactum de recuperanda re ad certum tempus, conſtituto modico pretio, & cirrà dimidium, præſumitur talis contractus uſurarius palliatus, factus in fraudem; undè à Judice debet declarari contractus pignoris, & non venditionis, ſicque recipiens rem non poteſt fructibus illius gaudere, quia fraus, & dolus nulli patrocinatur.

In 6. cap., quod incipit. *Cum cauſa*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi contingat, quod Venditor in venditione ſuæ rei deceptus ſit ultra dimidium juſti pretii, poterit agere contra emptorem, ad effectum ut, vel rem ſic venditam reſtituat, reſtituto pretio; vel ſolvat juſtum pretium, cujus alternativæ electio manet in Emptore.

In 7. cap., quod incipit. *Si Venditori*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd in tribus caſibus Venditor non tenetur de evictione. Primò, ſi emptor non denunciaverit Venditori, ut defendat rem ſibi venditam. Secundò, ſi emptor contumaciter ſe abſentaverit tempore ſententiæ. Tertiò, ſi per injuriam Judicis, ſententia fuerit lata contra ipſum. In his caſibus Venditor non tenetur de evictione. De hac materia agit S. Th. 2. 2. qu. 77. per 4. art. & præcipuè articulo 1. in corpore ubi ait: *Fraudem adhibere ad hoc, quòd aliquid plus juſto pretio vendatur, omnino peccatum eſt, inquantum aliquis decipit proximum in damnum ipſius.* Vide articulos ſequentes S. Th. ſuper cujus doctrina omnes Canones hujus tituli fundantur.

TITULUS XVIII.

De Locato, & Conducto in quatuor capita diſtinctus.

Poſtquàm de emptione, & vendirione dictum eſt, ſequitur agendum de Locato, & Conducto quia contractus locationis aliquam habet ſimilitudinem cùm contractu venditionis; differunt tamen, quia per contractum venditionis, pretio recepto, transfertur dominium rei venditæ in emptorem; per contractum verò locationis, pretio dato, vel promiſſo, transfertur uſus rei locatæ in locatarium.

Agitur de hac materia in Decreto cauſa 10. q. 2. cap. *Ea enim*, §. *Perpetua*, & ſeqq.

In 1. cap., quod incipit. *Ex reſcripto*, ex Clemente III. ſtatuitur, Scholares, aut Magiſtros in Univerſitate Bononienſi morantes, excommunicationem latæ ſententiæ incurrere, ſi antè tempus conductionis conducunt Hoſpitia aliorum Magiſtrorum, aut Scholarium ſinè eorum conſenſu. Nullus enim debet injuſtè turbari in poſſeſſione ſuæ locationis, & non terminatâ.

In 2. cap. quod incipit. *Veſtra*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd fructus Decimarum, & aliarum rerum Eccleſiæ poſſunt locari, vendi, & obligari, licet jus percipiendi Decimas, & fructus hujuſmodi, utpotè ſpirituale, alienari non poſſit, hæc autem locatio Decimarum, aut fructuum ſemper fieri debet cùm evidenti utilitate Eccleſiæ.

In 3. cap. quod incipit. *Propter*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd ſi res locata fortuitò, vel propter ſterilitatem anni, aut aliud inſolitum graviter deteriorata ſit, itaut parùm fructificaverit; in tali caſu penſio illa aliàs ſolvenda, debet remitti pro rata, niſi poſſit cùm uberrate præcedentis, aut ſubſequentis temporis compenſari. Item ſtatuitur, quòd in quatuor caſibusInquilinus poteſt antè tempus conductionis finitæ licitè etiam invitus expelli. Primò ratione neceſsitatis, ut ſi Dominus rei locatæ reperitur in neceſſitate inhabitandi domum ſuam alii locatam, in qua neceſsitate non reperiebatur tempore locationis. Secundò ratione refectionis, ſi ſcilicet domus refectione indiget, qua non indigebat tempore locationis: tunc enim remiſsâ illi penſione pro reſiduo temporis, Inquilinus poteſt etiam invitus expelli. Tertiò, ſi Inquilinus perversè moratur ibidem, damnificando ſcilicet rem locatam. Quartò, ſi non ſolvit Canonem per biennium, nec moram poſtea celeriter purgaverit.

In 4. cap. quod incipit. *Potuit*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Emphytheuta

Eccleſiæ non poteſt meliorationes ſuas, quas fecit in re Eccleſiæ ſumptâ in Emphyteuſim, vendere aliis, niſi prius denunciet Eccleſiæ, vel Domino rei Emphyteuticæ, & de conſenſu illius poteſt vendere jus ſuum, alias cadit à jure ſuo, & poteſt privari, ſi per biennium non ſolverit Canonem, & celeriter non purgaverit moram. Advertendum eſt, quòd locatio nihil aliud eſt quàm contractus, quo mercede datur perſona, vel res ad uſum, vel fructum. Conductio vero eſt contractus, quo mercede accipitur Perſona, vel res ad uſum, vel fructum; qua propter conductor dicitur ille qui mercedem ſolvit pro uſu, vel fructu rei acceptæ; Locator verò, qui accipit mercedem pro uſu, vel fructu rei traditæ. De hac materia agit S. Th. 2. 2. qu. 78. art. 1. in corpore ubi ſic ait: *Quædam verò ſunt, quorum uſus non eſt ipſa rei conſumptio, ſicut uſus Domus eſt inhabitatio, non autem diſſipatio; Et ideo in talibus ſeorſim poteſt utrumque concedi. Puta cùm aliquis tradit alteri Dominium Domus, reſervato ſibi uſu ad aliquod tempus, vel è converſo cùm quis concedit alicui uſum Domus, reſervato ſibi ejus Dominio; Et præter hoc petere Domum accomodatam, ſicut patet in conductione, & locatione Domus.* Hæc D. Thom.

TITULUS XIX.

De Rerum permutatione in novem Cap. diſtinctus.

Viſum eſt de Contractu Emptionis, & Venditionis, ſimiliter de Locato, & Conducto; nunc ſequitur agendum de rerum permutatione, qui contractus videtur ſatis affinis Emptioni, & Venditioni: differunt tamen, quia emptio, & venditio fit per ſolutionem pecuniæ, Rerum autèm permutatio fit per commutationem rei cum re abſque interventu pecuniæ.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 10. qu. 2. cap. *Ea enim*. §. *Sed, & permutare*, & Cauſa 12. qu. 2. in multis Capitulis. In 6. lib. 3. Titulo 10. In Clement. lib. 3. Titulo 5.

In 1. cap., quod incipit. *Si Princeps*, ex Concilio apud Silvanectum, ſtatuitur, quòd Princeps poteſt rem ſuam immobilem cum re immobili Eccleſiæ ex cauſa rationabili permutare; dummodò Eccleſia non lædatur, ſed melioretur, accedente pragmaticâ ſanctione, ideſt confirmatione ab Imperatore factâ.

In 2. cap., quod incipit. *Ut Commutationes*, ex Concilio Belvacenſi, ſtatuitur, quòd permutatio rerum Eccleſiaſticarum facta ab Anteceſſore in damnum Eccleſiæ, vel non ſervatâ Juris ſolemnitate eſt per Succeſſorem revocanda, cum nullitèr facta ſit.

In 3. cap., quod incipit. *Mancipia*, ex Concilio apud Silvanectum, ſtatuitur, quòd Mancipia Eccleſiæ permutari non debent cum Mancipiis Laicorum, niſi ſint fugitiva: decet enim, quod Deo dicatum eſt, ad humanos uſus non redire.

In 4. cap. quod incipit. *Iniuſtum*, ex eodem Concilio, ſtatuitur, quòd Servi Eccleſiæ cum prophanis permutari non poſſunt, nec alienari à Servitio Eccleſiæ, niſi ſint fugitivi propter rationem in ſuperiori Decretali expræſſam.

In 5. cap., quod incipit. *Quæſitum eſt*, ex Urbano III. ſtatuitur, quod permutatio tàm in Præbendis, quàm in Dignitatibus Jure Canonico eſt generalitèr prohibita, maximè ſi aliquod præcedat pactum; quià omnis pactio in ſpiritualibus, aut in eis annexis inducit Simoniam: Poteſt tamen Epiſcopus ex cauſa neceſſaria de loco ad locum permutare perſonas, nullâ tamen præmiſſa pactione.

In 6. cap. quod incipit. *Ad Quæſtiones*, ex Clemente 3. ſtatuitur, quòd permutatio Temporalis cum Spirituali, & è contra fieri non poteſt: bene tamen authoritate Superioris poteſt permutari Temporale alicujus Eccleſiæ cum Temporali alterius; & Spirituale ſimiliter unius Eccleſiæ, ſalvâ tamen indemnitate utriuſque Eccleſiæ.

In 7. cap. quod incipit. *Cùm olim*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd qui propriâ authoritate præſumpſerit proprium Beneficium cùm alio permutare, utroque debet privari: eſt enim invalida, & nulla talis permutatio, & in pœnam debet ſuo Beneficio carere.

In

In 8. cap. quod incipit. *Cùm univerſorum*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi permutatio Beneficiorum completa ſit ex unâ parte, & per alteram ſtet, quominus impleatur, reſtituitur pars ad ſuum Beneficium: nam Jura potius ſubveniunt deceptis, quam decipientibus. Fraus enim nulli debet patrocinari, & ſimplicitati parcendum eſt.

In 9. cap. quod incipit. *Exhibita*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd Temporalia cum Spiritualibus permutari non poſſunt, nec Spiritualia cum Temporalibus: ſunt enim diverſi Ordinis, & inducunt Simoniam. De hac materia agit S.Thom. 2. 2. qu. 100. art. 1. ad 5. ubi ait: *Nomine Emptionis, & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus. Unde nec permutatio præbendarum, vel Eccleſiaſticorum beneficiorum fieri poteſt authoritate partium abſque periculo Simoniæ, ſicut nec tranſactio, ut jura determinant. Poteſt tamen Prælatus ex Officio ſuo permutationes hujuſmodi facere pro cauſa utili, vel neceſſaria.* Hæc D. Thom.

TITULUS XX.

De Fæudis duplici cap. comprehenſus.

Quia in ſuperioribus dictum eſt de diverſis ſpeciebus alienationis, & inter alienationes numeretur etiam Contractus Fæudalis, quo transfertur utile in Vaſſallum, directo dominio remanente apud Dominum: ideo in præſenti ſubiicitur præſens Titulus de Fæudis.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 22. qu. ultima cap. *De forma*.

In 1. cap. quod incipit. *Inſinuatione*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd ſi Dominus à Vaſſallo, ſive à ſervo recipiat Fæudum in pignus pecuniæ mutuatæ; ſi prędictus Dominus eo tempore abſtineat à ſervitio Servi, non tenetur fructus Fæudi computare in ſortem, quia fructus ſuccedunt Domino loco ſervitii; nec in hoc aliqua intervenit uſura.

In 2. cap. quod incipit. *Ex parte tua*, ex eodem ſtatuitur, quòd in tribus Caſibus Prælatus poteſt dare in fæudum rem Eccleſiæ, etiam non obſtante illius Juramento de non infæudando. Primò ſi hujuſmodi res jam ſemel ab antiquo data fuerit in Fæudum: Juramentum enim ſolum intelligitur de non infæudando de novo rem aliàs numquam infæudatam. Secundò ſi Vaſſallus Fæudum alienat ſine licentia Domini; tunc enim talis Vaſſallus eo ipſo amittit Fæudum, & Dominus poteſt illud iterum aliis infæudare. Tertiò ſi Fæudum taliter ſit alienatum à Vaſſallo, ut recuperari non poſſit Eccleſiæ, niſi infæudetur alteri, qui ipſum recuperet. In his tribus caſibus eſt licitum infæudare, non obſtante Juramento non infæudandi. Advertendum eſt quòd Fæudum eſt Contractus, quo Infæudator, ſeu Dominus Fęudi tradit fæudatario, ſeu Vaſſallo, rem ſuam immobilem quoad dominium utile, cùm onere obſequii, & ſervitii perſonalis; differt autem Fæudum ab Emphiteuſi, ex eo quòd Emphiteuſis eſt contractus, quo quis tradit rem ſuã immobilem alteri quoad dominium utile ſub certâ penſione reali ſolvẽdâ in recognitionem dominii directi; differt etiam à venditione, quia in venditione transfertur non ſolum dominium utile, ſed etiam directum, in fæudo verò ſolum utile. Videatur D. Th. authoritate nuper allata, ſi enim non poſſunt fieri permutationes beneficiorum, nec etiàm bona Eccleſiaſtica poſſunt infæudari abſque legitimâ Prælatorum licentiâ.

TITULUS XXI.

De Pignoribus, & aliis cautionibus in 8. capita diſtinctus.

Quia in præſentiarum ſumus in materia Contractuum, & in contractu mutui frequenter pro ſecuritate dantur pignora, aut Fidejuſſores, ideo nunc agendum eſt de Pignoribus, acturi in ſequenti Titulo de Fidejuſſoribus.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 12. qu. 3. & qu. 4. per totum.

In 1. cap. quod incipit. *Nullus Presbyter*, ex Concilio Rhemenſi, ſtatuitur, quòd vaſa Eccleſiæ, & alia deputata ad cultum

cultum divinum nulli Præſbytero licet pignorari, niſi juſtiſſimà neceſſitate urgente.

In 2. cap. quod incipit. *Lator præſentium*, ex Gregorio III. ſtatuitur, quòd homo liber capi, vel detineri non debet pro debito, etiamſi non habeat, unde ſolvat; hoc enim eſſet ipſum pignorari, quod non licet, maximè ſi cedat bonis ſuis, ut ſtatuitur in lege Civili.

In 3. cap. quod incipit. *Ex præſentium*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd ſi aliquis Rector Eccleſiæ prò aliqua propria neceſſitate dederit in pignus aliquod vas Eccleſiæ, & morte præventus illud non potuit redimere, pertinebit ad Hæredem illius vas illud recuperare, & Eccleſiæ reſtituere. Qui enim ſentit commodum hæreditatis, debet ſentire incommodum ſolutionis debitorum.

In 4. cap., quod incipit. *Illo vos*, ex Innocentio III., ſtatuitur, quòd ſi Uſurarius emat rem cum pacto, quòd poſt tale tempus reſtituet eam Venditori, recipiendo aliquid ultrà ſortem, præſumitur contractus fœneratitius, etiàmſi fructus rei venditæ computentur in ſortem: nam talis contractus in re eſt contractus mutui, licèt appareat venditionis, undè eſt Uſurarius ſaltem palliatè ſic D. Thom. 2. 2. queſt. 78. Art. 2. in Corpore ubi ait: *Omne illud pro pecunia habetur, cujus pretium poteſt pecunia menſurari, & ideo ſicut aliquis ſi pro pecunià mutuatâ, vel quacumque alia re, quæ ipſo uſu conſumitur pecuniam accipit ex pacto tacito, vel expreſſo peccat contra Juſtitiam, ita etiam quicumque ex pacto tacito, vel expreſſo quodcumque aliud acceperit, cujus prætium pecunià menſurari poteſt, ſimile peccatum incurrit* Hæc D. Thom. ex qua Regula generali patet veritas eorum quæ in his canonibus apponuntur.

In 5. cap., quod incipit, *Ex litteris*, ex eodem, ſtatuitur, quòd propter maleficium Viri, Uxor non debet dotem ſuam amittere; ſed ſi hæc fundata eſt ſùper bona mariti, & hæc diſtrahuntur ſine conſenſu Uxoris, Uxor agere poteſt contrà quemlibet talium Bonorum detentorem, nàm ea Bona tranſeunt cùm onere, unde poſſunt repeti ab Uxore tamquam Creditrici primâ, & potiori.

In 6. cap., quod incipit. *Cùm contrà*, ex eodem, ſtatuitur, quòd fructus pignoris debent computari in ſortem; unde ſi Creditor, qui alteri mutuavit pecuniam, & ab eo accepit Terras in pignus, ſi ex fructibus illius Terræ ſit ſatisfactum ſorti, tale pignus, ſivè Terræ ſunt reſtituendæ Debitori, vel ejus Hæredibus: In mutuo enim non eſt licitum aliquid accipere ultrà ſortem; unde fructus rei, quæ datur in pignus, debent computari in ſortem. Sic D.Thom. loco nuper citato in Solutione ad 6. ubi habet: *quòd ſi quis pro pecunia ſibi mutuata obliget rem aliquam, cujus uſus prætio æſtimari poteſt, debet uſum illius rei, ille qui mutuavit, computare in reſtitutionem ejus, quod mutuavit, aliòquin ſi uſum illius rei quaſi gratis ſibi ſuperaddi velit, idem eſt, ac ſi pecuniam acciperet pro mutuo, quod eſt Uſurarium.*

In 7. cap. quod incipit. *Significante*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi quis ſub pacto legis commiſſoriæ pignoraverit domum, vel vineam, addito juramento reſtituendi pecuniam infra tàle tempus; ſi infra tale tempus iſte fuerit legitimè impeditus, aut pecuniam tranſmiſerit per Servum, qui exiſtimabatur fidelis, ſed in facto fuit infidelis, & pecuniam non conſignavit: in tali caſu poteſt etiam pòſt taxatum tempus Domum, vel Vinèam ſuam redimere, ſoluto prætio, & fructibus pignoris in ſortem computatis. Nàm pactum illud legis Commiſſoriæ, eſtò poſſit permitti in emptione, & venditione, nòn tamèn permittitur in contractu pignoris.

Præterquàmquod impedito non currit tempus, & facienti quantum eſt in ſe per Servum, qui putatur fidelis, mora non imputatur. Advertendum tamen eſt, quòd in contractu mutui pactum legis Commiſſoriæ in pignoribus accidit, quando quis accipit pignus pro mutuo, vel pro alio debito ea conditione, ut ſi debitor non ſolvat intra certum tempus, pignus evadat creditoris, aut venditum habeatur; dicitur autèm pactum legis commiſſoriæ, eo quòd ſi debitor non ſolvat ſtatuto tempore incidat in commiſſum

idest

ideſt amittat Ius rei ſuæ propter culpam commiſſam non ſolvendo tempore præfixo. Iſtud autem pactum legis commiſſoriæ in pignoribus per ſe loquendo & jure ab omnibus reprobatur, per accidens tamen ſi pignus ſortem non excedat, poteſt eſſe licitum, & nullo modo Uſurarium, cùm ordinetur ad recuperandam ſolam ſortem, & ad ſe indemnem ſervandum, ſic Bonacina, De Lugo. Molina, & alii, hoc tamen intelligitur in foro conſcientiæ; attamen in foro fori ſemper prohibitum eſt hujuſmodi pactum, quia Eccleſia præſumit, factum eſſe cùm illo periculo, quòd pignus excedat ſortem, quapropter abſolutè & in terminis tale pactum non eſt concedendum, præcipuè quia lex non reſpicit caſus particulares, ſed bonum commune.

In 8. cap., quod incipit. *Cùm conſtet*, ex Gregorio IX., ſtatuitur, quòd Uſufructuarius poteſt obligari ab Hærede, ſeù Proprietario ad dandam cautionem, quòd fruetur de rebus immobilibus ſibi relictis ad uſum, ſalvâ ipſarum ſubſtantiâ, & de rebus mobilibus, quæ uſu non conſumuntur, & finito uſufructu, utraſque reſtituet Proprietario.

TITULUS XXII.

De Fidejuſſoribus in quinque Cap. diſtinctus.

CUm in ſuperiori Titulo dictum ſit de rebus, quæ prò debitis obligantur; ſcilicet de Pignoribus: nunc eſt agendum de perſonis, quæ prò alienis debitis intercedunt, & aſſumunt obligationem ſolvendi in defectum Principalium.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 23. quæſt. 5. cap. *Cum homo*, & de Conſecrat. diſt. 4. cap. *Nos autem*, & cap *quæris*.

In 1. cap., quod incipit *Clericus*, ex Concilio Cantuarienſi, ſtatuitur, quòd Clericus Fidejuſſionibus inſerviens debet abiici, & removeri a Clericatu.

In 2. cap., quod incipit, *Pervenit ad nos*, ex Lucio III. ſtatuitur, quòd ſi Clericus fidejuſſerit prò alio Clerico, tenetur ſolvere, & ille, pro quo ſe obligavit, debet à Judice compelli ad ſerv ndum Fidejuſſorem indemnem, per aſſignationem, & ſequeſtrationem reddituum ſuorum. Non enim debet Fidejuſſor pati damnum, in quo meretur præmium.

In 3. cap., quod incipit. *Conſtitutus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd debitor poteſt compelli ſub Cenſurâ ad liberandum Fidejuſſorem a moleſtiis, quas diù patitur à Creditoribus propter talem Fidejuſſionem, ſi talis debitor habeat in bonis, & poſſit ſolvere.

In 4. cap., quod incipit. *Quod quibuſdam*, ex Innocentio III., ſtatuitur, quòd ſi Religioſus ſine licentia ſui Prælati, & majoris partis Capituli Fidejuſſerit, vel mutuum acceperit, non tenetur Monaſterium, & ipſe Religioſus graviter eſt puniendus, tenetur tamèn Monaſterium, ſi mutuum converſum fuerit in utilitatem Monaſterii, aut Eccleſiæ.

In 5. cap., quod incipit. *Eum prò quo*, ex Gregorio IX., ſtatuitur, quòd Fidejuſſor in tribus caſibus poteſt, & debet principalem Debitorem convenire, & contrà cum agere, ut à fidejuſſione liberetur 1. ſi debitor diù ceſſavit a ſolutione debiti. 2. ſi incœpit diſſipare bona ſua. 3. ſi condemnatus ſit Fidejuſſor in locum principalis. In his habet juſtam Cauſam petendi liberationem ab obligatione.

TITULUS XXIII.

De Solutionibus in 4. Cap. diſtinctus.

IN ſuperioribus Titulis viſum eſt de obligationibus, quæ per ſolutionem debiti tolluntur; nam per ſolutionem ejus quod debetur, omnis tollitur obligatio; undè in præſenti ſubnectitur præſens Titulus de Solutionibus.

Agitur de hac materia in Decreto Tractatu de Pœnitentia diſt. 1. cap. *Medicina*, & diſt. 4. in primis tribus Capitulis.

In 1. cap., quod incipit. *Ad hoc*, ex Alexandro III., ſtatuitur, quòd Succeſſor in Beneficio tenetur ſolvere ea debita

R bita

bita Prædeceſſoris, quæ ab eo facta fuere pro neceſſitate Eccleſiæ: ſecus ſi facta fuerint intuitu propriæ commoditatis, aut Familiæ.

In 2. cap. quod incipit. *Si quorumdam*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd Prælatus, qui obligat Eccleſiam ſuam prò alienis debitis, incurrit ipſo facto ſuſpenſionem ab adminiſtratione tùm ſpiritualium, tùm temporalium; nec talis obligatio valida eſt.

In 3. cap. quod incipit. *Odoardus*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Clericus non habeat, unde poſſit ſatisfacere ſuis Creditoribus, non debet per hoc excommunicari, nec aliter moleſtari; poterit tamen compelli ad dandam cautionem, ſaltem juratoriam de ſolvendo, cum pervenerit ad pinguiorem fortunam; ad impoſſibile enim nullus tenetur, durante impoſſibilitate.

In 4. cap. quod incipit. *Is qui conquæritur*, ex eodem ſtatuitur, quòd qui conquæritur apud Judicem ſe indebitè ſolviſſe debitum; quod dicit per aliam ſolutionem fuiſſe extinctum, tenetur hoc probare: Si autem Creditor urget, hanc ſecundam ſolutionem fuiſſe indebitam, ad eum ſpectabit onus probandi, oſtendendo, vel primam ſolutionem fuiſſe factam, vel non fuiſſe adæquatam, & non ſufficientem pro totâ ſummâ. De hac materia agit S. Thom. 2. 2. qu. 62. art. 1. uſque ad 8. in quo præcipuè in ſolutione ad ſecundum ſic ait: *Quando aliquis non poteſt ſtatim reſtituere, ipſa impotentia abſolvit eum ab inſtanti reſtitutione facienda, ſicut etiam totaliter à reſtitutione abſolvitur, ſi omninò ſit impotens; debet tamen remiſſionem, vel dilationem repetere ab eo, cui debet, aut per ſe, aut per alium.* Hæc D. Th. quæ verba locum habent in omni ſolutione facienda à quacumque perſona, ſive ratione injuſtæ acceptionis, ſive ratione rei acceptæ.

TIUTLUS XXIV.

De donationibus in decem capita diſtinctus.

Hucuſque actum eſt de Contractibus non gratuitis, modò reſtat videre de gratuitis, & liberalibus, ſcilicet de donationibus.

Tractatur de hac materia in Decreto Cauſa 12. qu. 2. cap. *Eccleſiaſticis*, & cap. *Religioſum*, Cauſa 16. qu. 3. cap. *placuit*, & qu. 6. cap. *Illud* & diſt. 86. cap. *non ſatis*, & in aliis Capitulis.

In 1. cap. quod incipit. *Prudentes*, ex Gregorio ſtatuitur, quòd promittens aliquid liberaliter donare, illud tamquam debitum adimplere tenetur; liberalis enim donatio exiſtimat ſe debere, quod donat.

In 2. cap. quod incipit. *Fraternitatem*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd donatio facta à Prælato inconſulto Capitulo, & in damnum Eccleſiæ, nullo modo eſt valida: eſt enim Prælatus Procurator Eccleſiæ, non Dominus; unde poteſt conditiones Eccleſię facere meliores, non deteriores.

In 3. cap. quod incipit. *Ceterùm ſi Abbatem*, ex eodem ſtatuitur, quòd in dubio, an valeat aliqua donatio facta à Prælato de rebus Eccleſię, attendenda eſt quantitas rei donatę, & conſuetudo loci, taliter quòd res donata ſi ſit modici valoris, & talis conſuetudo non ſit contra Sacros Canones, utpotè in quantitate modicâ, nec ſit in notabile damnum Eccleſiæ, exiſtimanda eſt valida, & licita talis donatio.

In 4. cap. quod incipit. *Conſultationibus*, ex eodem ſtatuitur, quòd Eccleſia non vacans, privatæ perſonæ concedi non poteſt; poteſt tamen à Papa, vel Epiſcopo concedi Religioſis locis, abſque tamen præjudicio Rectoris actu exiſtentis, qui abſque culpa jure ſuo privari non debet.

In 5. cap. quod incipit. *Per tuas*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd ſi ratione ſervitii præſtiti Eccleſiæ, Epiſcopus de conſenſu Papæ infæudat Laico aliquam Poſſeſ-

Poſſeſsionem Eccleſiæ tantæ quantitatis v. g. decem modiorum, & in traditione talis Poſſeſsionis conſignantur tantùm octo modii terræ, ad inſtantiam talis Laici Epiſcopus tenetur reintegrare totam quantitatem, etiamſi talis Epiſcopus juraverit de non ampliùs infœudando: nam acceſſorium ſequitur naturam principalis, & Eccleſia in factis ſuis non debet fraudem, vel dolum adhibere.

In 6. cap. quod incipit. *Cùm dilecti*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in donationibus ad intentionem Donatoris recurrendum eſt; quòd ſi donator eâdem donatione aliquid donavit Eccleſiæ in eleæmoſynam pro remedio animæ ſuæ, & aliud ſimiliter reliquit eidem Eccleſiæ, ſed cùm conditione, ut Eccleſia annuatim ſolvat ſuis hæredibus certam, & determinatam penſionem, hæc conditio afficit tantùm hanc ſecundam partem, non primam; quia prima pars judicanda eſt abſoluta, & ſimpliciter donatio abſquè onere: nam in contractibus plena, in Teſtamentis plenior, in donationibus pleniſſimà eſt interpretatio adhibenda.

In 7. cap. qnod incipit. *Paſtoralis*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Epiſcopus de conſenſu Capituli concedit aliquam Eccleſiam Religioſis, de qua Eccleſia Epiſcopus ille aliquos proventus recipiebat; ex vi talis conceſſionis intelligitur donare Religioſis prædictos proventus, excepto tamen Cathedratico, qui in generali conceſsione non includitur, & idem dicitur de conceſsione Eccleſiæ juris patronatus, ſi concedatur de conſenſu Patroni, qui eo ipſo præſumitur donaſſe jus patronatus.

In 8. cap. quod incipit. *Inter dilectos*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Hoſpitalarii Sæculares poſſunt in præjudicium ſuum, ſe, & domum ſuam alteri, & religioſæ domui ſubjicere, & donare, abſque præjudicio tamen eorum, qui aliquod habent jus, aut prætendunt habere ſuper talem domum.

In 9. cap. quod incipit. *Apoſtolica Sedis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Epiſcopus poteſt ex redditibus Epiſcopatus, donare Religioſis Domibus, ſeu Monaſteriis quinquageſimam, vel centeſimam partem, dummodò talis donatio non ſit cùm gravi Eccleſiæ detrimento; in tali enim caſu poſſet revocari talis donatio à Succeſſore: ultra tamen quinquageſimam, vel centeſimam non poteſt abſque authoritate Papæ; æquitas enim eſt ſervanda in donationibus.

In 10. cap. quod incipit. *Propter*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd in quatuor caſibus donatio revocari poteſt à donatore ratione ingratitudinis. Primò, ſi Donatarius impias manus in ſuum Donatorem injecerit. Secundò, ſi atroces injurias ei intulit. Tertiò, ſi grave damnum rebus Donatoris attulit. Quartò, ſi periculum vitæ ei inferre præſumpſit; ſi autem Donator hæc diſsimulaverit, vel tacuerit, Hæredes non poſſunt donationem revocare. Videatur D. Thom. 2. 2. q. 117. ubi per 6. articulos agit de Virtute Liberalitatis, & explicat, quomodo datio ſeu donatio ſit licita, & pertineat ad liberalitatem. Videatur etiam Bonacina tom. 2. de Contractibus diſp. 2. q. 13. de Donatione; quæ ab ipſo definitur, quòd eſt liberalis datio alicujus rei.

TITULUS XXV.

De Peculio Clericorum in quinque capita diſtinctus.

CUM in ſuperiori titulo dictum ſit de Donationibus, quæ à Clericis fieri non poſſunt de rebus Eccleſiæ, regulariter loquendo, ſed de rebus propriis: ideo ſubditur titulus de eorum peculio.

De hac materia tractatur in Decreto cauſa 12. q. 1. & q. 3. & 4. per totum.

In 1. cap. quod incipit. *Inveſtigandum eſt*, ex Concilio Arelatenſi, ſtatuitur; quòd Presbyter nihil patrimonii habens, quando promotus eſt ad regimen Eccleſiæ; ſi poſtea prædia emerit, aut domos, præſumuntur ea ex bonis Eccleſiæ acquiſita; unde ad illam ſpectant Eccleſiam, ex cujus bonis acquiſita fuere.

In 2. cap. quod incipit. *Presbyter*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Presbyter ſi emerit aliquid de redditibus, & bonis Eccleſiæ, quam adminiſtrat, debet conferre Inſtrumentum non nomine proprio, ſed

nomine illius Eccleſiæ: ſecùs ſi emat ex fructibus ſui Patrimonii.

In 3. cap. quod incipit. *Ut unuſquiſque*, ex Epiſtola Pii Papæ, ſtatuitur, quòd ea, quæ acquiſivit Epiſcopus poſt ſuam Conſecrationem, ſuæ Eccleſiæ ſunt relinquendæ; ſi aliàs non ſint acquiſita ex patrimonio, donatione, aut hæreditate &c.

In 4. cap. quod incipit. *Inquirendum eſt*, ex Concilio Rhemenſi, ſtatuitur, quòd ſi Prælatus aliquod emerit ex emolumentis Eccleſiæ, eo ipſo ſunt ipſius Eccleſiæ, licèt talis Prælatus emerit nomine alieno.

In 5. cap. quod incipit. *Si quiſ ſanè*, ex Concilio Toletano, ſtatuitur, quòd meliorationes factæ per Prælatum in rebus Eccleſiæ ſunt ſuæ in vita, etiamſi dimittat Beneficium, ſed de his teſtari non poteſt: nam poſt ejus obitum de jure pertinent ad Eccleſiam. De hac materia agit S.Th.2.2. q.185. per 8. articulos, ubi pertractat de his quæ pertinent ad ſtatum Epiſcopi, & præcipuè articulo 6. ubi explicat, quomodo Epiſcopo ſit licitum aliquod proprium habere.

TITULUS XXVI.

De Teſtamentis, & ultimis Voluntatibus in 20. cap. diſtinctus.

IN ſuperiori titulo viſum eſt de Peculio Clericorum; ſed quia dubitari poteſt, an de tali Peculio poſſint Clerici teſtari: ideo ſubnectitur præſens titulus de Teſtamentis, & ultimis Voluntatibus.

Tractatur de hac materia in Decreto cauſa 12. q.5. & cauſa 18.q.4.per totum, & cauſa 19. qu. ultima cap. *Quia*. In 6. lib. 3. titulo 11. In Clemen. lib. 3. tit.6.

In 1.cap. quod incipit. *Quorundam*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd Prælatus de rebus Eccleſiæ vel intuitu Eccleſiæ quæſitis, teſtari non poteſt; ſecus de rebus patrimonialibus, vel ſibi donatis, aut ex hæreditate relictis.

In 2. cap. quod incipit. *Quia ingredientibus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Abbatiſſa teſtari non poteſt, etiamſi fortè ex conſuetudine, vel abuſu loci, nunquàm induerit habitum Religioſum, ſed uſa ſit habitu Sæculari: hujuſmodi enim abuſus Monaſterio præjudicare non poteſt.

In 3. cap. quod incipit. *Nos quidem*, ex eodem, ſtatuitur, quòd voluntas Defuncti ad pias cauſas adimpleri debet ab Hærede infra annum, & ſi Hæres negligens fuerit, Epiſcopus loci, præmiſſâ admonitione, debet eam exequi, etiam ſecundum leges civiles.

In 4. cap. quod incipit. *Indicante*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Legatum relictum etiam nudis verbis, & abſquè ſolemnitate contractus; valet, & debet ſolvi ab Hærede; voluntas enim Teſtatoris per omnia debet adimpleri.

In 5. cap. quod incipit. *Filius noſter*, ex eòdem, ſtatuitur, quòd ſi Teſtator rem non ſuam, ſed Eccleſiæ, aut alterius Perſonæ legavit alteri etiam Eccleſiæ, vel alteri loco pio, tale Legatum ſecundùm legem Dei non tenet, ſed res reſtituenda eſt ab Hærede proprio Domino: licèt ſecundùm leges Civiles tale Legatum ſit validum, & adimpleri debeat.

In 6. cap. quod incipit. *Si Hæredes*, ex Concilio Moguntino, ſtatuitur, quòd ſi Hæredes non impleverint legata Teſtatoris, per Epiſcopum loci, ſunt eis interdicenda omnia eis relicta ex Teſtamento cùm fructibus indè perceptis, ad effectum ut vota Teſtatoris adimpleantur.

In 7. cap. quod incipit. *Cùm in Officiis*, ex Concilio Lateranenſi, ſtatuitur, quòd Clerici teſtari non poſſunt de Bonis per Eccleſiam acquiſitis; nàm cùm Clerici Beneficium, & fructus ab Eccleſia percipiant, eidem tenentur reſtituere, tùm ratione gratitudinis, tùm ratione Statuti Canonici.

In 8. cap. quod incipit. *Ad hæc*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd Clerici licèt de Bonis per Eccleſiam acquiſitis teſtari non poſſint; tamen ſive ſani, ſive in ægritudine conſtituti poſſunt de rebus mobilibus intuitu eleemoſynæ aliqua erogare tùm conſanguineis, tùm aliis extraneis intuitu ſervitii recepti: hoc enim non eſt teſtari, ſed exercere actum charitatis, & gratitudinis.

In 9. cap., quod incipit. *Quia nos*,

ex

ex eodem, ſtatuitur, quòd Clerici de Bonis Patrimonialibus, aut acquiſitis intuitu perſonæ teſtari poſſunt; ſecùs de Bonis acquiſitis intuitu Eccleſiæ; ſunt enim Clerici ſicut Filii familias, qui non poſſunt teſtari niſi ex Bonis Caſtrenſibus, vel quaſi Caſtrenſibus.

In 10. cap. quod incipit. *Cùm eſſes*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Teſtamenta facta à Parochianis coram proprio Parocho, & duobus, vel tribus Teſtibus idoneis valida ſunt, non obſtante quâcumque conſuetudine in contrarium, aut quacumque lege civili requirente ſubſcriptionem Notarii, & præſentiam ſeptem Teſtium. Certum eſt enim, quòd in ore duorum, vel trium ſtat omne verbum.

In 11. cap. quod incipit. *Relatum eſt*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Teſtamentum, ſeu ultima voluntas ad favorem Eccleſiæ, ſeu ad pias cauſas valet, etiamſi ſit factum coram duobus tantùm Teſtibus, quæ cauſa Teſtamentaria non ad Judicem Laicum, ſed ad Eccleſiaſticum ſpectat.

In 12. cap. quod incipit. *Relatum eſt auribus noſtris*, ex eodem, ſtatuitur, quòd non tantùm prohibitum eſt Clericis Beneficiatis teſtari de bonis immobilibus acquiſitis per Eccleſiam, ſed etiam de mobilibus: utraque enim Bona poſt obitum Clerici ad Eccleſiam ſpectant; nomine autem Eccleſiæ non intelligitur Epiſcopus, vel Succeſſor in Beneficio, ſed ipſum corpus Eccleſiæ, ſeu capitulum. Poteſt tamen Clericus aliqua de mobilibus donare Pauperibus, etiam conſanguineis, ſeu Servis ratione gratitudinis, & ſervitii ab eis præſtiti, cùm moderatione tamen, ex quadam convenientiâ, & conſuetudine.

In 13. cap. quod incipit. *Cùm tibi*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd qui ultimam ſuam voluntatem alterius diſpoſitioni committit, ut ſi quis committat alicui amico ſuo vice ſuâ facere teſtamentum, & conſtituere Hæredem, quem voluerit, valet ſecundùm Canones tale Teſtamentum, & dicitur Teſtamentum nuncupatorium.

In 14. cap., quod incipit. *Officii*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi aliquis in Teſtamento multa bona ſua reliquerit alicui Eccleſiæ, vel Monaſterio, aſſignatâ canonicâ portione Epiſcopo loci, cùm hac conditione, ut ea ſit contentus, nec aliud prætendere poſſit, non poteſt Epiſcopus petere aliquid de relictis Eccleſiæ, vel Monaſterio: ſi autem modicisſima portio fuerit relicta Epiſcopo iu fraudem, ut ſcilicet poſſit aliud prætendere juxta conſuetudinem loci de bonis relictis; tunc ei debetur ſua portio ex Sacris Canonibus conſtituta.

In 15, cap. quod incipit. *Requiſitis*, ex eodem ſtatuitur, quòd Legatum relictum Epiſcopo contemplatione perſonæ non eſt dividendum cùm Eccleſia Cathedrali; ſecùs ſi ſit relictum contemplatione Eccleſiæ: tunc autem præſumitur relictum contemplatione Eccleſiæ, ſi fiat tale Legatum ab eo, qui fuit Eccleſiæ Adminiſtrator; intuitu verò perſonæ Epiſcopi, quando legatum fit ab ejus conſanguineo, aut amico. De relictis Epiſcopo contemplatione Eccleſiæ, debet ab eo fieri diviſio cùm Eccleſia Cathedrali, non vero cùm aliis Eccleſiis ſuæ Diœceſis, quæ licèt ad ipſum ſpectent, non tamen habent tantam communicationem, ſicut Eccleſia Cathedralis.

In 16. cap. quod incipit. *Raynutius*, ex eodem ſtatuitur, quòd Filius in bonis Patris, Matris, & Aviæ habet jus ſibi debitum jure naturæ ſcilicet legitimam, in qua gravari nequit: unde ſi compellatur reſtituere hæreditatem ſub conditione, detrahere debet legitimam ei debitam jure naturali, & Trebellianicam, in qua computantur fructus poſt litis conteſtationem percepti.

In 17. cap. quod incipit. *Tua nobis*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd ad Epiſcopum ſpectat compellere fideicommiſſarios, ſeu executores Teſtamentorum ad exequendas pias voluntates Teſtatorum, etiamſi Teſtatores prohibeant in Teſtamento eos non eſſe compellendos.

In 18. cap. quod incipit. *Raynaldus*, ex eodem ſtatuitur, quòd Filius inſtitutus hæres à Patre, cùm hac conditione, ut ſi moriatur abſque Filiis legitimis, ſuccedant conſanguinei propinquiores: ſi eveniet caſus, quod talis Filius nullos habuerit Filios legitimos, in morte tenetur reſtituere hæreditatem conſanguineo pro-

xi-

ximiori, detracta tertia parte ſcilicet legitima jure naturæ ei debita, & detracta quarta parte ſcilicet Trebellianica, ei debita ratione hæreditatis, & in his poteſt legata relinquere, hæredes inſtituere, & pœnam imponere hæredi, vel legatariis, ſi ejus non exequantur voluntatem.

In 19. cap. quod incipit. *Ioannes Clericus*, ex eodem ſtatuitur, quòd Exequutor teſtamentarius, ſi acceptavit hujuſmodi officium, tenetur quàm primùm illud exequi, & ſi fuerit negligens ſpecialiter in executione eorum, quæ relicta ſunt ad pias cauſas, eſt ab Epiſcopo cogendus ad executionem.

In 20. cap. quod incipit. *De his*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Epiſcopus, vel Parochialis Eccleſia non debet habere portionem Canonicam de his, quę à Teſtatore legantur in ornamentis Eccleſię, vel ad cultum Divinum, & hoc propter reverentiam Divini cultus. Canonica autem portio juxtà conſuetudinem locorum diverſa eſt; nàm in aliquibus locis eſt media, in aliis tertia, in aliis vero quarta pars, ut dictum in titulo de Sepulturis.

TITULUS XXVII.

De Succeſſionibus ab Inteſtato, in tria capita diſtinctus.

CUm in ſuperiori Titulo actum ſit de Teſtamentis, ſequitur agendum de Succeſsionibus ab inteſtato, quia plerùmque accidit, ut homines decedant abſquè eo quòd Teſtamentum conficiant; unde videndum eſt, quis debeat ſuccedere eis ab inteſtato.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 12. q. 3. cap. 2. & q. 5. cap. ultimo.

In 1. cap. quod incipit. *Sed hoc*, ex Concilio apud Altæum habito, ſtatuitur, quòd Clericus de bonis acquiſitis intuitu Perſonæ, poteſt diſponere, & donare cui voluerit: ſi autem decedat ab inteſtato, & conſanguineos non habeat, loco conſanguineorum in eis ſuccedit Eccleſia, cui inſervivit.

In 2. cap. quod incipit. *Sancto Concilio*, ex Concilio Triburienſi, ſtatuitur, quòd ſi olim ſervus fuerit emancipatus à ſuo Domino, & factus Clericus, ſi moriatur ab inteſtato, de bonis illius propriis quatuor debent fieri partes, prima Epiſcopo, ſecunda Eccleſiæ, cui inſervivit, tertia Pauperibus, quarta Conſanguineis idoneis, & capacibus; quos ſi non habuerit, eam partem Epiſcopus in uſus Eccleſiæ convertet.

In 3. cap. quod incipit. *Cùm dilectus Filius*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd Rector Eccleſiæ, ſivè quilibet Clericus dicitur inteſtatus, ſi nullum fecerit Teſtamentum, aut ſi fecerit, illud fecerit in amentiâ, aut furore; & in utroque caſu ei ſuccedit Eccleſia, ſi non habeat conſanguineos; ſecùs autem ſi apparet, eum fuiſſe Monachum, aut ſanæ mentis teſtatum: nam in primo caſu hæreditas pertinet ad Monaſterium, in ſecundo ad hęredes. Videatur D. Th. 2. 2. q. 174. & 75. in quibus agit de ſtatu Clericorum, & Epiſcoporum; quę omnia ſunt fundamentum eorum, quæ in hoc, & pręcedenti titulo continentur. Videatur Bonacina tom. 2. de Contractibus diſp. 3. q. 17., ubi definit Teſtamentum, quòd ſit *propriæ voluntatis juſta ſententia de eo, quod quis vult fieri poſt mortem, cùm directa inſtitutione hæredis*; Teſtamentum autem dupplex eſt, unum clauſum, in quo teſtator latere vult, quod in eo continetur; & aliud nuncupativum, quo teſtator ſine ſcriptura coram Teſtibus declarat, quid fieri velit poſt mortem: videantur reliqua, quæ pertinent ad teſtamenta apud Bonacinam.

TITULUS XXVIII.

De Sepulturis in 14. capita diſtinctus.

IN præcedentibus viſum eſt de ſucceſſionibus ex Teſtamento, & ab Inteſtato, quę capiunt effectum poſt mortem, & ideo nunc de Sepulturis agendum eſt.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 13. q. 2. & q. 1. cap. 1. in 6. lib. 3. titulo 12. In Clement. lib. 3. titulo 7. In Extravag. lib. 3.

In 1. cap. quod incipit. *Nos inſtituta*, ex Leone III. ſtatuitur, quòd decedens inteſtatus debet ſepeliri in Sepulchro Ma-

Majorum ſuorum, vel ubi ipſe elegerit ſepeliri. Ad Parochialem tamen Eccleſiam pertinebit Canonica portio de his, quæ reliquit tali Eccleſiæ ratione ſepulturæ.

In 2. cap. quod incipit. *Relatum eſt*, ex Leone Papa ſtatuitur, quòd qui eligit Sepulturam in Eccleſiâ Monachorum, ſi aliqua eidem Eccleſiæ relinquat pro remedio animæ ſuę, pro medietate pertinebunt ad Eccleſiam Parochialem, ubi Sacramenta fidei recepit.

In 3. cap. quod incipit. *Fraternitatem*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd qui relictâ Sepulturâ ſuorum in Eccleſia Religioſorum, eligit Sepulturam in loco minus religioſo, dolo inductus, vel ex contemptu, aut non relictâ canonicâ portione ſuæ Eccleſiæ Parochiali, non validè eligit Sepulturam, cùm talis electio non ſit rationabiliter facta; undè viribus non ſubſiſtit.

In 4. cap. quod incipit. *De his*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd ſi aliquis tranſit ad Religionem in ægritudine, & ex illâ ęgritudine decedit, Canonicam portionem debet habere Eccleſia Parochialis de his, quæ legat ipſi Monaſterio: Si autèm in ſanitate transferat ſe ad Religionem, nihil Eccleſia Parochialis poteſt prætendere: eſt enim liber donandi cui voluerit.

In 5. cap., quod incipit. *Ex parte*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui ſepeliunt aliquem de alienâ Parochiâ, quem ſepelire non debent, tenentur reſtituere corpus, & omnia, quæ ratione ſepulturæ obtinuerunt: ſecùs autèm ſi defunctus ibi legitimè elegerit Sepulturam.

In 6. cap., quod incipit. *Cum liberum ſit*, ex eodem, ſtatuitur idem, quod ſtatutum eſt in proxima ſuperiori Decretali.

In 7. cap. quod incipit. *De Uxore*, ex Lucio III. ſtatuitur, quòd libera eſt Mulier etiam nupta, ut poſſit ſibi eligere Sepulturam ubi voluerit, ſicut Vir ſimiliter liber eſt in tali electione: nam per mortem diſſolvitur vinculum Matrimonii. De Filiis autem conſuetudini loci ſtandum eſt, quæ conſuetudo videtùr eſſe, quòd Filius impubes ſicut non poteſt teſtari, ita non poſſit eligere ſepulturam; & in hoc dependet à voluntate Parentum: ſi autem ſit in ætate legitima, & poſſit teſtari; tunc poſſit eligere Sepulturam.

In 8. cap., quod incipit. *Cùm ſupèr*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi aliquis eligat ſepulturam extra Eccleſiam Parochialem, tali Eccleſiæ Parochiali debetur quarta pars eorum, quæ Eccleſiæ illi, ubi ſepelitur, relinquuntur a Teſtatore ratione funeris.

In 9. cap., quòd incipit. *Certificari*, ex Clemente III. ſtatuitur, quòd portio Canonica, quæ debetur Eccleſiæ Parochiali ratione funeris facti in alienâ Eccleſiâ pendet à conſuetudine loci, quæ diverſa eſt juxtà diverſitatem locorum.

In 10 cap., quod incipit. *In noſtra præſentia* ex Innocentio III., ſtatuitur, quòd Privilegiati ſuper jure funerandi poſſunt quidem ſepelire eos, qui apud ipſos elegerint Sepulturam, ſolitâ tamèn Canonicâ portione Eccleſiæ parochialis ſi autèm non præceſſerit talis electio Sepulturæ; aut fuerit violenter, aùt dolo procurata, tenentur reſtituere Eccleſiæ Parochiali Corpus, & omnia alia, quæ illis advenerunt ratione funeris.

In 11. cap., quod incipit. *Ex parte*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui caſu, & non ſponte ſubmergitur, aut alio modo mere caſualiter moritur, non eſt privandus Eccleſiaſticâ Sepulturâ; non enim præſumitur eâ indignus; cui enim in vita communicamus, communicare debemus etiam in morte.

In 12 cap., quod incipit. *Sacris eſt Canonibus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi corpus alicujus excommunicati ſepultum fuerit in Eccleſiaſtico Cæmiterio, fortè per violentiam alicujus, aut inadvertentiam Pàrochi, debet exhumari, ſi dignoſci, & diſtingui poſſit ab aliis Corporibus ibi ſepultis: ſecus ſi dignoſci, & diſtingui non poſſit; ne ſcilicet aliis corporibus præjudicium inferatur.

In 13. cap quod incipit. *Abolendæ*, ex Innocentio III. ſtatuitur. quòd prò terra, in qua ſepeliendi ſunt defuncti, nihil prætii eſt exigendum, non obſtante qualibet conſuetudine in contrarium; quæ tamen Decretalis juxta Gloſſam intelligitur de Terra Cœmiteriata, & ſacrâ, quæ

quæ communis eſt pro ſepeliendis mortuis, non particulari, quæ pro materiali vendi poteſt ad hunc effectum; nullus enim tenetur talem locum ſuum particularem gratis dare; unde vendi poteſt.

In 14. cap., quod incipit. *Parochiano tuo*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd Excommunicatus, qui in mortis articulo per ſuum Parochum fuit abſolutus, debet ſepeliri in loco ſacro, & ad ſatisfaciendum pro ipſo in his, quæ de jure debentur, debent ab Ordinario loci compelli ejus Heredes. Videatur Bonacinà Tom.2. de contractibus diſp. 3. queſt. 21. de Sepulturis, ubi Sepulturam diſtinguit in materialem, & formalem. Materialis eſt locus, in quo Cadaver Mortui reconditur; formalis vero eſt actio, ſeu officium ſepeliendi pertinens ad Charitatem, ſeu Pietatem, ac miſericordiam ergà defunctos.

TITULUS XXIX.

De Parochis, & alienis Parochianis, in quinque Cap. diſtinctus.

QUià ſuprà dictum eſt de aliquo Jure Parochiali, ſcilicet de jure, quod habent Parochi recipiendi Quartam funeralem ratione Sepulturæ in alienâ Eccleſiâ: nunc quæritur de aliis Juribus, quæ competunt Parochis in aliis cauſis.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 10. quæſt. 2. & Cauſa 13. quæſt. 1. per totum, & Cauſa 16. quæſt. 5.

In 1. cap., quod incipit, *Si Epiſcopus*, ex Concilio Aphricano, ſtatuitur, quòd ſi aliquis Epiſcopus incidat in Hæreſim, ſtatim amovendus eſt ab Epiſcopatu, & in in locum illius alius inſtitui; ſi autem ille prior Epiſcopus ad Fidem Catholicam redeat, inter ipſum, & Epiſcopum ſubſtitutum debet fieri diviſio Diæceſis in partes æquales, & unuſquiſque debet præſidere Eccleſiis ſibi aſſignatis.

In 2. cap., quod incipit. *Ut Dominicis*, ex Concilio Nannetenſi, ſtatuitur, quòd Parochi diebus Dominicis, & feſtivis alienos Parochianos ad miſſam admittere non debent, ſi ex contemptu propriæ Eccleſiæ Parochialis ad eorum Eccleſiam accedant.

In 3. cap., quod incipit. *Nullus Epiſcopus*, ex Hadriano Papa, ſtatuitur, quòd nullus Epiſcopus poteſt Parochianum alterius Epiſcopi judicare; ſicut enim non habet facultatem, Parochianum alterius Epiſcopi ordinandi, ita nec judicandi. Quod tamen intelligitur de ſolo Epiſcopo, non vero de aliis judicibus inferioribus, qui habent facultatem judicandi, & ſi non habeant facultatem ordinandi.

In 4. cap. quod incipit. *Super eo*, ex Urbano III. ſtatuitur, quòd ſicut fines, ſeu termini Provinciarum, ſeu Diœceſum, & ea quæ his limitibus adhærent, ab aliis præſcribi non poſſunt, ſi ſint à jure diſtincti: ità ſimiliter limites Parochiarum, & ea quæ his ſimiliter adhærent, ſi ſint a jure diſtincti, ab aliis præſcribi non poſſunt; nam idem juris eſt in minori, quàm in majori.

In 5. cap., quod incipit. *Significavit*, ex Cæleſtino III. ſtatuitur, quòd ſi Parochianus, ſive Diæceſanus domicilium transferat ad aliam Parochiam, ſeu Diæceſim; primus Parochus, vel Prælatus in eum jura Parochialia, ſeù Diæceſana amplius ſibi vindicare non poteſt, cùm hæc ad ſecundum pertineant, qui illi tenetur Sacramenta miniſtrare: Decimæ tamèn Prædiales, ſi Prædia ſint intrà limites primæ Parochiæ, vel Diæceſis, ad ipſum ſpectabunt, niſi ſit alia conſuetudo in contrarium. Videatur D. Thom. 2. 2. queſt. 185. Art. 8. ubi inquirit, Utrum Præsbyteri, Curati, & Archidiaconi ſint majoris perfectionis, quàm Religioſi, & plura de Officio Parochorum clariſſimè diſſerit.

TITU-

TITULUS XXX.

De Decimis Primitiis, & Oblationibus in 35. Cap. diſtinctus.

POſt Titulum de Parochiis, meritò ſubiicitur præſens Titulus de Decimis, Primitiis, & Oblationibus, quia hæc pertinent ad jus Parochiale.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 16. quęſt. 1. cap. *cunctis*, & quęſt. 7. per totum, & Cauſa 13. quęſt. 1. per totum De Conſecratione diſt. 5. cap. *Quadrageſima*, & de Oblationibus tractatur cauſa 10. quęſt. 1. & 2. & Cauſa 25. quęſt. 1. per totum. In 6. lib. 3. Titulo 13.. In Clement. lib. 3 Titulo 8. & in Extravag. lib. 3. Legatur D. Thom. 2. 2. queſt. 86. Art. 1. in Corp., ubi docet, quòd nomine oblationis intelligitur quidquid exhibetur in Divinum Cultum, integrum manens Divino Cultui deputandum, vel in Uſus miniſtrorum expendendum, per quod oblatio diſtinguitur a Sacrificio, & in fine Corporis explicat, quomodo oblationes ſint in præcepto his verbis: *poteſt tamen contingere, quòd aliquis ad oblationes teneatur quadruplici ratione. Primò quidèm ex precedente conventione, ſicut cum alicui conceditur aliquis fundus Eccleſiæ, ut certis temporibus, certas oblationes faciat, quod tamen habet rationem Cenſus. Secundò propter præcedentem deputationem, ſive promiſſionē, ſicut cùm aliquis offert donationem inter vivos, vel cùm relinquit in teſtamento Eccleſiæ aliquam rem mobilem in poſterùm ſolvendam. 3. Modo propter Eccleſię neceſſitatem, puta ſi miniſtri Eccleſiæ non haberent, unde ſuſtentarentur. Quartò propter conſuetudinem.* Hæc D. Thom. & Art. 4. in corp. de obligatione primitiarum ait: *pertinet autem ad jus naturale, ut homo ex rebus ſibi datis a Deo, aliquid exhibeat ad ejus honorem; ſed quòd talibus perſonis exhibeatur, aut de primis fructibus, aut in tali quantitate, hoc quidem fuit in veteri lege jure divino determinatum; in nova autem lege definitur per determinationem Eccleſiæ, ex qua homines obligantur ut primitias ſolvant ſecundùm conſuetudinem Patriæ, & indigentiam miniſtrorum Eccleſiæ.* Hęc D. Thom.

In 1. cap. quod incipit. *Decimam*, ex Hieronymo exprimuntur 4. genera Decimarum, quæ in veteri lege debebantur Levitis, & Sacerdotibus. 1. genus Decimarum erat decima pars omnium frugum, quæ a Populo ſolvebantur Levitis. 2. genus erant Decimæ, quæ ex iis, quæ ſolvebantur Levitis, ipſi Levitæ tenebantur dare Sacerdotibus Templi. 3. erant Decimæ, quas unuſquiſque de Populo Iſrael reſervabat in horreis, ut comederet eas, cum iret ad Templum in Hieruſalem, & in veſtibulo Templi Sacerdotes, & Levitas ad convivium invitabant. 4. genus Decimarum erant Decimæ, quas recondebant diſtribuendas pauperibus. Prætèr hæc 4. genera Decimarum erant Primitiæ, quæ erant indeterminatæ: propter avaritiam autèm Sacerdotum inolevit conſuetudo, ut unuſquiſque offerret Primitias de frugibus intrà limites partium Quadrageſimæ, & Sexageſimæ.

In 2. cap., quod in[illegible]pit *Novum genus*, ex Paſchali II. ſtatu[illegible]r, quòd regulariter loquendo, Clerici [illegible] tenentur Clericis decimas ſolvere, [illegible]li ab iſtis ſpiritualia recipiant: in tali [illegible] caſu non debent fraudari mercede [illegible]

In 2. cap., quod incipit, *ex multiplici*, ex Hadriano Papa, ſtatuitur, quòd compoſitio facta ſupèr Decimis ſolvendis Parocho, non tollitur per Privilegium obtentum a Papa in contrarium, ſi in eo de tali compoſitione non fiat expreſſa mentio: Videtur enim tale Privilegium obreptitium.

In 4. cap., quod incipit. *Commiſſum nobis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Monachi tenentur ſolvere Decimas prædiales de Prædiis acquiſitis, dè quibus decimæ prius ſolvebantur; licèt enim tamquam Religioſi ſint exempti a decimis ſolvendis prò novalibus; ſcilicet prò Terris aliàs infructiferis, operâ propriâ Monachorum ad culturam redactis: tamen de Prædiis fructiferis, quæ acquirunt, & aliàs de illis ſolvebantur decimæ, tenentur ad eas.

In 5. cap., quod incipit. *Pervenit*, ex Alexandro III., ſtatuitur, quòd ad Epiſcopum ſpectat compellere Parochianos, etiàm per Cenſuras, ad ſolvendas decimas cùm integritate, de proventibus molendinorum, Piſcariarum, fæno, lana &c. Eccleſiis, quibus debentur.

In 6. cap., quod incipit. *Nuncios*, ex eodem ſtatuitur idem, quod in præcedenti Decretali.

In 7. cap. quod incipit. *Cùm homines*, ex eodem ſtatuitur quòd Decimæ Fructuum, ſtatim ac ipſi ſunt collecti, perſolvendæ ſunt abſque aliquâ diminutione, ſcilicèt non deductis expenſis.

In 8. cap., quod incipit. *Dilecti Filii*, ex eodem, ſtatuitur, quòd privilegiati ſuper decimis non ſolvendis de propriis prædiis, quæ ſuis ſumptibus colunt; ſi aliena prædia ab aliis conducant, de illis tenentur uſitatas decimas ſolvere: nam Privilegium utpote contrà Jus commune eſt ſtrictè interpretandum.

In 9. cap., quod incipit. *Suggeſtum*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Privilegium de decimis non ſolvendis, ad inſtantiam alicujus a Papa conceſſum, incipiat Eccleſiæ Parochiali enorme detrimentum afferre, revocandum eſt ab eodem, vel alio Pontifice, non enim præſumitur, intentionem Pontificis eſſe, ut Eccleſię Parochiales enormiter lædantur per ſubtractionem Decimarum.

In 10. cap., quod incipit. *Ex parte tua*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Monachi Ciſtercienſes, Templarii, & Hoſpitarii non tenentur decimas ſolvere de prædiis, quæ propriis manibus, aut ſumptibus excolunt; alii verò Religioſi non tenentur decimas ſolvere de Hortis, de Animalibus, nèc de Novalibus, quæ propriis manibus, ac ſumptibus excolunt.

In 11. cap., quod incipit. *Licèt*, ex eodem ſtatuitur, quòd Religioſi, quibus conceſſum eſt, ut de poſſeſſionibus ſuis, quas propriis manibus aut ſumptibus excolunt, decimas non ſolvant; tenentur tamen illas ſolvere, ſi eas aliis tradunt excolendas.

In 12. cap. quod incipit. *Ad audientiam*, ex eodem ſtatuitur, quòd Privilegium conceſſum Religioſis de non ſolvendis decimis Poſſeſſionum, quas propriis manibus excolunt, non ſolùm extenditur ad Novalia, ſed etiam ad alias terras fructiferas.

In 13. cap. quod incipit. *Quoniam*, ex eodem ſtatuitur, quòd etiam de Novaliis decimæ ſunt ſolvendæ Eccleſiæ Parochiali: ſi verò iſta non ſunt in determinatâ Parochiâ, erunt ſolvendæ decimæ de his Epiſcopo, qui poterit eas ſibi retinere, vel alicui Eccleſiæ concedere.

In 14. cap. quod incipit. *Parochianos*, ex eodem ſtatuitur, quòd decimæ, cum ſint à Domino inſtitutæ, quaſi debitum Eccleſiis, de jure divino debentur. Sic D. Th. qu. 87. art. 1. in corpore ubi ait: *ad ſolutionem decimarum homines tenentur partim quidèm ex Jure naturali, partim etiam ex inſtitutione Eccleſiæ, quæ tamen penſatis opportunitatibus temporum, & perſonarum, poſſet aliam partem determinare ſolvendam*. Videatur per totam quæſtionem uſque ad Articulum quartum, cujus doctrinâ explanantur, quæ in hoc titulo continentur.

In 15. cap. quod incipit. *Ad hæc*, ex eodem ſtatuitur, quòd decimæ concedi non poſſunt Laicis jure hæreditario, quia Sanctuarium Dei jure hæreditario poſſideri non debet.

In 16. cap. quod incipit. *De Terris*, ex eodem ſtatuitur: quòd ſi Judæi terras proprias poſſideant, ſunt cogendi de eis decimas prædiales ſolvere Eccleſiæ Parochiali, ne hac occaſione Eccleſia illa ſuo jure fraudetur.

In 17. cap. quod incipit. *Quamvis*, ex eodem ſtatuitur, quòd Jus decimas, vel Oblationes recipiendi, Laicis nullo modo concedi poteſt; & Prælatus contrafaciens eſt graviter puniendus: eſt enim Jus Spirituale, cujus laicus eſt incapax.

In 18. cap. quod incipit. *Cum ſint*, ex eodem ſtatuitur, quòd Colonus habens domicilium in unâ Parochiâ, ſi in alia habeat Poſſeſſiones, ſeu Prædia, quæ excolit, tenetur decimas ſolvere, vel Parocho Domicilii, vel Parocho Prædiorum; & in hoc ſtandum eſt conſuetudini.

In 19. cap. quod incipit. *Prohibemus*, ex Concilio Lateranenſi, ſtatuitur, quòd

quòd ſi aliquis Laicus ab antiquo jus decimarum cùm animæ ſuæ periculo detinet, in alios Laicos nequit aliquo modo transferre. Quòd ſi contrafecerit, & Eccleſiæ eas decimas non reddiderit, Eccleſiaſticâ ſepulturâ eſt privandus.

In 20. cap. quod incipit. *Ad Apoſtolicæ*, ex Lucio III. ſtatuitur, quòd de jure communi decimæ perſonales dandæ ſunt Parocho, in cujus Eccleſia audiuntur Divina: Prædiales vero Parocho, in cujus Parochia ſita ſunt Prædia; niſi conſuetudo loci præſcripta repugnet.

In 21. cap. quod incipit. *Ex parte Canonicorum*, ex Clemente III. ſtatuitur, quòd de omnibus fructibus prædiorum Decimę perſolvendæ ſunt Eccleſiæ Parochiali, abſque aliqua diminutione.

In 22. cap. quod incipit. *Non eſt in poteſtate*, ex Cœleſtino III. ſtatuitur, quòd decimæ de omnibus terræ fructibus integraliter ſunt perſolvendæ, expenſis non deductis; & ad hoc debent Parochiani, per Ordinarios compelli etiàm ſub cenſura.

In 23. cap. quod incipit. *Ex tranſmiſſa*, ex eodem ſtatuitur, quòd decimę ſunt perſolvendæ, etiam de redditibus, qui proveniunt ex molendinis, quia ſicut terra, in qua eſt tale molendinum, ſubjacet oneri decimarum, ita & Molendinum.

In 24. cap. quod incipit. *A Nobis*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd tàm Locator, quàm conductor Poſſeſſionum tenentur ad ſolvendas decimas, unuſquiſque pro ſua parte; niſi aliquis eorum oſtendat ſe eſſe immunem ex Privilegio Papæ; Privilegium autem Papa non diſpenſat in his, quæ pertinent ad Jus divinum, ſcilicet in Jure ſolvendi decimas; ſed tale jus decimarum accomodat ipſis privilegiatis titulo ſubſtentationis, ut patet in Religioſis.

In 25. cap. quod incipit. *Tua*, ex eodem ſtatuitur, quòd conceſſio alicujus prædii facta alicui, etiam ab Imperatore ſub quacumque ampliſſimâ formâ libertatis à quovis onere, non poteſt eximere recipientem ab onere ſolvendi decimam pro tali Prædio: eſt enim Jus divinum, à quo per nullam ſæculatem poteſtatem quis eximi poteſt.

In 26. cap. quod incipit. *Tua nobis*, ex eodem ſtatuitur, quòd Dominus prædii, & Colonus debent decimas perſolvere ſine deductione ſeminis, & ſumptuum; quæ decimæ ſunt ab eis ſolvendæ, non cui voluerint, aut pauperibus, ſed propriæ Eccleſiæ Parochiali, cui de jure debentur; nec ab hoc poſſunt excuſari propter malitiam Clericorum: nam defectus perſonæ non præjudicat juri Eccleſię.

In 27. cap. quod incipit. *Ex parte tua*, ex eodem ſtatuitur, quòd Privilegium conceſſum Religioſis perſonis de decimis non ſolvendis, comprehendit nedùm prędia fructifera, ſed etiam novalia: quia ubi majus conceditur, videtur minus conceſſum.

In 28. cap. quod incipit. *Paſtoralis* ex eodem ſtatuitur, quòd Negotiator de lucro, quòd percipit ex negotiatione ſolvere tenetur decimam, deductis tamen expenſis: de Fructibus tamen prędiorum ſolvuntur decimę, expenſis non deductis, ſicut etiam de Fructibus Molendini, non deductis expenſis factis pro ejus reſtauratione.

In 29. cap. quod incipit. *Cùm contingat*, ex eodem ſtatuitur, quòd jure communi decimę pertinent ad Parochiales Eccleſias; poteſt tamen una Eccleſia pręſcribere Decimas in Parochia alterius, in qua ſi inſurgant Novalia, decimę ipſorum ad proprium Parochum pertinebunt.

In 30. cap. quod incipit. *Cùm in tua*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi aliqua Eccleſia pręſcripſit decimam alicujus prędii alterius Parochiæ, hęc pręſcriptio ad aliud prędium non extenditur: nam tale Privilegium, vel pręſcriptio non debet extendi, cùm ſit contra jus commune.

In 31. cap. quod incipit. *Dudùm*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Laici, etiamſi Regiâ gaudeant dignitate, non poſſunt aliis donare Eccleſias, aut jus percipiendi decimas; nullus enim poteſt donare aliis, quod ipſi poſſidere non licet. Laicus autem eſt incapax dominii rei Spiritualis.

In 32. cap. quod incipit. *In aliquibus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Domini prædiorum poſsint per Epiſcopum cogi,

etiam cenſuris, ſi opus fuerit, ut prædia ſua dent excolenda perſonis ſolventibus decimas; ſunt enim decimæ ſolvendæ de jure Divino, tamquàm Deo, & Eccleſiæ debitæ.

In 33. cap. quod incipit. *Cùm non ſit*, ex eodem, ſtatuitur, quòd decimæ debent dari de omnibus Fructibus terræ antequàm de illis ſolvantur cenſus, vel tributa; Decimas enim Deus ſibi reſervavit in ſignum univerſalis dominii; undè debent perſolvi integralitèr, & antè omnia alia Tributa.

In 34. cap. quod incipit. *Nuper*, ex eodem, ſtatuitur, in Concilio Lateranenſi, quòd Monachi Ciſtercienſes, Templarii, & hoſpitalarii qui erant privilegiati à ſolvendis decimis de prædiis, quæ propriis manibus, aut ſumptibus excolebant, poſt tale Concilium tenentur decimas perſolvere de prædiis de novo acquirendis, ſi antè à hæc prædia erant decimis obnoxia: nàm prædia tranſire debent cùm onere decimæ, nè Eccleſiæ fraudentur in eo, quod illis de jure debetur.

In 35. cap., quod incipit. *Interdicimus*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, nè aliqua Eccleſiaſtica perſona præſumàt in pignus accipere decimas detentas à Laicis, quæ ad alienas ſpectant Eccleſias, ſed cogendi ſunt Laici, ut eas perſolvant Eccleſiis, quibus de jure debentur.

TITULUS XXXI.

De Regularibus, & Tranſeuntibus ad Religionem in capita 24. diſtinctus.

Quia Eccleſiaſticarum perſonarum duo ſunt genera, ſcilicet Clericorum Sæcularium, & Clericorum Regularium: cùm in ſuperioribus Titulis actum ſit de Clericis Sæcularibus, & rebus eorum, ſequitur agendum in ſequentibus Titulis de Regularibus, & de his, quæ ad illos ſpectant.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 1. q.2. per totum. Cauſa 19. q.1. 2. & 3. Cauſa 20. q.1. 2.3. & 4., & Cauſa 27. q.1. 2.3.& 4. In 6.lib.3. Titulo 14. In Clement. lib. 3. Titulo 9. & in Extravagan. lib.3.

In 1. cap. quod incipit. *Nullus*, ex Concilio Moguntino, ſtatuitur, quòd nullus poteſt admitti in Religione per Profeſsionem, niſi in ætate legitima, quæ erat ſtatuta tunc temporis 14. annorum, & præter ætatem legitimam, niſi fuerit in eo ſpontanea voluntas aſſumendi ſtatum Religioſum. Modo tamen advertendum eſt ex Concilio Tridentino, quòd legitima ætas ad ingreſſum Religionis approbatæ eſt annus quintus decimus completus, ad profeſsionem verò ſextus decimus etiàm completus.

In 2. cap., quod incipit. *Si quis*, ex eodem Concilio, ſtatuitur, quòd ſi quis antè annos legitimos tonſuratus fuerit abſquè conſenſu Parentum ſuorum; ſi Parentes illius antè annum non reclament ad Papam, vel ad Epiſcopum loci, debet permanere in ſtatu Religionis, ſi aliàs ipſe velit perſerverare; nam ipſe habet tempus reſiliendi uſquè ad annum 14. completum; ſi autem factus ſit Religioſus in legitimâ ætate conſtitutus, ſed per vim; ſi infra annum nec ipſe, nec Parentes ad prædictas perſonas reclamaverunt, in Religione debet permanere: nàm præſumitur liber conſenſus, ſi non fiat reclamatio infra annum.

In 3. cap., quod incipit. *Ut Clerici*, ex Concilio Toletano, ſtatuitur, quòd Clericus Sæcularis, qui habitu, & nomine ſe fingit Monachum, debet compelli, ut vel fiat verè Monachus, vel habitum, & nomen dimittat; quià habitus non facit Monachum, ſed profeſsio Regularis.

In 4. cap., quod incipit. *Vidua*, ex Concilio Arelatenſi, ſtatuitur, quòd Vidua poſt aſſumptum habitum Religionis, antè emiſſam Profeſsionem, ſi ſpontè velum converſionis ſibi impoſuerit, & in Eccleſiâ inter Velatas oblationem Deo obtulerit, non poteſt reſilire à Monaſterio, licèt juret ſibi impoſuiſſe Velum animo illud deponendi: nam præſumptio eſt nimis vehemens in contrarium, nec illius ſoli juramento credendum; ſecùs ſi eſſent Teſtes.

In 5. cap., quod incipit. *Joannes*, ex Gregorio, ſtatuitur, quòd non licet Mo-

Monacho temerè tranſire de uno Monaſterio ad aliud; ſicut etiam ei nón licet habere peculium, & contrafacientes ſunt à ſuperioribus ſeverè puniendi.

In 6. cap., quod incipit. *Quia in inſulis*, ex Regeſto Gregorii, ſtatuitur, quòd in Inſulis, ubi nimis aſpera, & rigida eſt obſervantia Monaſtica, antè annum decimum octavum nullus recipitur: hoc enim eſt ſpeciale propter aſperitatem locorum.

In 7. cap., quod incipit. *Non eſt*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd Monachus, vel Converſus Ciſtercienſis Ordinis ſi abſquè licentia ſui Abbatis poſt emiſſam Profeſsionem de ſuo Monaſterio decedens ad alium locum ſe transferat, per Epiſcopum compellendus eſt per cenſuras, ut ad ſuum redeat Monaſterium.

In 8. cap. quod incipit. *Ad noſtram*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui antè annum 14. completum habitum Religionis ſuſceptum depoſuerit, aut ſi poſt 13. annum habitum ipſum Profeſſorum ſinè probationè ſuſceperit, & intra triduum depoſuerit, eſt liber, ut poſsit in Sæculo remanere, & Matrimonium contrahere: eſt enim nulla iſtorum Profeſsio antè tempus ſtatutum, & ſine probatione emiſſa.

In 19. cap. quod incipit. *Super eo*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui habitum Religionis aſſumit, facto Voto Religionis, ad ſæculum redire non poteſt, nè contrafaciat ſuo voto: ad aliam tamen Religionem laxiorem, ſi voluerit, tranſire poterit (ex ſpeciali tamen Summi Pontificis diſpenſatione.) Si autem aſſumpſerit habitum Religionis, abſquè eo quòd ſe obliget voto ad perſerverantiam, ſed præcisè ad probandam Religionis auſteritatem, antè Profeſsionem ad ſæculum redire poterit.

In 13. cap. quod incipit. *Porrectum*, ex eodem; ſtatuitur, quòd ſola Profeſſio, etiam ſine habitu Monachali, poteſt conſtituere Monachum; ut in eo Sæculari, qui in mortis articulo emittit profeſſionem in manibus Abbatis, dans ſe Religioni in Filium, & in Fratrem.

In 14. cap. quod incipit. *Cùm ſimus*, ex Cœleſtino III. ſtatuitur, quòd ſi Pater obtulit ſe cùm omnibus ſuis bonis, & Filio impubere alicui Monaſterio, hujuſmodi Filius factus major, poterit Religionem deſerere, & legitimam ſibi debitam à Monaſterio petere.

In 15. cap., quod incipit. *Sicùt*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd qui eſt furioſus, & mentis alienatæ, & profeſsionem emittit in aliquâ Religione, nulliter profitetur: nàm ad validitatem Profeſsionis requiritur ſanitas mẽtis, & deliberatio.

In 16. cap. quod incipit. *Ad Apoſtolicam*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Profeſsio Religioſa nec fieri poteſt à Novitio, nec recipi à Superiore, niſi expleto tempore probationis unius anni; facta tamen, & recepta tenet, quia hæc prohibitio facta eſt in favorem, tàm Novitii recepti, quam Religionis recipientis, ſed utraque pars poteſt cedere juri ſuo; unde in hoc caſu valet illa Regula, quòd multa prohibentur fieri, quæ tamen facta valent, quandò ſcilicèt prohibitio non habet annexam pœnam nullitatis; ſed modo profeſſio ſic facta, ex Tridentino eſt nulla.

In 17. cap. quod incipit. *Sicut*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui Religionis habitum in ægritudine ſuſcepit, & Profeſsionem emiſit, ſi convaleſcat, & in Sæculo vivens, habitum dimiſerit, eſt compellendus ad Monaſterium; nàm illa Profeſsio valida eſt, & obligat eum ad obſervantiam Regularem.

In 18. cap. quod incipit. *Licet*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Religioſus zelo ſanctioris vitæ ductus, poteſt ad aliam Religionem ſtrictiorem tranſire, petitâ prius licentiâ Prælati ſui, licet non obtentâ; etiam ſi primum Monaſterium ſit privilegiatum, quòd de illo ad aliud etiam ſtrictius tranſire non poſsit; tenetur enim Prælatus licentiam dare, nè videatur impedire propoſitum divinitùs inſpiratum.

In 19. cap. quod incipit. *Veniens*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi conjuges Religionem profiteantur, debent ſeparati ad invicem, & continentiam obſervare: quod de utroque eſt intelligendum.

In 20. cap. quod incipit. *Conſuli*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui ingreditur Religionem causâ experiendi Regularem obſervantiam, antè emiſſam profeſsionem poteſt ad Sæculum redire. ſi autem ingredia-

diatur Religionem cùm propoſito, vel voto Deo famulandi in Religione, antè Profeſsionem, poteſt quidem ab eâ Religione diſcedere, ſed ſaltèm tenetur ad laxiorem Regulam tranſire ex vi voti, vel propoſiti inſerviendi Deo in ſtatu Religionis.

In 21. cap. quod incipit. *Poſtulaſti*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Clericus, qui habitum Novitiorum aſſumpſit in aliqua Religione, & antè Profeſsionem ad ſæculum redit, licitè poteſt ad Ordines, & Beneficia promoveri. Nulla enim extat circa hoc prohibitio.

In 22. cap., quod incipit. *Ex parte tua*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd qui in ætate legitimâ ingreditur Religionem tamquàm Novitius, & ultra annum portat habitum Religioſum, ubi ſunt habitus indiſtincti Novitiorum, & Profeſſorum, cenſetur tacitè ſaltem profeſſus; undè tenetur permanere.

In 23. cap. quod incipit. *Statuimus*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd Novitius in anno probationis poteſt ad ſæculum redire, ſi non fecerit Profeſsionem nec expreſsè, nec tacitè; dummodò tamen non voverit Religionem animo deliberato mutandi ſtatum: tunc enim tenetur ad Religionem ſaltem laxiorem; ut autem diſcernantur Novitii à Profeſsis, debent Novitii diverſum habitum deferre: vel ſaltem ubi eſt uſus deferendi ſimilem habitum, debet habitus Novitiorum non benedici, ſecùs verò habitus Profeſſorum.

In 24. cap. quod incipit. *Ne Religioſi*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Religioſi fugitivi annuatim à ſuperioribus ſunt requirendi, & cogendi, ut ad Monaſterium revertantur: tenetur enim Paſtor Oves errantes ad Ovile reducere.

TITULUS XXXII.

De Converſione Conjugatorum in 21. cap. diſtinctus.

IN ſuperiori Titulo actum eſt de Regularibus, & de eorum ingreſſu in Religionem: ſed quia etiam Conjugati quandoque ad Religionis ſtatum tranſeunt, ideò de his præſentialiter eſt agendum.

Tractatur de hac materia in Decreto Cauſa 33. qu. 5. & Cauſa 27. q. 2. cap. *Sunt qui*, cùm duobus capitulis ſequentibus.

In 1. cap. quod incipit. *Præterea*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd alter Conjugum non poteſt ad Religionem tranſire, & profiteri; altero Conjuge in Sæculo remanente, & voto perpetuæ caſtitatis ſervandæ non ſe obligante, aliàs conjux profeſſus etiam ſi ſit, alteri eſt reſtituendus.

In 2. cap. quod incipit. *Verum*, ex eodem, ſtatuitur, quòd antè carnalem copulam poteſt alter conjugum, altero invito, Religionem profiteri, & remanens in ſæculo poteſt ad ſecunda vota tranſire: eſt enim tale matrimonium diſſolubile, cùm non ſint facti una caro.

In 3. cap., quod incipit. *Quidam*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi vir poſt conſumatum matrimonium, invitâ uxore, Religionem ingrediatur, & Profeſsionem emittat, debet reſtitui ſuæ uxori, quâ mortuâ, non tenetur ad Religionem redire, quia nullum fuit primum votum, cùm tunc non fuerit ſui juris, ſed uxoris: non poteſt tamen aliam uxorem ducere, quia ſe obligavit ad non petendum debitum, & in hac parte valet tale votum.

In 4. cap., quod incipit. *Cùm ſis præditus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd alter conjugum non poteſt ad Religionem tranſire, ſi ſimilitèr alter non tranſeat ad ſtatum Religioſum; vel ſi mulier ſit adcò ſenex, ut ſuſpecta non ſit, & votum perpetuæ caſtitatis in ſæculo emittat.

In 5. cap., quod incipit. *Conjugatus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ut conjugatus ad Sacros Ordines poſsit promoveri, non ſufficit aſsenſus uxoris, ſed neceſſariò requiritur, ut uxor perpetuam continentiam voveat.

In 6. cap. quod incipit. *Sanè*, ex eodem, ſtatuitur, quòd uxoratus in Epiſcopum promoveri non poteſt, niſi uxor Religionem profiteatur.

In 7. cap., quod incipit. *Ex publico*, ex eodem, ſtatuitur, quòd contracto matrimonio, ante conſumationem poteſt

alter

alter Conjugum in ſpatio duorum menſium, etiam alio conjuge invito, ad Religionem tranſire, & factâ Profeſsione, tale matrimonium eſt diſsolutum, utpotè non conſumatum.

In 8. cap. quod incipit. *Uxoratus*, ex eodem, ſtatuitur idem, quòd in cap. 4.

In 9. cap. quod incipit. *Ex parte*, ex Urbano III. ſtatuitur, quòd ſi vir ingrediatur, & profiteatur Religionem de conſenſu uxoris, ipsâ in ſæculo remanente, ſi ipſa poſtea virum ſuum repetat, ei eſt reſtituendus: mortuâ tamen uxore aliam non poteſt ducere, ſed tenetur ad ſuum Monaſterium tranſire, cùm votum ab eo factum de conſenſu uxoris validum ſit; unde debet compelli ad ejus obſervantiam.

In 10. cap. quod incipit. *Conſuluit nos*, ex Clemente III. ſtatuitur, quòd uxoratus, ſi uxore ſciente, & non contradicente, aut diſſimulante, Religionem profeſsus ſit, mortuâ uxore non poteſt Religionem deſerere, & aliam ducere: præſumitur enim uxorem conſenſiſse, undè ejus Profeſsio valida eſt, & votum continentiæ tenet.

In 11. cap. quod incipit. *Chariſſimus*, ex Cœleſtino III. ſtatuitur, quòd vir, & uxor pari conſenſu poſsunt continentiam vovere; ſed alter ſinè altero eam vovere non poteſt.

In 12. cap. quod incipit. *Placet nobis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi alter conjugum Religionem profiteatur, altero conjuge neſciente, vel pro mortuo exiſtimato, ſi iſte redeat, debet ei conjux reſtitui. Mortuo autem viro, conjux remanens, non eſt compellenda, ut ad Monaſterium redeat, quia votum emiſſum, licèt teneat quoad petitionem debiti, quod erat in ſua poteſtate, non tamen quoad permanentiam in Religione, quod erat in poteſtate mariti; undè non tenetur redire, licet teneatur ſervare continentiam.

In 13. cap., quod incipit. *Ad Apoſtolicam*, ex Innocentio III., ſtatuitur idem quod ſupra cap. 4.

In 14. cap., quod incipit. *Ex parte tua*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Matrimonium contractum, ſed non conſumatum dirimitur per Profeſſionem in Religione, etiam altero conjuge invito. Ad hoc autem non ſufficit Votum caſtitatis ſervandæ in Sæculo.

In 15. cap. quod incipit. *Conſtitutus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Uxor alicujus publicè adulteratur, Vir licitè poteſt ab ea ſeparari, & fieri Monachus, nec poteſt ab Uxore revocari, dummodo eam poſt adulterium non cognoverit.

In 16. cap., quod incipit. *Veniens*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Uxor non poteſt repetere Maritum, de cujus licentia Religionem intravit, ſi poſt ingreſſum ipſa non continuit: nam per hoc quòd ipſa ſit adulterata, amiſit jus repetendi Maritum.

In 17. cap.. quod incipit *Accedens*, ex eodem ſtatuitur, quòd Uxor poteſt repetere Maritum profeſſum in Religione, non obſtante licentiâ profitendi ab eâdem extorta per vim, & metum.

In 18. cap., quod incipit. *Significavit*, ex Innocentio III., ſtatuitur, quòd Uxor profeſſi, quæ dedit Viro licentiam profitendi, non eſt compellenda ingredi Religionem, ſi ipſa continens eſt, & non ſuſpecta.

In 19. cap., quod incipit. *Gaudemus*, ex Gregorio IX., ſtatuitur, quòd Adultera, quam Maritus ſibi reconciliare recuſat, ad agendam perpetuam pœnitentiam in Monaſterio eſt collocanda.

In 20. Cap., quod incipit. *Dudùm*, ex eodem ſtatuitur quòd Vir, & Uxor, etiam conſumato Matrimonio, ab omni jure, quod alter habet in alterum abſolvere poſſunt, & Caſtitatem Voto permittere; unuſquiſque enim cedere poteſt juri ſuo; ſi autem factâ tali ceſſione ex Voto, unus tantùm Religionem ingrediatur, & profiteatur, alter alterum repetere non poteſt, quia Voto ſe obligavit ad continentiam.

In 21. cap. quod incipit. *Mulier*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Uxor propter infidelitatem Viri, a Viro eſt ſeparanda judicio Eccleſiæ; Viro autem reverſo ad fidem, prædicta Mulier poteſt, etiam eo invito, ad Monaſterium tranſire, quòd ſi non tranſeat, Viro eſt reſtituenda. Videatur D. Thom. 2. 2. queſt. 186., ubi per decem Articulos agit

agit de his, quæ pertinent ad ſtatum Religionis, & queſt. 187. per 6. Articulos pertractat ea quæ Religioſis competunt, ex quibus elucidantur, quæ in hoc, & præcedenti titulo pertractantur.

TITULUS XXXIII.

De Converſione Infidelium, in duo Cap. diſtinctus.

IN ſuperiori Titulo actum eſt de Tranſitu Coniugatorum ad Religionem; nunc agendum eſt de eorum Converſione ad fidem.

Agitur de hac materia in decreto Cauſa 20. q. 1. & 2. & Cauſâ 32. qu. 8. cap. unico,

In 1. cap., quod incipit. *Laudabilem*, ex Cæleſtino III., ſtatuitur, quòd non poteſt quis contrahere Matrimonium cùm ea Muliere, cujus Maritum occidit, utroque, vel altero ranrum machinante mortem ipſius ad hunc effectum, ut ſimul contrahant; & ſi contrahant, nullum eſt Matrimonium, quia adeſt impedimentum criminis, quod impedit, & dirimit Et hoc verum eſt, etiàm ſi talis Vir, vel talis Mulier ex prædicto Matrimonio ad Fidem convertantur, quia compenſatio non habet locum in delictis.

In 2. cap. quod incipit. *Ex literis*, ex Gregorio X., ſtatuitur, quòd ſi alter Coniugum convertatur ad Fidem, altero in Infidelitate remanente, Filii eorum ante uſum rationis ſequi debent conditionem Coniugis converſi ad Fidem, & hoc in favorem Fidei: ſi autèm ſint in ætate capaci uſus rationis, non debent compelli, ſed ſpontè venire ad Fidem, aut remanere in Infidelitate: ſic D. Thom. 2. 2. queſt. 10. Art. 12. in Corp. ubi ſic ait: *Contra Iuſtitiam naturalem eſſet, ſi puer antequàm habeat uſum rationis, à cura parentum ſubtrahatur, vel de eo aliquid ordinetur invitis parentibùs; poſtquàm autem incipit habere uſum liberi arbitrii, jam incipit eſſe ſuus, & poteſt quantùm ad ea, quæ ſunt Iuris Divini, vel naturalis, ſibi ipſi providere; & tunc eſt inducendus ad fidem non coactione, ſed perſuaſione, & poteſt etiam invitis parentibus conſentire fidei, & baptizari, non autem antequàm habeat uſum rationis.* Hęc D. Thom.

TITULUS XXXIV.

De Voto, & Voti Redemptione in 11. Cap. diſtinctus.

QUià ſuperius dictum eſt de quodam Voto particulari, quod emittitur a Coniugatis tranſeuntibus ad Religionem, vel a Coniugatis converſis ad fidem; nunc eſt agendum de Voto in genere, & de ejus Redemptione, aut commutatione.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſâ 27. quæſt. 1. per totum, & Cauſâ 32. quæſt. 1. cap. *ſi reperietur*. In 6. lib. 3. Titulo 15.

In 1. cap, quod incipit. *De Peregrinationis*, ex Alexandro III., ſtatuitur, quòd Votum Peregrinationis poteſt juſtâ de Cauſâ eleemoſynis redimi, aut commutari ad arbitrium Epiſcopi, attentâ cauſâ rationabili, & qualitate Perſonæ voventis, neceſſitate, aut impoſſibilitate &c., in qua Commutatione, aut Redemptione attendendum, quid Deo magis poſſit eſſe placitum, & honorificum. Sic D. Thom. 2. 2. queſt. 88. Art. 12. de Voto ad 3. ubi ſic ait: *Quia Summus Pontifex gerit plenariè vicem Chriſti in tota Eccleſia, ipſe habet plenitudinem poteſtatis diſpenſandi in omnibus diſpenſabilibus Votis; Aliis autem inferioribus Prælatis committitur diſpenſatio in Votis, quæ communiter fiunt, & indigent frequenti diſpenſatione, ut habeant de facili homines ad quos recurrant, ſicut ſunt Vota Peregrinationum, & Iejuniorum, & aliorum hujuſmodi. Vota verò Majòra, Puta continentię, & Peregrinationis terræ Sanctæ reſervantur Summo Pontifici.* Hæc D. Thom.

In 2. cap., quod incipit. *Venientis ad Nos*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Vota facta in puerili ætate, doli tamèn capaci; licèt ſint valida, redimi tamèn, & commutari poſſunt eleemoſynis, quià videntur ex nimiâ facilitate facta potiùs,

quam

quàm ex diſcretione rationis.

In 3. cap. quod incipit. *Literarum*, ex eodem ſtatuitur, quòd proponens quis Religionem intrare, & exprimens propoſitum per verba generalia, abſque tamen animo obligandi ſe voto, non eſt voti tranſgreſſor, ſi propoſitum non adimpleat: aliud eſt enim propoſitum, aliud votum. Sic D. Th. loco citato art. 1. ubi in corpore probat, votum non conſiſtere in ſolo propoſito voluntatis, ſed etiam in promiſſione, his verbis: *Votum quamdam obligationem importat ad aliquid faciendum, vel dimittendum, obligat autem ſe homo homini ad aliquid per modum promiſſionis, qui eſt rationis actus, ad quem pertinet ordinare &c.*

In 4. cap. quod incipit. *Scriptura*, ex eodem ſtatuitur, quòd non dicitur frangere votum, qui illud in melius commutat: unde per ingreſſum Religionis ſolvitur votum Religioni non conſonum; quia temporale obſequium, quod Deo promittitur, convertitur in perpetuum.

In 5. cap. quod incipit. *Non eſt*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd non eſt voti tranſgreſſor, qui vel ex mandato Papæ, vel ex cauſa rationabili, aut neceſſariâ executionem illam differt.

In 6. cap. quod incipit. *Licet*, ex eodem ſtatuitur, quòd Eccleſia debet compellere per Cenſuram Hæredem, qui ſuſcepit in ſuâ perſonâ onus adimplendi votum, quod cæperat defunctus, viſitandi loca Sacra Palæſtinorum; & hoc ſub pœnâ etiam temporali amiſſionis Juris hæreditarii.

In 7. cap. quod incipit. *Magna*, ex eodem ſtatuitur, quòd Papa ex cauſa rationabili votum peregrinationis ad loca Sancta poteſt commutare in jejunia, Orationes, & Vigilias; tunc ſpecialiter cum ceſſat cauſa, propter quam votum eſt factum, cum hoc tamen, quòd expenſæ, quæ faciendæ forent in executione voti, integraliter mittantur in Terræ Sanctæ ſubſidium.

In 8. cap. quod incipit. *Quod ſuper his*, ex eodem ſtatuitur, quòd impedito ad tempus propter infirmitatem, aut paupertatem, propter quam votum ſuum exequi non poteſt, eſt concedenda dilatio; impedito enim perpetuò conceditur Redemptio voti, vel commutatio, attentâ poſſibilitate voventis.

In 9. cap. quod incipit. *Ex multa*, ex eodem ſtatuitur, quòd votum ultramarinum factum viſitandi loca Sancta, poteſt redimi, & commutari juſtis ex cauſis, ſed non niſi à Papa, vel ex ejus commiſſione; Si autem votum ſit factum cundi ab bellandum pro defenſione Terræ Sanctæ, & qui vovit, eſt habilis ad iter, ſed non ad pugnandum; ſi ſit ſtrenuus conſilio; aut valde dives, redimitur tale votum per hoc, quòd vovens vadat, & licèt non pugnet, conſilio tamen, & opibus aggregando milites in tali bello, ſubſidium præſtet. Maritus ſine conſenſu Uxoris poteſt ad tale votum ultramarinum ſe obligare, nec Uxor tenetur eum ſequi, niſi idem votum emiſerit. Clerici autem utpotè inutiles ad pugnandum, ſi tale votum emiſerint, eis eſt relaxandum, vel commutandum; ſi aliàs non ſint conſilio; aut divitiis profuturi in tali bello in ſubſidium Terræ Sanctæ. Quod autem dicitur de Redemptione voti ultramarini facti in ſubſidium Terræ Sanctæ, non eſt intelligendum de his, quibus labor peregrinationis in pœnitentia eſt injunctus; quia non debet talis pœnitentia commutari, niſi ſint inhabiles.

In 10. cap. quod incipit. *Per tuas*, ex eodem ſtatuitur, quòd qui votum emiſit Religionem ingredi infrà tale tempus, & votum non adimplevit, & ſucceſſu temporis ſit Epiſcopus, tenetur priùs votum ſuum implere, deindè Epiſcopatum acceptare; si tamen Capitulum talis Eccleſiæ eum jam conſtitutum in Religione de novo elegerit in Epiſcopum. Eſt enim de jure divino reddere Altiſſimo vota ſua.

In 11. cap. quod incipit. *Poſtulaſtis*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd Prælati etiam Regulares poſſunt ſe obligare per votum ultramarinum in ſubſidium Terræ Sanctæ; ſi tamèn eorum Eccleſię per hujuſmodi abſentiam enormiter non lędantur, & ipſi pariter verbo, & exemplo afferre poſſint utilitatem in tali bello: in quo caſu poſſunt ſibi applicare vigeſimam partem proventuum ſuarum Eccleſiarum jam determinatam, & deputatam Terrę

T Sanctę

Sanctę ſubſidio. De hac materia agit fuſè S. Th. 2. 2. qu. 88. de voto per 12. Articulos ex cujus doctrina deducuntur expreſsè, quę in hoc titulo continentur.

TITULUS XXXV.

De Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium, in octo capita diſtinctus.

QUia ſupra actum eſt de Converſione Conjugatorum ad Religionem, ad quem ſtatum aliquando ſe obligant voto ſolemni, ſicque ut in plurimum tales efficiuntur Monachi, vel Canonici Regulares: ideo de illis in præſentiarum eſt agendum.

Tractatur de hac materia in Decreto diſt. 58. & Cauſa 6. q. 1. & Cauſa 19. q. 1. & 2. per totum, & generaliter à Cauſa 16. uſquè ad 21. In 6. lib. 3. titulo 16. In Clement. lib. 3. tit. 10.

In 1. cap. quod incipit. *Theodoſius*, ex Gregorio, ſtatuitur, quòd Epiſcopus nihil juris habet in Monachos, niſi causâ correctionis, ſeu diſciplinæ, nec eis oblata poteſt ullatenùs ſibi vendicare; gaudent enim exemptione à lege Diœceſana.

In 2. cap. quod incipit. *Monachi*, ex Concilio Lateranenſi, ſtatuitur. Primò, quòd Monachi recipi non debent prætio in Monaſteriis ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, recipienti, & recepto incapacitatis ad ordines, ſic D. Th. 2. 2. qu. 100. art. 6. ad 5. quòd *ſi aliqui ſunt in Monaſterio ſimoniacè recepti debent abrenunciare &c.* Secundò quòd ſoli non debent poni in Parochiis, ſed ſaltem cùm alio Socio: nam *Væ ſoli*, quia ſi ceciderit, non habebit ſublevantem ſe. Tertiò, ſtatuitur, quòd Monachus non poteſt habere Peculium, niſi fortè ab Abbate fuerit ei pro injunctâ adminiſtratione permiſſum; undè ſi in morte inventum fuerit, aliquem Monachum habuiſſe peculium ſinè licentia Abbatis, & ita mortuum eſſe, abſquè eoquòd dignè pœnituerit, tamquàm excommunicatus privabitur ſuffragiis aliorum, & ſepulturâ Eccleſiaſticâ. Quartò, ſtatuitur, quòd ſi conferatur pecunia pro habendo aliquo officio in Monaſterio, tàm dans, quam recipiens deponuntur ex Miniſterio. Ultimò, ſtatuitur, quòd Priores, qui per electionem Canonicam Capituli fuerint inſtituti, non poſſunt removeri ſinè urgenti, & manifeſtâ causâ.

In 3. cap., quod incipit. *Recolentes*, ex Alexandro III. monentur Abbates Ordinis Ciſtercienſis, ut procurent in tali Ordine revocare primævam, & antiquam obſervantiam juxta præfati Ordinis ſancta inſtituta, amotis quibuſdam abuſibus, qui licèt non in omnibus, in pleriſque tamen irrepſerunt. Illos ſimilitèr, qui ab aliis Ordinibus ad Ordinem Ciſtercienſem ſe tranſtulerunt, debent compellere, ut totalitèr ejuſdem inſtitutioni in omnibus ſe coaptent.

In 4. cap., quod incipit. *Super*, ex Clemente III. ſtatuitur, quòd Canonicus Regularis, 'vel quicumque alius Religioſus habens proprium, ſi in morte illud non reſignavit in manu Superioris, non debet cùm Fratribus ſepeliri; & ſi ſepultus fuerit, indè debet exhumari, ſi ſinè ſcandalo fieri poteſt, eo quòd præſumitur Proprietarius, & mortuus in peccato mortali.

In 5. cap. quod incipit. *Quod Dei*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd Canonicus Regularis poteſt aſſumi ad regimen Parochialium Eccleſiarum, etiam Sæcularium, ſed debet habere Socium ſecùm ſui Ordinis, ſi commodè fieri poteſt.

In 6. cap. quod incipit. *Cùm ad Monaſterium*, ex eodem, ſtatuitur. Primò quòd Monachus lineis camiſiis uti non debet. Secundò quòd proprium habere non poteſt; & ſi proprium habeat in morte, in ſterquilinio eſt ſepeliendus. Tertiò, quòd debet in Oratorio, Dormitorio, Refectorio, & Clauſtro ſilentium ſervare. Quartò, quòd non eſt licitum Monacho carnes in Refectorio comedere. Quintò, quòd nulli Monacho eſt officium aliquod concedendum in perpetuum. Sextò, quòd tota jura Monaſterii ad Abbatem pertinent; poteſt tamen Prior ſub Abbate exiſtens Monachos corrigere: quòd ſi Abbas, vel Prior in ſuis officiis ſint negligentes, poſſunt per Superiores à ſuis Officiis deponi. Septimò, quòd cùm

Mona-

Monacho, quòd habeat proprium, non ſolùm Abbas non poteſt diſpenſare, ſed nec etiam Summus Pontifex; abdicatio enim proprietatis eſt de eſſentia ſtatus Religioſi. Sic D. Th. 2. 2. qu. 88. art. 1. ubi ſtatuit, Summum Pontificem non poſſe diſpenſare in Religioſis votum continentiæ, & in ſolutione ad 4. idem fatetur de Voto paupertatis his verbis: *Religioſus, qui ſit Epiſcopus ſicut non abſolvitur à Voto continentiæ, ita nec à Voto paupertatis, quia nihil debet habere tamquàm proprium, ſed ſicut diſpenſator communium bonorum Eccleſiæ*. Hæc D. Th.

In 7. cap. quod incipit. *In ſingulis*, ex eodem, ſtatuitur. Primò, quòd ſingulis trienniis Monachi, & Canonici Regulares celebrent commune Capitulum, in quo tractetur, de Reformatione Ordinis, & diſciplinâ regulari, ad quod Capitulum accedere debent omnes Abbates prædictæ Provinciæ. Secundò, quòd in tali capitulo debent eligi Viſitatores, quibus demandetur munus viſitandi Monaſteria Provinciæ, & ea ordinare, quæ in ipſis viderint expedire. Tertiò, ſtatuitur, quòd ſi prædicti Viſitatores cognoverint aliquem ex Abbatibus eſſe ab Officio removendum, debent Epiſcopo denunciare, ut illum amovere procuret: quòd ſi non fecerit, tales Viſitatores ad Sedem Apoſtolicam recurrent. Quartò, ſtatuitur, nè Epiſcopi, Clerici, aut Sæculares Monaſteria præſumant offendere in perſonis, aut rebus, ut Monachi liberiùs, & quietiùs Deo valeant famulari.

In cap. 8. quod incipit. *Ea quæ*, ex Honorio III. ſtatuitur. 1. quòd correctio Monachorum primò ſpectat ad Abbatem loci, qui tenetur ſubditos punire juxta gravitatem culpæ ſecundùm Regulam, vel Conſtitutiones Ordinis. 2. Statuitur, quòd ipſi Abbates ſi in hoc fuerint negligentes, debent à ſuis Superioribus, præſertim à Viſitatoribus puniri, & ſi culpa eorum ſit gravis, debent per Epiſcopum ab officio amoveri. 3. Statuitur, quòd Viſitatores in ſuis viſitationibus tenentur inquirere de viſitatione Prædeceſſorum, quòd ſi illi fuerint inventi culpabiles, debent denunciari in Capitulo Generali, ut condignè puniantur. 4. Statuitur, quòd in Monaſteriis ſi ſint Clerici Sæculares Beneficiati pro ſervitio Eccleſiæ, & ſeparati vivant à Monachis, in negotiis Monachorum non ſe ingerant. 5. Authoritatem Viſitatorum extendit etiam ad Moniales ejuſdem Ordinis, ut eas poſſint corrigere, ac punire juxta Inſtituta Regulæ, & Conſtitutionum. De hac materia agit S. Th. 2. 2. q. 186. per 10. articulos de ſtatu Religionis, & qu. 87. de Religioſis per 6. articulos, ſuper cujus doctrinâ fundantur quæ in hoc titulo, & ſequenti.

TITULUS XXXVI.

De Religioſis Domibus, ut Epiſcopo ſint ſubjectæ in 9. capita diſtinctus.

IN ſuperiori Titulo viſum eſt de ſtatu Religioſorum, & de his, ad quæ tenentur: nunc eſt agendum de eorum Domibus, ſeu Monaſteriis, & Eccleſiis, quibus ſcilicet ſubjiciantur.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 21. qu. 1. per totum, & Cauſa 16. qu. 7. cap. *Omnes Baſilicæ*, & Cauſa 18. q. 2. cap. *Quidam*. In 6. lib. 3. titulo 17. In Clement. lib. 3. titulo 11. In Extravag. lib. 3.

In cap. 1. quod incipit. *Nunc autem*, ex Gregorio, ſtatuitur, quòd Eccleſiæ Religioſorum, quando ſunt conſecrandæ, conſecrari debent ab Epiſcopo illius loci, ubi ſunt ſitæ tales Eccleſiæ, quod utique dignoſcendum eſt à collatione ſpiritualium tali Populo.

In 2. cap. quod incipit. *Quia Monaſterium*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Papa unit Eccleſiam unius Monaſterii derelicti, ſiti in una Diœceſi alteri Monaſterio ſito in alia Diœceſi, per talem unionem non ſit præjudicium Epiſcopo, in cujus Diœceſi eſt illa Eccleſia unita alteri Eccleſiæ: non enim Papa intendit per hoc auferre jus, quod habet in illa prior Epiſcopus; nulli enim præjudicare intendit.

In 3. cap. quod incipit. *De Xenodochiis*, ex Decreto Eugenii Papæ, ſtatuitur, quòd Xenodochia, & alia loca pia Ordinario loci ſubſunt, & ad ejus ſpectat

ſollicitudinem procurare, ut ea in illis exactè fiant, ad quæ ſunt inſtituta.

In 4. cap. quod incipit, *Ad hæc*, ex Urbano III. ſtatuitur, quòd locus authoritate Epiſcopi deputatus in uſus Pauperum pro Hoſpitali, aut pro recipiendis Peregrinis, eſt locus pius, ſeu Religioſus; undè non poteſt in uſus prophanos converti.

In 5. cap. quod incipit. *Inter quatuor*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd Eccleſiæ Religioſorum debent reformari per ipſoſmet Religioſos, non per Sæculares Clericos, niſi in caſu, quo deficiant Regulares; neceſſitas enim non ſubeſt legi.

In 6. cap. quod incipit. *Conſtitutus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Eccleſia Regularium tenetur Ordinario loci quoàd Epiſcopalia, niſi hæc jura appareant ab Epiſcopo legitimè remiſſa; pro quâ remiſſione jurium Epiſcopalium poteſt Epiſcopus aliquam penſionem annuam ſibi retinere.

In 7. cap. quod incipit. *Cùm Venerabilis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Epiſcopus prætendens habere jus Spirituale, & Temporale ſuper aliquâ Eccleſiâ Religioſorum; quo ad primum ſufficienter obtinet, ex eo quòd probat talem Eccleſiam eſſe in ſua Diœceſi, ſi tamen Religioſi non oſtendant, talem Eccleſiam eſſe authoritate Papæ, aut Privilegio exemptam; in Temporalibus autem non ſufficit oſtendere eam Eccleſiam eſſe in ſua Diœceſi, ſed inſuper debet clarè probare ejus bona ad Sedem Epiſcopalem pertinere.

In 8. cap. quod incipit. *Cùm dilectus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Monaſteria Religioſorum ſunt ſubjecta juriſdictioni Epiſcoporum, in quorum Diœceſibus ſunt ſita; niſi probetur ea eſſe exempta Privilegio Apoſtolico, vel legitimâ præſcriptione.

In 9. cap. quod incipit, *Ne nimia*, ex eodem, ſtatuitur. 1. Ne quis ſine ſpeciali aſſenſu Romani Pontificis novam Religionem inſtituat, ſed unam de approbatis aſſumat, ne nimia Religionum diverſitas gravem in Eccleſiâ Dei confuſionem inducat. 2. Quòd ille, qui voluerit religioſam domum de novo fundare, debet accipere Regulam, & Conſtitutiones ex Religionibus jam approbatis. 3. Statuitur, ne quis in diverſis Monaſteriis locum Monachi habere præſumat. 4. Statuitur, ne idem Abbas poſſit ſimul pluribus Monaſteriis præſidere.

TITULUS XXXVII.

De Cappellis Monachorum, & aliorum Religioſorum in quatuor capita diſtinctus.

POſtquàm actum eſt de Domibus Religioſorum in genere, nunc eſt agendum de eorum Cappellis.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 16. q. 1. cap. *Pervenit*, & qu. 2. per totum. In 6. lib. 3. tit. 18.

In 1. cap. quod incipit. *In Eccleſiis*, ex Urbano III. ſtatuitur, quòd Monaſteria, quæ habent Parochias, debent habere Sacerdotem Sæcularem tamquàm Cappellanum, inſtitutum ab Epiſcopo de conſilio Monachorum, qui Populum regat, & viſitet, cùm neceſſè fuerit: nàm Monachi curam Populi habere non debent, cùm ſint addicti contemplationi.

In 2. cap. quod incipit. *Dilectus Filius*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd ſi aliqua Eccleſia non Cathedralis prætendat aliquod jus contra, vel in Eccleſia Religioſorum, obtinebit ſolùm quoad ea, quæ probabit ſibi deberi vel Privilegio, vel præſcriptione, vel alio legitimo titulo.

In 3. cap. quod incipit. *Ex parte tua*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd in Prioratibus Monachorum non poſſunt ſinguli Monachi commorari, etiamſi ſuper hoc habeant reſcriptum Apoſtolicum, dummodò per tale reſcriptum non ſit derogatum expreſsè Concilio Lateranenſi.

In 4. cap. quod incipit. *Ad audientiam*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Ordinarius loci poteſt compellere Abbatem, ut revocet ad Clauſtrum Monachos ſingulos exiſtentes in Prioratibus, vel eis Socios adjungat; & hoc ex Decreto Concilii Lateranenſis.

TI-

TITULUS XXXVIII.

De Jure Patronatus in 31. capita diſtinctus.

QUia in ſuperiori Titulo actum eſt de Eccleſiis ſeu Cappellis Monachorum; & quia plerumque accidit, Eccleſias, vel Cappellas habere Dominos, ſcilicet Fundatores, ſeu Dotatores, qui in prædictis habent jus præſentandi, ſeu nominandi, unde tales Eccleſiæ, ſeu Cappellæ dicuntur Juris Patronatus, ideo nunc ſubjicitur præſens titulus, ſcilicet de Jure Patronatus.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 16. q. 5. cap. *Si quis Epiſcoporum*, & q. 6. cap. *Piæ mentis*. In 6. lib. 3. titulo 19. & in Clemen. lib. 3. tit. 12.

In 1. cap. quod incipit. *Perlatum eſt*, ex Concilio Mediolanenſi, ſtatuitur, quòd ſi fuerint plures Patroni ejuſdem Eccleſiæ, Eccleſia non eſt dividenda, ſed Patroni debent convenire ſaltem pro majori parte in nominatione, ſeu præſentatione: ſi autem æqualiter diſcordent, & nullo modo conveniant, debet Epiſcopus eos compellere per ſubtractionem divinorum in tali Eccleſiâ, donec concordent.

In 2. cap. quod incipit. *Quæcumque Eccleſia*, ex Concilio Triburienſi, ſtatuitur idem, quod in ſuperiori capite.

In 3. cap. quod incipit. *Quoniam*, ex Concilio Lateranenſi, ſtatuitur, quòd ſi Patroni, ad quos ſpectat jus præſentandi, diſcordent, debet præferri præſentatus à majori parte: ſi autem non præſentent, vel partes ſint æquales, & interim tranſactum ſit tempus præſentandi, ſcilicet ſpatium quatuor menſium, ad Epiſcopum pertinebit providere tali Eccleſiæ de Rectore.

In 4. cap. quod incipit. *Præterea*, ex eodem Concilio Lateranenſi, ſtatuitur, eſſe excommunicandos Laicos, etiam Patronos, qui præſumunt abſquè authoritate Epiſcopi inſtituere, aut deſtituere in Ordinatione, ſeu Proviſione talium Eccleſiarum: ſimilitèr eſſe excommunicandos prædictos Laicos Patronos, ſi bona ſuarum Eccleſiarum, propria authoritate, tamquàm ſua adminiſtrent, alienent, aut damnificent. Clericos verò recipientes Eccleſias de manu Patroni Laici, abſquè Canonicâ Inſtitutione Epiſcopi, privandos eſſe communione, & Eccleſiis, ſi ſtatìm non reſignent.

In 5. cap. quod incipit. *Quod autem*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd licitum eſt Laico Patrono, vacante Beneficio Juris Patronatus, variare Præſentationem antè Inſtitutionem Epiſcopi, undè poteſt duos ſucceſſivè præſentare, & Epiſcopus poteſt, priore relicto, inſtituere ſecundum: non poteſt tamen Patronus abſque conſenſu Epiſcopi Eccleſiam Patronatam alteri Eccleſiæ, vel Collegio, aut Capitulo conferre, vel donare, cùm ſit Jus Spirituale, quod ſpectat ad Epiſcopum, ad quem ſpectat Inſtitutio.

In 6. cap. quod incipit. *Quia Clerici*, ex eodem, ſtatuitur, quòd non eſt licitum emere Jus Patronatus ad effectum, tali Beneficio vacante, præſentandi Filium, vel Nepotem: videtur enim Simonia, cùm Jus præſentandi ſit res rei Spirituali annexa; ſi autem quis ſuccedet in Jure Patronatus abſquè emptione, is poterit Filium, aut Nepotem præſentare: nam in hoc nulla eſt ſpecies Simoniæ. Sic D. Th. 2. 2. qu. 100. art. 4. in corpore ubi ait: *Quædam ſunt annexa ſpiritualibus inquantum ad ſpiritualia ordinantur, ſicut jus Patronatus, quod ordinatur ad præſentandum Clericos ad Eccleſiaſtica beneficia, & vaſa ſacra, quæ ordinantur ad Sacramentorum uſum; unde hujuſmodi non præſupponunt Spiritualia, ſed magis ea ordine temporis præcedunt; & ideo aliquo modo vendi poſſunt, non autem inquantum ſunt Spiritualibus annexa*, & in ſolutione ad 3. *Jus autem patronatus per ſe vendi non poteſt, nec in fœudum dari, ſed tranſit cùm villa, quæ venditur, vel conceditur &c.*

In 7. cap. quod incipit. *Ex literis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Jus Patronatus conſiſtat in aliqua Univerſitate temporalium: ſi talis Univerſitas tranſeat ab uno ad alium quoad utile dominium, puta Fœudum, aut Emphitheuſim, tranſit etiam in illum Jus Patronatus, niſi in contractu ſpecificè excipiatur: nàm acceſ-

ſorium

ſorium ſequitur principale,

In 8. cap. quod incipit. *Illud*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Laicus Patronus concedat Clerico, vel Religioſo, abſquè licentiâ Epiſcopi ſuam Eccleſiam Juris Patronatus, talis conceſſio non tenet; undè poterit Patronus eamdem Eccleſiam alteri dare de conſenſu Epiſcopi, aut alium præſentare, cùm talis Eccleſia vacaverit: non enim amittit Jus præſentandi, vel donandi, ſi hoc faciat de licentiâ tamen Epiſcopi.

In 9. cap. quod incipit. *Quarimoniam*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi accidat mutatio Patronorum in aliqua Eccleſia; non per hoc eſt mutandus, ſeu variandus Sacerdos, qui fuit jam à Patrono præſentatus, & ab Epiſcopo inſtitutus; nàm ad mutationem Patronorum non debet mutari depoſitio Eccleſiarum.

In 10. cap. quod incipit. *Cùm Laici*, ex eodem, ſtatuitur idem quod ſtatutum eſt in capite 8.

In 11. cap., quod incipit. *Curæ Paſtorali*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Religioſi non poſſunt retinere Eccleſias Juris Patronatus ſibi a laicis conceſſas ſinè Epiſcopi conſenſu, niſi oſtendant, ſe legitimè præſcripſiſſe, aut poſtea Diœceſanum conſenſiſſe.

In 12. cap., quod incipit *Si verò*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Patroni Eccleſiæ vacantis non præſentent infrà tempus a jure ſtatutum, ſcilicet quatuor menſium, Epiſcopus debet inſtituere Rectorem in tali Eccleſia; repreſentandum deinde ei, qui verè, & juridicè judicabitur Patronus.

In 13. cap., quod incipit. *Cùm ſæculum*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi jus Patronatus alicujus Eccleſiæ Parochialis, vel etiam non Parochialis tranſeat ad Religioſos exemptos; non per hoc debet in aliquo lædi Jus Epiſcopale.

In 14. cap., quod incipit. *Ex inſinuatione*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Eccleſia Juris Patronatus non poteſt occupari ſine legitimo conſenſu, ſeù præſentatione Patroni.

In 15. cap., quod incipit. *Conſuluit Nos*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Eccleſia etiam juris Patronatus non poteſt poſſideri jure hæreditario; undè Patronus poteſt quidèm præſentare, ſeu nominare Filium, vel Nepotem ad Eccleſiam quam fundavit, ſed conceſſio, vel Inſtitutio propriè pertinebit ad Epiſcopum loci; undè non conceditur jure hæreditario.

In 16. cap, quod incipit. *De jure vero*, ex eodem, ſtatuitur, quòd jus Patronatus cùm ſit ſpirituali annexum emi, vel vendi non poteſt, per ſe loquendo; per accidens autem, & ex conſequenti ſcilicèt cùm eſt annexum Univerſitati, vendi, vel emi poteſt, ſi ipſa vendatur, aut ematur. ſic D. Thom. loco nuper citato.

In 17. cap., quod incipit. *Nullus*, ex eodem ſtatuitur, quòd nullus Laicus, etiamſi Patronus poteſt ſine Epiſcopi, aut Papæ conſenſu donare Decimas Eccleſiæ, vel aliud Spirituale, aut Spirituali annexum loco pio, etiam Religioſo: Laicus enim nullum habet jus ſuprà Spirituale, vel ſuper Spirituali annexum, undè illud nec vendere, nec donare poteſt.

In 18. cap., quod incipit. *Significaſti*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi aliquis Epiſcopus habeat jus Patronatus in Eccleſia alterius Diœceſis, præſentatus ab ipſo, etiamſi ſit alterius Diœceſis debet admitti ab eo, ad quem ſpectat, dummodo ſit idoneus: non enim eſt neceſſe, ut ſit ejuſdem Diœceſis.

In 19. cap., quod incipit. *Conſultationibus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi aliquis Clericus fuerit inſtitutus ad preſentationem alicujus Patroni, qui actu poſſidebat jus Patronatus illius Eccleſiæ, non debet removeri, etiamſi talis Patronus poſteà tale jus amiſerit, dummodo in tali poſſeſſione interfuerit bona fides, & titulus coloratus.

In 20. cap., quod incipit. *Suggeſtum eſt*, ex eodem, ſtatuitur, quòd conceſſio alicujus Eccleſiæ Juris Patronatus facta per ſolum Patronum alteri Eccleſiæ, vel loco Religioſo, non valet; unde ſi poſteà eadem Eccleſia cōcedatur alteri Eccleſiæ, aut alteri loco Religioſo ab eodem Patrono cùm conſenſu Epiſcopi, valet, nàm Laicus etiam Patronus non habet jus donandi, ſeu concedendi Eccleſiam ſine Epiſcopi licentiâ,

In

In 21. cap., quod incipit. *Relatum eſt*, ex eodem ſtatuitur, quòd Clerici recipientes ex manu laici Patroni abſquè conſenſu Epiſcopi Eccleſias juris Patronatus, ab Officio, & Beneficio ſunt removendi; ſicut etiam laici ſpoliantes Eccleſias Bonis ſuis ſunt excommunicandi.

In 22. cap., quod incipit. *Eam te decet*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Queſtio ſit circà jus Patronatus pertinens ad Perſonas Eccleſiaſticas, & talis Quæſtio infrà tres menſes a tempore vacationis non fuerit terminata, poterit Epiſcopus ſine præſentatione ibidem inſtituere Rectorem. Loquitur hæc Decretalis de jure Patronatus ſpectante ad Eccleſiaſticos: nam ſi ſpectet ad laicos, 4. menſes ſufficiunt.

In 23. cap, quod incipit. *Præterea*, ex Lucio III. ſtatuitur, quòd Patronus non poteſt aliquid alienare propria authoritate ab Eccleſia juris Patronatus, nec aliquod ab ea temporale exigere; niſi forte tempore fundationis illud fuerit ſibi a Diœceſano reſervatum titulo gratitudinis, aut recognitionis.

In 24. cap., quod incipit. *Cùm autem*, ex eodem ſtatuitur, quòd Patronus laicus, vacante Eccleſiâ juris patronatus, poteſt ſucceſſivè plures idoneos præſentare, nullo excluſo, & tunc pertinebit ad arbitrium Epiſcopi aliquem ex illis inſtituere, quem voluerit. Si autem præſentatio fiat a Collegio, vel Eccleſiaſticâ perſonâ, hæc variari non poteſt: undè tenetur Epiſcopus primum præſentatum inſtituere; nam prior tempore eſt potior jure.

In 25. cap., quod incipit. *Nobis fuit*, ex Clemente III. ſtatuitur 1. quòd jus patronatus acquiritur ab eo, qui ex ſuis Bonis conſtruit Eccleſiam de conſenſu Epiſcopi. 2. ſtatuitur, quòd patronus alicujus Eccleſiæ Conventualis non habet jus eligendi Prælatum talis Eccleſiæ; hoc enim ſpectat ad vocales: habet tamen jus nominandi, vel præſentandi Cappellanos in illa Eccleſia. 3. ſtatuitur, quòd patrono debetur honor, & gratitudo. 4. quòd ſi patronus ad inopiam, & egeſtatem reducatur, Eccleſia illi debet ſuccurrere: hoc enim exigit Charitas, & gratitudo.

In 26. cap., quod incipit. *Per noſtras*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd Patronus Eccleſiæ vacantis, etiamſi ſit Clericus, ad eam ſeipſum præſentare non poteſt: nam nullus poteſt ſe ipſum ingerere Eccleſiaſticæ Prælationis Officio; hoc enim eſt prohibitum in Sacris Canonibus.

In 27. cap., quod incipit. *Cùm propter*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi quæſtio juris patronatus inter patronos laicos non terminetur in ſpatio 4. menſium, Epiſcopus abſque præſentatione inſtituet Rectorem Eccleſiæ abſque præjudicio eorum, quibus de jure ſpectabit præſentare.

In 28. cap., quod incipit. *Cùm dilectus*, ex eodem ſtatuitur, quòd Legatus de latere poteſt ſibi reſervare collationem Eccleſiæ juris patronatus, etiàm Eccleſiâ ipsâ non vacante, cùm ſcilicèt 1. vacaverit, ſi tale jus patronatus pertineat ad Perſonas Eccleſiaſticas; ſecùs ſi pertineat ad Laicos: nàm ſuper Eccleſiaſticos habet ſpecialem juriſdictionem collationis.

In 29. cap., quod incipit. *Paſtoralis*, ex eodem; ſtatuitur quòd ſi vacante Eccleſiâ juris patronatus, a patrono laico præſentetur idoneus, quem Epiſcopus malitiosè recuſat, debet patronus alium præſtare, quem ſi Epiſcopus inſtituat, primo expulſo quamvis appellante, valebit quidem Inſtitutio ſecundi; tenebitur tamèn Epiſcopus providere primùm de alia Eccleſia, ſeù Beneficio in pœnam injuriæ factæ primo: ſicque punitur Epiſcopus in eo, quod deliquit.

In 30 cap., quod incipit. *Poſtulaſti*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi aliquis fuerit ordinatus ad Titulum Eccleſiæ juris patronatus per præſentationem Rectoris illius Eccleſiæ, non habito conſenſu à Patrono, poterit patronus, cùm Eccleſia vacaverit alium præſentare, primo expulſo: nàm illa præſentatio Rectoris, inſcio vero Patrono, nulla eſt, nec præjudicium poteſt afferre vero patrono, cujus eſt præſentatio.

In 31. cap., quod incipit. *Tranſmiſſa*, ex Gregorio IX., ſtatuitur, quòd patronus, etiamſi ſit Clericus, non poteſt

teſt Eccleſiam vacantem conferre, ſed ſolum ad eam præſentare: Collatio enim & Inſtitutio de jure ſpectat ad Ordinarium. Undè ſi talis patronus Clericus alicui contulerit Eccleſiam vacantem, illo amoto, poterit, & debebit alium præſentare: non enim per hoc amiſit jus præſentandi.

TITULUS XXXIX.

De Cenſibus, exactionibus, & Procurationibus, in 27. capita diſtinctus.

Dictum eſt in Superiori Titulo de quodam onere aliquarum Eccleſiarum, ſcilicet de onere Juris Patronatus, quod conſiſtit in recognitione Patroni quoad Præſentationem, vel nominationem: nunc ſequitur agendum de aliis oneribus, quæ habent Eccleſiæ reſpectu aliarum Perſonarum: ideò ponitur præſens Titulus de Cenſibus, exactationibus, & Procurationibus.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 10. qu. 2. & qu. 3. per totum, & Cauſa 11. qu. 1. cap. *Si tributum*, & Cauſa 23. qu. ultima §. *Eſſe*, & in 6. lib. 3. titulo 20. & in Clementinis lib. 3. tit. 13.

In 1. cap. quod incipit. *Sanctum eſt*, ex Concilio apud Guarmaciam, ſtatuitur, quòd quotieſcumque fundanda eſt Eccleſia, debet illi tribui pro dote unus menſus, ſcilicet una poſſeſſio ſufficiens pro illius conſervatione, & Clericorum ibi inſervientium, quæ poſſeſſio, in fundatione illi tributâ, debet eſſe libera ab omni onere temporali, præter onus Eccleſiaſticum: ea autem, quæ poſtea advenirent Eccleſiæ, tranſeunt cum onere.

In 2. cap. quod incipit. *Omnis anima*, ex Auguſtino, dicitur, quòd ſolutio Tributi arguit ſubjectionem: unde & laici tenentur Principi Laico Tributa ſolvere: ſicut etiam Clerici tenentur ſolvere Tributa Superioribus Eccleſiaſticis.

In 3. cap. quod incipit. *Scientes*, ex Gregorio ſtatuitur, quòd Epiſcopus nec debet, nec poteſt novum cenſum, vel onus Monaſterio imponere, ſed debet eſſe contentus de onere, quod ab initio fuit impoſitum.

In 4. cap. quod incipit. *Licet multum*, ex eodem Gregorio, ſtatuitur, quòd miſerabiles Perſonæ, ut cæci, & pauperes non debent compelli ab Eccleſiaſticis ad ſolvendas collectas, ſed potius ex collectis debent Eccleſiaſtici ipſis ſubvenire: non enim addenda eſt afflictis afflicto.

In 5. cap. quod incipit. *Pervenit*, ex Paſchali II. ſtatuitur, quòd petens ab aliquo Cenſum, ſeu Tributum, debet exprimere cauſam, & rationem oſtendere talis petitionis; aliàs debitor non tenetur ſolvere: ſpectat enim ad Actorem probare cauſam ſuæ petitionis.

In 6. cap. quod incipit. *Cum Apoſtolus*, ex Concilio Lateranenſi, ſtatuitur, quòd Prælati Eccleſiaſtici viſitantes ſuas Diœceſes, procurationes debent recipere moderatas, & juxtà facultates Eccleſiarum, quas viſitant, nec debent in viſitationibus ſecum ferre Canes venaticos, vel aves, nè videantur viſitare cauſa recreationis, vel ſolatii, ſed ſolum, zelo honoris Dei, & utilitatis Spiritualis ſuorum ſubditorum. Qui ſubditi non ſunt ab eis gravandi taliis, aut exactionibus; ſed in caſu neceſſitatis poſſunt Prælati ab eis petere moderatum auxilium.

In 7. cap. quod incipit. *Prohibemus*, ex eodem ſtatuitur, quòd novi Cenſus, ſivè nova onera à Prælatis Eccleſiaſticis ſuis Eccleſiis imponi non debent, nec vetera onera augeri, ſed conſervandæ ſunt Eccleſiæ in ſua libertate à novis oneribus: nulli enim eſt præjudicandum.

In 8. cap. quod incipit. *Propterea*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd Rector Eccleſiæ non poteſt abſque aſſenſu, & facultate Epiſcopi reddere Eccleſiam ſuam cenſualem, etiam in favorem Religioſorum. Quòd ſi fecerit, ad ſummum tenebitur talis Rector, ſuâ vitâ durante, ſolvere talem Cenſum, qui cum ſit tantum perſonalis, extinguitur cum perſona. Ad hoc autem, ut ſit perpetuus, requiritur aſſenſus Papæ, vel ſaltem Epiſcopi.

In 9. cap. quod incipit. *Eccleſiis*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Epiſcopus aliquam Eccleſiam de manu Laici recuperet, non per hoc poteſt tali Eccleſiæ imponere cen-

Digitized by Google

cenſum, præter ſolitum Cathedraticum, & alia, quæ ab aliis Eccleſiis de Jure Epiſcopo perſolvuntur.

In 10. cap. quod incipit. *Innovamus*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſoli Reges, aut Principes nova Pædagia, ſeu exactiones poſſunt conſtituere: qui autem ſinè Regum, vel Principum conſenſu ea imponere auſus fuerit, communione eſt privandus.

In 11. cap. quod incipit. *Cum Clerici*, ex eodem ſtatuitur, quòd Clericus, qui per colluſionem Eccleſiam ſuam conſtituerit Cenſualem alteri Eccleſiæ, vel loco Pio, vel etiam Patrono, tali Eccleſiâ eſt privandus in pœnam; nec talis impoſitio Cenſus, eſt valida.

In 12. cap. quod incipit. *Ea qua*, ex eodem ſtatuitur, quòd Collectores Eccleſiaſtici non debent prætextu ſui Officii Eccleſias injuſtè gravare; quòd ſi fecerint, ſunt ab officio removendi: qui enim abutitur poteſtate, ſeu Officio ſibi tradito, privari tenetur.

In 13. cap. quod incipit. *Significavit*, ex Lucio III. ſtatuitur, quòd Juramentum præſtitum à Clerico, ſivè Rectore Eccleſiæ de novo Cenſu, ſeu penſione ſolvendâ alteri Eccleſiæ, vel alteri Perſonæ, relaxandum eſt: eſt enim de re illicita; non poteſt enim Eccleſia gravari abſque legitima authoritate.

In 14. cap. quod incipit. *Sopita*, ex eodem ſtatuitur, quòd Archiepiſcopus in Viſitatione ſuæ Provinciæ, procurationes ab Eccleſiis de jure exigere debet juxta earum facultates: Quod etiam intelligitur de Monaſteriis, niſi hęc probent eſſe exempta Privilegio, vel præſcriptione legitimâ.

In 15. cap. quod incipit. *Gravis admodùm*, ex Clemente III. ſtatuitur, quòd nullus Patronus Eccleſiæ, poteſt tali Eccleſiæ novum Cenſum, ſeu penſionem imponere: & ſi ſuper hoc Juramentum, aut cautionem exegerit, debet cogi, ad abſolvendum, vel relaxandum Debitorem.

In 16. cap. quod incipit. *Quanto*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd in fundatione Eccleſiarum poteſt imponi Cenſus, ſeu penſio de voluntate Fundatoris de conſenſu Epiſcopi, in favorem alicujus Monaſterii, ut ex tali annuo Cenſu vivant in eo Religioſi; qui ſi numero excreſcant, itaut Eccleſia illa nimis gravaretur, augendo Cenſum, tenebitur Eccleſia ſolvere cenſum ſolitum juxta menſuram à principio impoſitam, vel à Fundatore, vel ex legitimâ conſuetudine.

In 17. cap. quod incipit. *Cum inſtantia*, ex eodem ſtatuitur, quòd omnes, Eccleſiæ Legatos, & Nuncios Romanæ Eccleſiæ procurare tenentur, niſi ſpeciale Privilegium Sedis Apoſtolicæ pro ſua exemptione oſtendant, non obſtante qualibet præſcriptione in contrarium; nam in his non habet locum præſcriptio, cum Legati, & Nuncii Apoſtolicæ Sedis mittantur in favorem Eccleſiarum: undè ab omnibus Eccleſiis eis debentur procurationes, moderatæ tamen, & ſecundùm facultates Eccleſiarum.

In 18. cap. quod incipit. *Ex parte*; ex eodem ſtatuitur, quòd ſi aliquis ex voto obligavit ſe, & ſuos Hæredes in perpetuum ſolvere annuatim alicui Eccleſiæ aliquam menſuram tritici, aut vini &c. etiamſi menſura illa uſualis mutetur, tenentur Succeſſores perſolvere juxta menſuram antiquam, & uſitatam tempore, quo fuit impoſita obligatio, quæ non variatur ad variationem menſurarum.

In 19. cap. quod incipit. *Cum olim*, ex eodem ſtatuitur, quòd eo ipſo quòd aliqua Eccleſia ſita eſt in Diœceſi alicuius Epiſcopi, ei tenetur reſpondere de procurationibus, ſcilicet ſolvendo quartam Decimarum, & alia Epiſcopalia, ſi aliàs non fuerit inita compoſitio, ſeu tranſactio.

In 20. cap. quod incipit. *Olim*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſolutio Penſionis, ſeu Cenſus fieri debet in illâ monetâ, quæ ab initio fuit conſtituta, ſi eſt adhuc in uſu, aliàs ad ejus exiſtimationem: unde in his principium conſiderandum eſt.

In 21. cap. quod incipit. *Cum venerabilis*. ex eodem ſtatuitur, quòd Epiſcopus quantumcumque eximat aliquam Eccleſiam ab onere, ſeu penſionibus de jure debitis Epiſcopo; puta Cathedratico, Synodatico &c. non intelligitur eam eximere à Procuratione, quæ ei debetur ratione viſitationis, si aliàs talem Eccleſiam viſitet causâ Correctionis ſecundùm Canones.

In 22. cap. quod incipit. *Super eo*, ex eodem ſtatuitur, quòd in Viſitationibus, & Procurationibus exigendis in novis Eccleſiis, conſuetudo vicinarum Eccleſiarum, & Provinciarum debet attendi.

In 23. cap. quod incipit. *Procurationes*, ex eodem in Concilio Generali Lateranenſi ſtatuitur, quòd Procuratio peti non debet ab Eccleſiis, niſi Prælatus eas actu viſitet; quòd ſi eas abſque viſitatione receperit, eas reſtituere tenetur: Procurationes enim dantur propter Viſitationes.

In 24. cap. quod incipit. *Venerabili*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd omnes Eccleſiæ, etiam Monaſticæ, tenentur ſolvere Procurationes Epiſcopo viſitanti, non obſtante qualibet præſcriptione in contrarium, dummodo non oſtendant ſpeciale Privilegium in contrarium.

In 25. cap. quod incipit. *Cùm nuper*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd Archiepiſcopus, vel authoritate propriâ, vel authoritate Papæ Provinciam ſuam viſitans, Procurationes ab Eccleſiis, quas viſitat, de jure communi petere poteſt moderatas, quas ſi non perſolvant, in contumaces poteſt ferre ſententiam excommunicationis: hæ enim Procurationes ei viſitanti de jure debentur.

In 26. cap. quod incipit. *Cum Canonicis*, ex eodem ſtatuitur, quòd penſiones antiquæ ſolvendæ ſunt in antiquâ monetâ, vel ſi non ſit amplius in uſu, juxta illius æſtimationem.

In 27. cap. quod incipit. *Authoritate*, ex eodem ſtatuitur, quòd in Oratoriis Religioſorum, & etiàm aliorum, Procuratio ratione Viſitationis non debetur: nàm tantùm Procuratio debetur Prælato, quando viſitat ratione correctionis; in his autem Oratoriis, quæ habentur in Granciis, Monachi non morantur, ſed ad ſummam aliquis Converſus, vel Laicus; undè non tenentur ad dandam Procurationem. Videatur Concilium Tridentinum in Decretis de Reformatione poſitis in ſingulis ſeſſionibus.

TITULUS XL.

De conſecratione Eccleſiæ, vel Altaris, in decem cap. diſtinctus.

Quià in ſuperiori Titulo actum eſt de Cenſibus, quos ſolvunt Eccleſiæ ſuis Prelatis: nunc agitur de Conſecratione Eccleſiarum, & Altarium quià plerumque accidit, quòd aliquis cenſus imponatur ab Epiſcopo conſecrante Eccleſiis, quas conſecrat, in recognitionem præfatæ Conſecrationis.

Agitur de hac materia in Decreto in Tractatu de conſecrat. diſt. 1. per totum & diſt. 68 cap. *Eccleſiis* & Cauſa 1. quæſt. 2. cap. 1. In 6. lib. 3. Titulo 21.

In 1. cap, quod incipit. *Ad hæc*, ex Alexandro III., ſtatuitur, quòd ſi Altare motum fuerit, vel lapis ſuperior, qui ſignum continet, fuerit confractus, aùt diminutus enormiter, iterùm Altare eſt conſecrandum, ſed non Eccleſia reconſecranda: nàm totum non vitiatur per vitium partis.

In 2. cap., quod incipit. *Tua Fraternitas*, ex Innocentio III., ſtatuitur, quòd etiam diebus non Feſtis Eccleſiæ poſſunt conſecrari.

In 3. cap., quod incipit. *Quod in dubiis*, ex eodem, ſtatuitur idem, quod dictum eſt in 1. capite, addendo tamèn, quòd in Conſecratione Eccleſiæ, vel Altaris, ſi ab Epiſcopo Oleum non conſecratum commiſceatur alio conſecrato, totum ſit conſecratum: nàm magis dignum trahit ad ſe minus dignum.

In 4. cap., quod incipit *Propoſuiſti*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Eccleſia propter ſanguinis effuſionem in eâ, non debet reconſecrari, ſed tantum reconciliari per aquam cùm vino, & cinere Benedictam.

In 5. cap. quod incipit. *Cum ſis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd plura Altaria poſſunt ſimul in eâdem Eccleſiâ conſecrari, ſicut etiam plures Epiſcopi poſſunt ſimùl in eâdem Miſſa conſecrari: ſicùt idem Epiſcopus unâ Ordinatione plures ordinat Sacerdotes.

In

In 6. cap., quod incipit. *Ligneis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi corruat tectum Eccleſiæ, parietibus manentibus illæſis, & menſâ Altaris non enormitèr fractâ; nec Eccleſia, nec Altare ſunt iterum conſecranda: quià in parietibus, & non in tecto Eccleſiæ fit conſecratio.

In 7. cap., quod incipit, *Conſuluiſti*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi corpus alicujus excommunicati in Eccleſia, vel in Cæmeterio ſepultum fuerit, Eccleſia illa, vel Cęmeterium reconciliandum eſt per aſperſionem ſolemniter aquæ benedictæ ab Epiſcopo, ejecto priùs Corpore excommunicati, ſi à corporibus Fidelium diſcerni poſſit; aliàs eſt relinquendum, ne aliis præjudicium afferatur.

In 8. cap. quod incipit. *Cùm ſicut*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd qui conſtruit Eccleſiam, & facit eam conſecrari, tenetur ex debito eam dotare, & ſufficienter providere pro ejus cultu, & conſervatione; dos enim Eccleſiæ ſpectat ad ejus Patronum.

In 9. cap. quod incipit. *Aqua*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd Eccleſia ſolummodo per Epiſcopum reconciliari debet, non obſtante quâcumque conſuetudine in contrarium, quæ potius corruptela, quàm conſuetudo dicenda eſt: nàm eſtò Epiſcopus poſſit demandare inferiori Sacerdoti ea, quæ ſunt Iuriſdictionis, non poteſt tamen ei demandare ea, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, ſicut eſt reconcilatio Eccleſiarum.

In 10. cap., quod incipit. *Si Eccleſia*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Eccleſia polluatur per effuſionem ſanguinis, humani ſeminis, vel per Sepulturam excommunicati, etiamſi talis Eccleſia non ſit conſecrata, debet quàm primùm per Epiſcopum reconciliari aquâ exorcizatâ. Videatur D. Thom. 2. 2. queſt. 99. Art. 3. ubi varias ſpecies Sacrilegii diſtinguit, & inter illas violationem rei Sacrę, videlicet Eccleſiæ, & Art. 4. ponit pęnas pro ſacrilegis, nempe Excommunicationis, & pęnam pecuniariam.

TITULUS XLI.

De Celebratione Miſſarum, Sacramento Euchariſtiæ, & Divinis Officiis, in 14. Capita diſtinctus.

Quià in ſuperiori Titulo actum eſt de Conſecratione Eccleſiæ, vel Altaris; & quià in Eccleſiis celebrantur Miſſæ, & alia Divina Officia perſolvuntur: ideò ſubjungitur præſens Titulus.

Agitur de hac materia in Decreto de Conſecrat. diſt. 5. cap. *Advenit*, & duobus capir. ſeqq. & diſt. 15. cap. *Sancta in Paſcha*. Et de Sacramento Euchariſtiæ Tractatu de Conſecrat. diſt. 2. per totum. In Clementinis lib. 3. Titulo 14. & in extravag. lib. 3.

In 1. cap., quod incipit. *Præsbyter*, ex Concilio Agathenſi, ſtatuitur, quòd Præsbyter tenetur horis debitis perſolvere ſeptem horas Canonicas quolibet die; permittitur tamèn ex cauſa rationabili eas anticipare, recitando eas mane, excepto Completorio, quod in ſero perſolvendum eſt. Cauſa autèm rationabilis eſſe poteſt ipſius Sacerdotis paupertas, ut ſcilicèt exercendo opus rurale, ſibi victum quærat.

In 2. cap., quod incipit. *Quidam*, ex Concilio Triburenſi, ſtatuitur, quòd in Eccleſiis Collegiatis proprèr miſſas peculiares, quæ celebrantur propter devotionem Fidelium, omitti non debet miſſa de Feria, quando ſit Officium de Feria, ut Officio correſpondeat miſſa.

In 3. capite quod incipit. *Conſuluiſti*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd Sacerdos unam tantum Miſſam in die celebrare poteſt, excepto die Natalis Domini propter ſpeciale privilegium, & Myſterium. Similiter in caſu maximæ neceſſitatis licitum eſt Parocho plures miſſas celebrare eodem die, de quibus caſibus agunt Authores cùm Navarro in manuali Confeſſorum cap. 25. Tit. de ſtatu Clericorum.

In 4. cap., quod incipit. *Conſilium*, ex

ex eodem ſtatuitur, quod in Miſſis votivis, etiam de Spiritu Sancto, & de B. Virgine in diebus profeſtis omitti debet Hymnus Angelicus, & Symbolum Apoſtolicum, ſi aliàs in Matutinis laudibus omittatur. *Te Deum laudamus*: Debet enim fieri differentia inter Miſſas Commemorationis, & Miſſas Solemnitatis.

In 5. cap, quod incipit. *Ex parte veſtra*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Sacerdos in Miſſâ poſt ſumptionem Corporis, & Sanguinis, debet manus, ſeù digitos abluere cùm vino, & talem ablutionem ſumere, niſi ſit aliam Miſſam celebraturus, ut in die Natalis Domini, aut in aliâ maximâ neceſſitate.

In 6. cap., quod incipit. *Cùm Martha*, ex eodem, ſtatuitur, quòd aliqua ſunt verba in Canone miſſæ, quæ ab Evangeliſtis dicta non fuerunt, ut ſunt illa verba *Myſterium Fidei*, & alia, ſcilicet *elevatis oculis*, *& novi Teſtamenti*: Quæ verba licèt expreſſa non fuerint ab Evangeliſtis, credendum tamèn eſt, à Chriſto Apoſtolis, & ab Apoſtolis Succeſſoribus fuiſſe tradita: Aliqua enim non expreſſa ab Evangeliſtis, habentur ex traditionibus Apoſtolorum. Sic D.Thom. 3. p. qu. 78. Art. 3. ad 9. ubi loquens de forma Conſecrationis Calicis, ſic ait: *Quod autem additur æterni, & iterum Myſterium Fidei, ex traditione Domini habetur, quæ ad Eccleſiam per Apoſtolos pervenit ſecundum illud 2. Corint. 11. Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis*: ſimiliter ſtatuitur in Miſſa, aquam cùm vino mixtam tranſubſtantiari in Sanguinem; hoc autem intelligitur non immediatè, ſed mediatè, ideſt quòd aqua convertitur in vinum, & vinum tranſubſtantiatur in Sanguinem, ſic D. Thom. 3. p. qu. 74. Art. 8. in Corpore, ubi ait: *Aliorum Opinio probabilior eſt, qui dicunt, aquam converti in Vinum, & Vinum in Sanguinem*.

In 7. cap., quod incipit. *De Homine*, ex eodem, ſtatuitur, quòd gravius peccat Sacerdos criminoſus, qui ſimulat celebrare, & non celebrat conſecrando, quàm ſi criminoſus celebraret in mortali, quia in primo caſu in pluribus delinquit; offendit enim Deum, & Proximum decipit: in ſecundo caſu ſolùm Deum offendit.

In 8. cap., quod incipit. *In quadam*, ex eodem ſtatuitur, quòd in Sacramento Altaris aqua cum vino convertitur, ſeu tranſubſtantiatur in Sanguinem Chriſti: Falſùm enim eſt dicere; aquam modicam, quæ in Calice ponitur converti non in Sanguinem, ſed in phlegma: nam cùm ex latere Chriſti exierit vera aqua, & verus Sanguis; ad ſignificandum Sacramentum Redemptionis, & Regenerationis. tàm aqua, quàm vinum cui miſcetur illa modica aqua, in Sanguinem Chriſti tranſubſtantiatur.

In 9. cap. quod incipit. *Dolentes*, ex eodem in Concilio Generali, ſtatuitur, & præcipitur in virtute Obedientiæ, ne Clerici, & Prælati Eccleſiarum commeſſationibus ſuperfluis, & confabulationibus illicitis vacare præſumant; ſed eorum occupatio ſit in frequenti celebratione Miſſarum, in adminiſtratione Sacramentorum, & in recitatione Divini Officii, quod recitare tenentur quolibet die, ſtudioſè pariter, & devotè.

In 10. cap. quod incipit. *Sanè*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd Sacramentum Euchariſtiæ in loco mundo diligenter ſub clavibus cuſtodiendum eſt; & cùm defertur ad infirmos, cùm lumine, & habitu decenti à Parocho eſt deferendum, cui Populus tenetur reverenter ſe inclinare, & adorare; quod idem faciendum à Populo in Miſsa in elevatione Hoſtiæ conſecratæ, & Calicis: & hujus præcepti tranſgreſſores graviter ſunt puniendi.

In 11. cap. quod incipit. *Cùm Creatura*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in qualibet Eccleſia Collegiata debent celebrari duæ Miſſæ collegialiter; una pro Defunctis, alia ſecundùm exigentiam diei, ſcilicet de Feſto, ſi Feſtum occurrat; vel de feria, ſi de feria fiat Officium.

In 12. cap. quod incipit. *Te referente*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in die Cœnæ Domini Epiſcopus tantùm debet Miſſam celebrare in Eccleſia, in qua tenetur Chriſma conficere: nam Miſſa eſt de ſubſtantia confectionis Chriſmatis.

In 13. cap. quod incipit. *Pernicioſus*,

ſus, ex eodem, ſtatuitur, quòd in Sacrificio Miſſæ Sacerdos plùs debet ponere in Calice de vino, quàm de aqua: hæc enim eſt univerſalis conſuetudo Eccleſiæ, cui tenentur omnes aliæ uniformari. Hujus rationem aſſignat S. Th. loco nuper citato, quia aqua convertitur in vinum, & vinum in Sanguinem; atqui hoc fieri non poſſet, niſi modica aqua vino imponeretur: igitur in conſecratione vini modica tantùm aqua eſt apponenda; cur autem aqua ſit vino admiſcenda, rationem aſſignat S. Th. 3. p. q. 74. art. 6. in corpore his verbis: *Primò quidem propter inſtitutionem; probabiliter enim creditur, quòd Dominus hoc Sacramentum inſtituerit in vino aquæ mixto ſecundùm morem illius terræ; unde & proverb. 9. dicitur bibite vinum, quòd miſcui vobis. Secundò quia hoc convenit repræſentationi Dominicæ Paſſionis, quia utrumque ex latere ejus in Paſſione ſua profluiſſe legitur. Tertiò quia hoc convenit ad ſignificandum effectum hujus Sacramenti, qui eſt unio Populi Chriſtiani ad Chriſtum. Quartò, quia hoc competit ad ultimum effectum hujus Sacramenti, qui eſt introitus ad vitam æternam.* Hæc D. Th.

In 14. cap. quod incipit. *Literas*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Sacerdos latinus conſecrans in fermentato, vel quilibet Sacerdos conſecrans in Calice ligneo, vel ſinè aqua, aut ſinè luminaribus, debet ab Officio, & Beneficio deponi: nam peccanti ex aperta malitia, vel ex nimia Deſipientiâ, vel ex craſsâ ignorantia, parcendum non eſt. Hæc autem omnia debent intelligi de licita conſecratione, non tamen de valida, quia licet Sacerdos Latinus conſecrans in fermentato, vel ſine aqua, vel in Calice ligneo mortaliter peccaret, validè tamen conſecraret; ſic D. Th. loco nuper citato art. 4.

TITULUS XLII.

De Baptiſmo, & ejus effectu in ſex capita diſtinctus.

Viſum eſt de Sacramento Euchariſtiæ, quod eſt præſtantius inter omnia Sacramenta; nunc ſubjicitur Titulus de Sacramento Baptiſmi, quod eſt maximè neceſſarium ad ſalutem.

Agitur de hac materia in Decreto de Conſecratione diſt. 4. per totum, & in Clement. lib. 3. tit. 15.

In 1. cap. quod incipit. *Si quis*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd licet Puer ſit ter immerſus in aqua cùm his verbis, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, non eſt baptizatus, quia deficiunt prima verba formæ, quæ ſunt de eſſentia, ſcilicet *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Forma enim eſt eſſentialis. Sic D. Th. 3. p. q. 66. art. 5. in corpore, ubi habet, *Hæc eſt conveniens forma baptiſmi, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*.

In 2. cap. quod incipit. *De quibus dubium*, ex eodem, ſtatuitur, quòd quando de aliquo probabiliter dubitatur, an ſit baptizatus, debet baptizari ſub conditione his verbis: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Sic D. Thom. 3. p. q. 66. art. 9. ad 4. ubi citat, & ſe conformat huic Canoni.

In 3. cap. quod incipit. *Majores*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd Sacramentum Baptiſmi non ſolùm Adultis venientibus ad Fidem eſt conferendum, ſed etiam Parvulis antè uſum rationis, per quod in eis remittitur peccatum Originale, ſicuti in veteri lege per Circumciſionem: ſicut enim originale peccatum ſinè conſenſu contrahitur, ità ſine conſenſu dimittitur; ſecùs de peccato actuali, ad quod delendum neceſſaria eſt contritio, vel attritio cùm Sacramento. Quid autem dicendum ſit de amentibus, aut dormientibus, an Baptiſma poſſit eis conferri: reſpondet Summus Pontifex, quòd ſi tales antè amentiam, vel ſomnum habuerunt deſiderium Baptiſmi, validè, & licitè poſſunt baptizari: ſecùs verò ſi nullam cognitionem, aut deſiderium Baptiſmi habuerunt, immò averſionem, & contrarietatem: quia nemo invitus ad fidem compellitur. Sic D. Th. 3. p. q. 68. art. 9. ubi in corpore ſic concludit, *Neceſſarium fuit Puero baptizari, ut ſicut per Adam damnationem incurrerunt naſcendo, ita per Chriſtum ſalutem conſequantur renaſcendo*, & art. 12. de

de Furioſis, & Amentibus explicat quomodo debeant baptizari, ut in hoc capitulo habetur. Videatur loco citato ubi fusè hanc materiam explicat.

In 4. cap. quod incipit. *Debitum*, ex eodem, ſtatuitur, quòd nemo poteſt, etiam inſtante neceſſitate, ſe ipſum baptizare; aliàs non verificaretur forma Baptiſmi, quæ requirit diſtinctionem inter Baptizantem, & Baptizatum. In articulo autem mortis, cùm non poſſit haberi Baptiſmus aquæ habetur Baptiſmus Flaminis, ſeu Baptiſmus in voto, ſeu fides Baptiſmi.

In 5. autem cap. quod incipit. *Non ut apponeres*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ad validitatem Sacramenti Baptiſmi requiritur aqua tamquàm materia, & verba tamquàm forma, & utrumque eſt de neceſſitate, & ſubſtantia Baptiſmi.

In 6. cap. quod incipit. *Licet*, ex eodem in Concilio Generali, ſtatuitur, quòd baptizati à Latinis, iterum à Græcis rebaptizari non debent, non obſtante Schiſmate, ſeù diviſione Eccleſiæ Græcæ à Latina; debent enim Græci conformari Eccleſiæ Latinæ tamquàm Matri. Sic D. Th. 3. p. q. 66. art. 9. ad 3. ubi ſic ait: *Si qui apud illos hæreticos baptizati ſunt, qui in S. Trinitatis confeſſione baptizabant, & veniunt ad Catholicam Fidem, recipiantur ut baptizati.*

TITULUS XLIII.

De Presbytero non Baptizato in tria capita diſtinctus.

CUm actum ſit de Sacramento Baptiſmi, & poſſit contingere caſus, quòd aliquis faciat ſe promovere ad Ordines non baptizatus, ſubnectitur præſens Titulus de Presbytero non baptizato.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 1. qu. 1. cap. *Si quis confugerit*, & cap. *Si quis per ignorantiam*.

In 1. cap. quod incipit. *Si quis Presbyter*, ex Concilio apud Compendium, ſtatuitur, quòd ſi quis Presbyter depræhenderit, ſe non fuiſſe baptizatum, debet baptizari, & iterum ordinari: nam Baptiſmus eſt janua omnium Sacramentorum.

In 2. cap. quod incipit. *Apoſtolicam*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd ſi detur caſus, quod Sacerdos, vel aliquis alius putans bonâ fide ſe fuiſſe baptizatum, in fide perſeverans moriatur, & poſt mortem inveniatur, reverà baptizatum non fuiſſe; non per hoc dubitandum eſt de ejus ſalute propter carentiam Baptiſmi; quia talis in fide Chriſti perſeverans, & exiſtens bonâ fide Baptiſmi, præſumitur inviſibiliter baptizatus per Baptiſmum Flaminis: undè pro eo Eccleſia orare poteſt, ut dicunt Auguſtinus, & Ambroſius.

In 3. cap. quod incipit. *Veniens*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui baptizatus non eſt, ad Ordines promoveri non poteſt; eſt enim Baptiſmus janua omnium Sacramentorum: quòd ſi aliquis de facto ordinetur abſque Baptiſmo, debet baptizari, & iterum ordinari. Si autem bona fide credatur baptizatus, & promoveatur ad ordines, ſicquè Ordinatus decedat, ſupplet bona fides cùm Baptiſmo in voto, ut dictum eſt in capite præcedenti. Videatur D. Th. 3. p. qu. 66. de Baptiſmo uſque ad q. 69. incluſivè, ubi fusè agit de his quę pertinent ad Sacramentum baptiſmatis, ipſumque januam omnium Sacramentorum appellat.

TITULUS XLIV.

De Cuſtodia Euchariſtiæ, Chriſmatis, & aliorum Sacramentorum in duo capita diſtinctus.

QUia in ſuperioribus titulis dictum eſt de Sacramentis Euchariſtiæ, & Baptiſmatis: ideo in præſenti titulo agitur de Euchariſtiæ, & Chriſmatis Cuſtodiâ; Chriſma enim eſt neceſſarium ad conferendum baptiſma. Agitur etiam de cuſtodia aliorum Sacramentorum; nàm reverentèr, & decenter ſunt cuſtodienda, utpotè ſacra, & inſtituta ad conferendam gratiam.

Agitur de hac materia in Decreto diſt. 23. cap. *Clerici qui comam*, & de Conſecrat.

ſecrat. lib. 2. cap. *Qui benè*, & cap. *Si quis per neceſſitatem*.

In cap. 1. quod incipit. *Statuimus*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd Euchariſtia, & Chriſma fideliter, & decenter ſub Clavibus ſunt cuſtodienda, & contrafacientes graviter ſunt puniendi per amotionem, vel ſuſpenſionem ab officio tribus ſaltem menſibus.

In 2. cap. quod incipit. *Relinqui*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſuppellectilia Sæcularia in Eccleſiis poni non debent, niſi aliquâ urgente neceſſitate, quâ ceſſante, removenda ſunt. Sunt tamen Eccleſia, Oratoria, ornamenta, vaſa, & veſtes ad divinum cultum ordinata, ſervanda munda, & nitida: abſurdum eſt enim in hujuſmodi rebus ad divinum cultum ſpectantibus ſordes negligere, quæ non permitterentur in domibus privatorum.

ut omnis dolus, fraus, aut quæſtus in hac materia omninò procul arceatur. Videatur D. Th. 3. p. qu. 25. de Adoratione Chriſti, & Sanctorum, ubi per 6. articulos dilucidè hanc materiam pertractat, & præcipuè art. 6. in corpore loquens de Reliquiis Sanctorum ſic ait: *Manifeſtum eſt autem, quòd Sanctos Dei in veneratione habere debemus tamquàm membra Chriſti, Dei Filios, & Amicos, & noſtros Interceſſores, & ideo eorum Reliquias qualeſcumque honore congruo in eorum memoriam venerari debemus, & præcipuè eorum corpora, quæ fuerunt templa, & organa Spiritus Sancti in eis habitantis, & operantis, & ſunt Corpori Chriſti configuranda per glorioſam Reſurrectionem; unde & ipſe Deus hujuſmodi Reliquias convenienter honorat, in eorum præſentia miracula faciendo*. Hæc D. Thom.

TITULUS XLV.

De Reliquiis, & Veneratione Sanctorum, in duo cap. diſtinctus.

POſtquàm de cuſtodiâ Sacramentorum actum eſt, merito ſubjicitur Titulus de Reliquiis, & veneratione Sanctorum: nàm hæc etiam decenter, & fideliter ſunt cuſtodienda, & veneranda.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 11. quæſt. 1. cap. *Si quis dixerit*, & diſt. 50. cap. *Si quis præpoſtera*, & de Conſecrat. diſt. 1. cap. *Loca*. In 6. lib. 3. titulo 22. In Clement. lib. 3. tit. 16. In Extravag. lib. 3.

In cap. 1. quod incipit. *Audivimus*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd nullus debet venerari pro Sancto, quantùmcumque miracula per ipſum fiant, niſi priùs à Romanâ Eccleſiâ examinata, & approbata fuerint, quacumque in contrarium conſuetudine non obſtante.

In 2. cap. quod incipit. *Cùm ex eo*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd Reliquiæ Sanctorum nullo modo vendi poſſunt, nec frequenter oſtendendę Populo, ſed in capſa fideliter, & reverenter ſervandæ. Non ſunt autem exponendæ cultui, & adorationi, niſi priùs ab Eccleſia Romana approbatæ,

TITULUS XLVI.

De Obſervatione Jejuniorum in tria capita diſtinctus.

VIſo de Veneratione Sanctorum, quia ut plurimum Jejunia, ſeu Vigiliæ inſtitutæ ſunt propter devotionem ergà Sanctos: ideo poſt Rubricam de Veneratione præſens ſequitur Rubrica de Obſervatione Jejuniorum.

Agitur de hac materia in Decreto diſt. 41. & diſt. 76. per totum. Et de conſecratione diſt. 3. per totum.

In 1. cap. quod incipit. *Ex parte veſtra*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd ſi occurrat Vigilia de præcepto in Dominica, jejunandum eſt in Sabbato præcedenti, quia in die Dominico utpotè conſecrato Reſurrectioni Jeſu Chriſti non eſt licitum jejunare. Secundo ſtatuitur, in Vigilia B. Matthiæ Apoſtoli eſſe jejunandum, ſicut in Vigiliis aliorum Apoſtolorum.

In 2. cap. quod incipit. *Conſilium*, ex eodem ſtatuitur, quòd Vigiliæ Apoſtolorum ſunt de Pæcepto, exceptâ Vigiliâ Apoſtolorum Philippi, & Jacobi, & B. Joannis Apoſtoli, & Evangeliſtæ. Primum, quia venit infra tempus Paſchale: Se-

Secundum quia venit in ſolemnitate Natalis Domini. Item ſtatuitur, quòd abſtinentia à Carnibus in die Sabbati ſervanda eſt juxta laudabilem conſuetudinem locorum. Infirmi autem tàm ab abſtinentia à Carnibus in Sabbato, quàm à jejuniis de Præcepto ſunt diſpenſandi: non enim, præceptum Eccleſiæ obligat cum tanto incommodo. Sic D.Th.2.2.qu.147. art. 4. in Corpore, & in ſolutione ad primum,ubi ſic ait:*Præcepta Dei ſunt præcepta Juris naturalis, quæ ſecundum ſe ſunt de neceſſitate ſalutis. Sed ſtatuta Eccleſiæ ſunt de his, quæ non per ſe ſunt de neceſſitate ſalutis, ſed ſolùm ex inſtitutione Eccleſiæ, & ideo poſſunt eſſe aliqua impedimenta, propter quæ aliqui ad obſervanda jejunia hujuſmodi non tenentur*. Hæc D. Thom.

In 3. cap. quod incipit. *Explicari*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd ſi Feſtum Natalis Domini occurrerit die Veneris, licitum erit omnibus carnes comedere; exceptis tamen iis, qui vel voto, vel Regulari obſervantiâ à carnibus tenentur abſtinere. Et hæc diſpenſatio conceditur propter Feſti excellentiam: Non tamen prohibetur, nec repræhenditur, ſi quis ob devotionem voluerit abſtinere. Sic colligitur ex D. Th. in confirmationem hujus, & primi Capituli præſentis Tituli 2. 2. qu. 147. art. 5. ad 3. ubi ſic habetur *Jejunia, quæ ex præcepto Eccleſiæ inſtituuntur, ſunt magis jejunia afflictionis, quæ non conveniunt in diebus lætitiæ. Propter quod non eſt jejunium ab Eccelſia inſtitutum in toto Paſchali tempore, nec etiam in diebus Dominicis, in quibus ſi quis jejunaret contra conſuetudinem Populi Chriſtiani, vel ex errore ſicut Manichæi, non eſſet à peccato Immunis*. Videatur D. Th. per totam quæſt. 147. per 8. articulos, cujus doctrinâ elucidantur, quæ in hoc titulo continentur.

TITULUS XLVII.

De Purificatione poſt Partum unico cap. compræhenſus.

CUM Purificatio mulierum poſt partum inducta ſit in Eccleſia ob reverentiam Eccleſiarum, & ſuprà actum ſit de Jejuniis pręceptis ob reverentiam Sanctorum, ideò poſtquam tractatum eſt de Obſervantiâ Jejuniorum, agitur de Purificatione pòſt partum, quia utrumque inductum eſt ob reverentiam rei Sacræ.

Agitur de hac materia in Decreto diſt. 5.

In hoc ergò cap., quod incipit. *Volens*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd mulieres ſi ex veneratione velint per aliquos dies abſtinere ab ingreſſu Eccleſiæ, non eſt improbanda earum devotio, non tamèn tenentur: nàm lex Moſayca, quæ hoc præcipiebat, adveniente lege Evangelica, ceſſavit; ſicquè ex prę cepto non tenentur abſtinere: poterunt tamèn hoc facere ex devotione. Advertendum tamen eſt, quòd ſi Mulieres poſt partum per aliquos dies vellent abſtinere ab ingreſſu Eccleſię, ut ſe conformarent Legi Moſaicę, mortaliter peccarent, quia poſt paſſionem Chriſti Lègalia non poſſunt obſervari abſque labe peccati mortalis. Sic D. Thom. 1. 2. qu. 103. Art. 4. in Corpore.

TITULUS XLVIII.

De Eccleſiis ædificandis, vèl reparandis, in ſex Capita diſtinctus.

QUià ſuprà actum eſt de Conſecratione Eccleſiarum, ſed quià Eccleſiæ conſecratæ quandoque ruunt, & reparatione, aut novâ ædificatione indigent: ideò ſubiicitur præſens Titulus.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 16. qu. 2. §. *Hinc etiam* & de Conſecrati diſt. 1. in multis Capit.

In 1.cap., quod incipit. *Quicumque*, ex Concilio Moguntino, ſtatuitur, quòd quicumque Sacerdos, vel Clericus habens

bens Beneficium Eccleſiaſticum, tenetur ad reparationem, & reſtaurationem propriæ Eccleſiæ: qui enim ſentit commodum de Eccleſia, debet de illa ſentire incommodum.

In 2. quod incipit. *Cùm dicat*, ex Concilio Lateranenſi, ſtatuitur, quòd Leproſi habitare non debent cùm ſanis, ſed ſimul in aliquo Hoſpitali, in quo ædificare poſſunt Eccleſiam,& Cappellam habere pro adminiſtratione Sacramentorum. De Hortis autem, & Animalibus talis Hoſpitalis, non tenetur, quis decimas ſolvere.

In 3. cap. quod incipit. *Ad audientiam*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd ex juſta cauſa, nova Eccleſia ædificari poteſt in alterius Parochiâ, cùm dependentia tamen à Majori Eccleſia; itaut præſentatio Cappellani Eccleſiæ noviter erectæ, ſpectet ad Rectorem prioris Eccleſiæ. In caſu autem quòd prædictus Rector ſe opponat, & velit impedire, hoc non obſtante, ſi neceſſitas hoc exigat, eo invito debet ædificari authoritate Epiſcopi.

In 4. cap. quod incipit. *De his*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Rectores Eccleſiarum ſunt compellendi ab Ordinario, ut de redditibus Eccleſiarum, quæ ipſis ſuperſunt, reparent, vel de novo conſtruant, ſi opus fuerit, Eccleſias, quarum ſunt Rectores.

In 5. cap. quod incipit. *Ad audientiam noſtram*, ex Urbano III. ſtatuitur, quòd Rector Eccleſiæ Sæcularis de licentiâ Papæ, & cùm conſenſu Ordinarii,ſuam Eccleſiam poteſt cedere Regularibus; cum hoc tamen, quòd Clerici Sæculares, qui aliàs tali Eccleſiæ inſerviebant, & de illius redditibus vivebant, ibi, vel alibi provideantur eorum vitâ durante.

In 6. cap., quod incipit. *Tua nos*, ex Cæleſtino III. ſtatuitur, quòd Rector Eccleſiæ, etiamſi Juramentum præſtiterit de non alienandis rebus ſuæ Eccleſiæ, urgente tamèn neceſſitate reparationis, aut reædificationis ejuſdem, de conſenſu Epiſcopi poteſt aliqua alienare ejuſdem Eccleſiæ: nàm Juramentum non exenditur ad caſum inopinatum, & neceſſarium.

TITULUS XLIX.

De Immunitate Eccleſiarum, Cæmeterii, & rerum ad eas pertinentium, in decem Capita diſtinctus.

Viſo de Reparatione, & ædificatione Eccleſiarum, quæ cùm ſint loca Deo Sacrata, ob illius reverentiam gravari non debent oneribus, quibus gravantur loca laicorum; ideò ſubiicitur præſens Titulus de Eccleſiarum Immunitate & Cæmeterii, & aliorum ad eas pertinentium.

Agitur de hac materia in Decreto diſt. 41. §. *Sed licet* uſquè ad finem diſtinctionis, & diſt. 98. Cauſa 14. qu. 4. Cauſa 23. qu. ultima, cap. *Si in morte.* & alibi. In 6. lib. 3. Titulo 23. In Clementin lib.3.Titulo 17.InExtravag.lib.3.

In 1. cap., quod incipit. *Ut in domibus*, ex Synodo Ioannis Papæ, ſtatuitur, quòd Judex laicus, non obſtante quâcumque conſuetudine, non poteſt ſibi de jure vindicare locum, vel Hoſpitium in domibus Eccleſiarum: ſunt enim hæ immunes ab omni jurisdictione, & poteſtate Laicorum; unde in iis placita, ſeù judicia Sæcularia exerceri non poſſunt.

In 2. cap., quod incipit. *Pervenit* ex Gregorio, ſtatuitur, quòd in maximâ neceſſitate Boni publici Civitatis, omnes etiàm Clerici tenentur àd cuſtodiam Civitatis: In tali enim caſu ceſſat Privilegium Immunitatis proptèr Bonum publicum; nàm quod omnes tangit, ab omnibus debet præcaveri.

In 3. cap., quod incipit. *Indicatum eſt*, ex eodem ſtatuitur, quòd ab Epiſcopis permitti non debet; ut Ruſtici adſtricti ad culturam Agrorum Eccleſiæ compellantur à Sæcularibus, ut iis relictis, ad Rura privatorum excolenda ſe transferant in præjudicium Eccleſiarum.

In 4. cap., quod incipit. *Non minus*, ex Concilio Lateranenſi, ſtatuitur, Principes Laicos, ſeu miniſtros, Collectas, aut Tributa imponentes Eccleſiis,

ſivè Eccleſiaſticis Perſonis, aùt earum jurisdictionem uſurpantes in Clericos, ſi moniti non deſiſtant, in cenſuram excommunicationis incidere ipſo facto cùm eorum fautoribus, & cooperantibus. Poterunt tamen Epiſcopus, & Clerici in caſu neceſſitatis, aut publicæ utilitatis aliqua ſubſidia præbere Principi laico propter bonum commune.

In 5. cap., quod incipit. *Cum Eccleſia*, ex Lucio III., ſtatuitur, quòd judices laici non debent ſub pæna excommunicationis Cauſas criminales in Eccleſiis, aut Cæmeteriis agere: Eccleſia enim domus Orationis dicitur, non ſanguinis Forum.

In 6. cap., quod incipit. *Inter alia*, ex Innocentio III., ſtatuitur, quòd malefactores fugientes ad Eccleſiam, vel loca ſacra, gaudent immunitate, nec indè poſſunt violenter extrahi, niſi fuerint aut publici latrones, aut nocturni depopulatores agrorum; hi enim non gaudent immunitate: Servus verò ad Eccleſiam confugiens, eſt reſtituendus Domino, ſi Dominus juret de ipſius impunitate.

In 7. cap., quod incipit. *Adverſus*, ex eodem in Concilio Lateranenſi, ſtatuitur. 1. ne Clerici ſubſidia præbeant Principibus laicis prò neceſſitatibus, aùt utilitatibus publicis abſque aſſenſu, & licentiâ Romani Pontificis. 2. quòd Edicta, ſeu Ordinationes à laicis factæ ad exequendas Collectas ab Eccleſiis, & Perſonis Eccleſiaſticis, ipſo jure ſunt nullæ, nec ullo tempore poſſunt convaleſcere. 3. quòd Rectores laici talia Edicta ſtatuentes in Clericos, ſunt ipſo facto excommunicati, quæ excommunicatio durat etiam poſt depoſitum Officium: immo eamdem excommunicationem incurrunt etiam Succeſſores in Officio, niſi infrà menſem congruè ſatisfecerint ob læſam immunitatem.

In 8. cap., quod incipit. *Quia*, ex eodem in eodem Concilio, ſtatuitur, quod Prælatus extorquens plùs debito à Subditis prætextu Procurationis, aut alterius ſervitii præſtiti legato, vel alteri, illud plùs tenetur Subditis reſtituere, & tantumdem in pænam tenebitur Pauperibus erogare, omni excuſatione, vel conſuetudine remotâ.

In 9. cap., quod incipit. *Eccleſia*, ex Gregorio IX., ſtatuitur, quòd Eccleſia, in qua Divina Officia celebrantur; etiamſi adhuc non ſit conſecrata, gaudet tamen immunitate; quia jam eſt divinis obſequiis dicata: unde non debet temerariis auſibus profanari.

In 10. cap., quod incipit. *Immunitatem*, ex eodem, ſtatuitur, quòd delinquentes in Eccleſiis, aut Cæmeteriis ſub ſpe immunitatis, immunitate gaudere non debent: nàm privatur Privilegio, qui Privilegio abutitur, nec meretur auxilium ab Eccleſia, quam quis audet prophanare. Videatur Bonacina Tom. 2. diſp. 3. qu. 7. de Immunitate locorum Sacrorum, qui fusè hanc pertractat materiam.

TITULUS L.

Ne Clerici, vel Monachi Sæcularibus negotiis ſe immiſceant in decem Capita diſtinctus.

QUià in Superiori Titulo actum eſt de Immunitate Eccleſiarum, & Clericorum, ob reverentiam eis debitam; meritò nunc agitur de exemplari eorum converſatione, quæ illos reddere debet venerabiles, & conſpicuos, quòd maxime ſuccedit, ſi abſtineant à Sæcularibus negotiis.

Agitur de hac materia in Decreto diſt. 86. cap. ultimo & diſt. 88. Cauſa 21. qu. 4. & Tract. de pænitentia per totum. In 6. lib. 3. Titulo 24.

In 1. Cap., quod incipit. *Multa ſunt*, ex Concilio Moguntino, ſtatuitur, quòd Clerici, & Monachi non debent ſe immiſcere negotiis ſæcularibus ex illo Apoſtoli: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis Sæcularibus*. Negotia autem Sæcularia dicuntur quæ ordinantur vel ad lucrum temporale, vel ad indebitam corporis recreationem, vel ad contentiones, & lites excitandas, vel ad vindictam procurandam. Hæc, & ſimilia nego-

negotia non decent Eccleſiaſticos, ſed tantùm ea, quæ ad Pietatem ordinantur; ut cauſas agere Pauperum, & miſerabilium Perſonarum: & ſi Clericus ſit in paupertate conſtitutus, poterit ſuo labore, honeſtâque negotiatione ſibi victum providere.

In 2. cap. quod incipit. *Sacerdotibus*, ex Eugenio Papa, ſtatuitur, quòd Clerici non debent eſſe Miniſtri, ſeu Procuratores Laicorum; quòd ſi admoniti non deſiſtant, & in tali adminiſtratione depræhendantur in fraude, non eſt eis ſubveniendum ab Eccleſiâ, quia qui ſcandalum facit Eccleſiæ, ejus præſidio ſe reddit indignum.

In 3. cap. quod incipit. *Non magnoperè*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd Religioſi Profeſſi exeuntes extra Clauſtra ad audiendas Leges, vel Phyſicam Medicinam, niſi infra duos menſes redeant, incurrunt excommunicationem; & in nullâ causâ poſſunt patrocinari; ſi autem poſt tempus aſſignatum non redeant ad Religionem, in pœnam inobedientiæ aſſignetur eis ultimus locus inter Fratres, nec poſſint ad officia promoveri abſquè ſpeciali Papæ diſpenſatione.

In 4. cap. quod incipit. *Sed nec*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Clericus exercens officium Procuratoris Generalis, aut Juſtitiarii Principis Sæcularis, omnino eſt deponendus; & ſi fuerit Religioſus graviùs punietur, nàm dignitas Perſonæ aggravat peccatum.

In 5. cap. quod incipit. *Clericis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Clericus Judicium ſanguinis exercens, ab officio, & beneficio eſt deponendus; & ſi admonitus, habens officium Vice Comitis, aut Præpoſiti Principis Laici, non deſiſtat, eſt excommunicandus.

In 6. cap. quod incipit. *Secundùm*, ex eodem, ſtatuitur. 1. Sub pœna excommunicationis, ne Monachi, vel Clerici causâ lucri negotientur. 2. Ne Monachi nomine proprio à Laicis, vel à Clericis poſſint poſſeſſiones conductas, vel locatas habere. 3. Quòd non eſt licitum Laicis Eccleſias à Monachis, vel Clericis conductas habere, & poſſidere.

In 7. cap. quod incipit. *Relatum eſt*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Monachi incorrigibiles, qui recuſant reformari, de Monaſterio ſunt expellendi: & Monaſterium eſt reformandum ab aliis ejuſdem Monaſterii, ſi inveniantur; aliàs reformandum erit à Religioſis ejuſdem Ordinis, & Inſtituti.

In 8. cap. quod incipit, *Sicut*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd Clerici in Sacris conſtituti exercere non poſſunt officium Tabellionatus, ſeu Notariatus: quòd ſi hoc faciant, compellendi ſunt ab Ordinario, ut deſiſtant ſub pœna ſubtractionis beneficiorum; videtur enim Officium Sæculare, periculoſum, & incongruum ſtatui Clericorum exiſtentium in Sacris.

In 9. cap. quod incipit. *Sententiam*, ex eodem in Concilio Lateranenſi, ſtatuitur, quòd Clericus non poteſt ſe immiſcere in cauſa ſanguinis, nec literas hoc concernentes ſcribere, aut dictare. Similiter ſtatuitur, Clericum in Sacris conſtitutum non poſſe exercere Chirurgiam per inciſionem, aut aduſtionem: eſt enim ars ſatis periculoſa. Tertiò, Statuitur, Clericum non poſſe dare conſilium, aut opem ferre eis, qui purgatione vulgari, ſcilicet ferro candenti volunt ſe purgare. Hoc enim eſt illicitum, & prohibitum in Jure Canonico.

In 10. cap. quod incipit. *Super ſpecula*, ex Honorio III. ſtatuitur, & declaratur, quòd conſtitutio Concilii Turonenſis ſub Alexandro III. ne Religioſi Profeſſi exeant extrà Clauſtra ad audiendas Leges, vel Phyſicam ſub pœna excommunicationis, eſt latæ ſententiæ, non ferendæ: unde poterunt ab Ordinario contrafacientes puniri, & compelli ad Clauſtra redire. Itèm hanc prohibitionem extendit ad Clericos habentes dignitates, & Perſonatus, & etiam ad Presbyteros. Sic D. Th. 2. 2. q. 187. art. 2. in corpore ubi ſic ait: *Eſt ergo dicendum, quòd causâ cupiditatis Sæcularia negotia, nec Monachis gerere, nec Clericis licet. Causâ verò Charitatis ſe negotiis Sæcularibus cùm debita moderatione ingerere poſſunt ſecundùm Superioris licentiam in miniſtrando, & dirigendo.* Hæc D. Th.

ELENCHUS

Titulorum Quinquaginta Tertii Libri Decretalium.

Titulus I. *De Vita, & honeſtate Clericorum* 16. *capita comprehenſus.* pag. 108.
Titulus II. *De cohabitatione Clericorum, & Mulierum in* 10. *capita diſtinctus.* pag. 110.
Titulus III. *De Clericis conjugatis in* 10. *cap. diſtinctus.* pag. 110.
Titulus IV. *De Clericis non reſidentibus in Eccleſia, vel Præbenda in* 17. *cap. diſtinctus.* pag. 111.
Titulus V. *De Præbendis, & Dignitatibus in* 38. *cap. diſtinctus.* pag. 113.
Titulus VI. *De Clerico ægrotante, vel debilato in ſex capita diſtinctus.* pag. 116.
Titulus VII. *De Inſtitutionibus in* 7. *cap. diſtinctus,* pag. 116.
Titulus VIII. *De conceſſione Præbendæ, & Eccleſiæ non vacantis in* 16. *capita diſtinctus.* pag. 117.
Titulus IX. *Ne Sede Vacante aliquid innovetur in tria capita diſtinctus.* pag. 119.
Titulus X. *De his, quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſu Capituli in* 10. *capita diſtinctus.* pag. 119.
Titulus XI. *De his, quæ fiunt à Majori parte Capituli in* 4. *cap. diſtinctus.* pag. 120.
Titulus XII. *Ut Eccleſiaſtica Beneficia ſine diminutione conferantur unico capite comprehenſus.* pag. 121.
Titulus XIII. *De rebus Eccleſiæ alienandis, vel non in* 12. *capita diſtinctus.* pag. 121.
Titulus XIV. *De Precariis in* 3. *capita diſtinctus.* pag. 122.
Titulus XV. *De commodato unico capite compræhenſus.* pag. 123.
Titulus XVI. *De depoſito in* 2. *cap. diſtinctus.* pag. 124.
Titulus XVII. *De Emptione, & Venditione in* 7. *capita diſtinctus.* pag. 124.
Titulus XVIII. *De Locato, & conducto in* 4. *capita diſtinctus.* pag. 125.
Titulus XIX. *De rerum permutatione in* 9. *cap. diſtinctus.* pag. 126.
Titulus XX. *De Fæudis* 2. *cap. compræhenſus.* pag. 127.
Titulus XXI. *De Pignoribus, & aliis Cautionibus in* 8. *capita diſtinctus.* pag. 127.

Titulus XXII. *De Fidejuſſoribus in 5. cap. diſtinctus.* pag. 129.

Titulus XXIII. *De ſolutionibus in 4. cap. diſtinctus.* pag. 129.

Titulus XXIV. *De donationibus in 10. cap. diſtinctus.* pag. 130.

Titulus XXV. *De Peculio Clericorum in 6. cap. diſtinctus.* pag. 131.

Titulus XXVI. *De Teſtamentis, & ultimis Voluntatibus, in 20. cap. diſtinctus.* pag. 132.

Titulus XXVII. *De Succeſſoribus ab inteſtato in 3. capita diſtinctus.* pag. 134.

Titulus XXVIII. *De Sepulturis in 14. capita diſtinctus.* pag. 134.

Titulus XXIX. *De Parochiis, & alienis Parochianis in 5. cap. diſtinctus.* pag. 136.

Titulus XXX. *De decimis, Primitiis, & Oblationibus in 35. capita diſtinctus.* pag. 137.

Titulus XXXI. *De Regularibus, & Tranſeuntibus ad Religionem in 24. cap. diſtinctus.* pag. 140.

Titulus XXXII. *De Converſione Conjugatorum in 22. capita diſtinctus.* pag. 142.

Titulus XXXIII. *De Converſione Infidelium in duo capita diſtinctus.* pag. 144.

Titulus XXXIV. *De Voto, & Voti Redemptione in 11. capita diſtinctus.* pag. 144.

Titulus XXXV. *De ſtatu Monachorum, & Clericorum Regularium in 8. capita diſtinctus.* pag. 146.

Titulus XXXVI. *De Religioſis Domibus, ut Epiſcopo ſint ſubjectæ in 9. capita diſtinctus.* pag. 147.

Titulus XXXVII. *De Cappellis Monachorum, & aliorum Religioſorum in 4. capita diſtinctus.* pag. 148.

Titulus XXXVIII. *De Jure Patronatus in 31. cap. diſtinctus.* pag. 149.

Titulus XXXIX. *De Cenſibus, Exactionibus, & Procurationibus in 27. capita diſtinctus.* pag. 152.

Titulus XL. *De Conſecratione Eccleſiæ, vel Altaris in 10. capita diſtinctus.* pag. 154.

Titulus XLI. *De Celebratione Miſſarum, Sacramento Euchariſtiæ, & Divinis Officiis in 14 capita diſtinctus.* pag. 155.

Titulus XLII. *De Baptiſmo, & ejus effectu in 6. cap. diſtinctus.* pag. 157.

Titulus XLIII. *De Præsbytero non baptizato in tria cap. diſtinctus.* pag. 158.

Titulus XLIV. *De Cuſtodia Euchariſtiæ, Chriſmatis, & aliorum Sacramentorum in duo capita diſtinctus.* pag. 158.

Titulus XLV. *De Reliquiis, & Veneratione Sanctorum in duo capita diſtinctus.* pag. 159.

Titulus XLVI. *De Obſervatione jejuniorum in tria cap. diſtinctus.* pag. 159.

Titulus XLVII. *De Purificatione poſt Partum, unico capite comprehenſus.* pag. 160.
Titulus XLVIII. *De Eccleſiis ędificandis, vel reparandis in ſex capita diſtinctus.* pag. 160.
Titulus XLIX. *De Immunitate Eccleſiarum, Cœmeterii, & Rerum ad eas pertinentium in decem cap. diſtinctus.* pag. 161.
Titulus L. *Nè Clerici, vel Monachi Sęcularibus negotiis ſe immiſceant in* 10. *cap. diſtinctus.* pag. 162.

LIBER

Digitized by Google

LIBER QUARTUS DECRETALIUM

Titulos XXI. compræhendens.

TITULUS PRIMUS.

De Sponſalibus, & Matrimonijs in Cap. 32. diſtinctus.

IN præcedenti libro tractatum eſt de his, quæ ſpectant ad Clericos, modò ſequitur agendum in hoc libro de his, quæ pertinent ad Laicos. Inter quæ ſpecialem locum obtinent Sponſalia, & Matrimonia; undè de his habetur præſens Titulus.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 27. quæſt. 2. in multis Capitulis. Cauſa 29. qu. 1. & Cauſa 32. qu. 1. 2. & 3. per totum. In 6. lib. 4. Tit. 1.

In 1. cap., quod incipit. *De Francia*, ex Concilio Triburienſi, ſtatuitur quòd Matrimonium ſubſtantialiter conſiſtit in ſolo conſenſu contrahentium, nèc invalidatur, ſi ſolemnitates, ſeù verba juxtà morem Patriæ non ſint expreſſa, dummodò tamen verus conſenſus, & mutuus contrahentium ſit exhibitus: nàm conſuetudo, ſeu ſolemnitas Patriæ non ſunt de eſſentia. Sic D. Thomas in ſuppl. 3. part. qu. 42. artic. 1. ad. 2. ubi hæc habet verba: *Ad 1. ergo dicendum, quòd verba, quibus conſenſus exprimitur matrimonialis, ſunt forma hujus Sacramenti, non autem benedictio Sacerdotis, quæ eſt quoddam Sacramentale.*

Sed quomodò verba habeant rationem formæ in Sacramento Matrimonii, omiſſis opinionibus variis circa hanc materiam, eligo probabiliorem cum Gonc. Tom. 5. diſput. 2. de Matrimonio art. 5. videlicet verba, ſeu ſigna Coniugum, quibus mutuum conſenſuum exprimunt, eſſe ſibi invicem materiam, & formam ſecundum diverſas conſiderationes, nam quatenus per ea mutuò ſua corpora in coniugium ſibi invicem tradunt, habent rationem materiæ; in quantum verò per ea corporum traditionem ſibi mutuò factam acceptant, habent rationem formæ.

Cujus ratio eſt, quia Matrimonium in ratione contractus non differt à reliquis contractibus civilibus, neque ut Sacramentum eſt, habet diverſam materiam, aut formam à ſeipſo ut contractus eſt. Atqui in contractibus civilibus, traditio ut ſenſibili ſigno facta habet rationem materiæ, acceptatio verò verbis expreſſa habet rationem formæ. Ergo, & in contractu Matrimonii, & in Matrimonio, ut Sacramentum eſt.

In 2. cap., quod incipit. *Præterea*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd ſponſalia de futuro, etiàm jurata, diſſolui poſſunt, ſi Sponſi mutuò ſe diſſolvant: Et in in tali caſu non ſunt ab Eccleſia compellendi ad Matrimonium, ne coactè contrahant, & invalidè.

In 3. cap., quod incipit. *Juvenis*. ex Eugenio Papa, ſtatuitur, quòd ſi major ſeptennio contrahat Sponſalia cum Puella proxima ſeptennio, in quâ malitia ſuppleat ætatem, valida ſunt talia Sponſalia; undè ex illis oritur impedimentum publicæ honeſtatis: proptèr quod ſi Puella interim moriatur, non poteſt vir contrahere Matrimonium cum aliqua ejus conſanguinea in primo gradu, puta cum Sorore, aut Matre, & si contrahant, invalidum eſt. In

Digitized by Google

In 4. cap. quod incipit. *Ad Audientiam*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd ex Sponſalibus contractis cum Conſanguinea etiam invalidis oritur impedimentum publicæ honeſtatis, ut ſcilicet ille, qui taliter cum ea contraxit Sponſalia, non poſſit Matrimonium contrahere cùm ejus Conſanguinea in primo gradu; & hoc de Jure antiquo: Sed de Jure novo ex Sponſalibus invalidis nullum impedimentum oritur publicæ honeſtatis, ex Tridentino; ſecùs ex Matrimonio rato.

In 5. cap. quod incipit. *De illis*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Sponſus de futuro ante copulam ad partes remotas ſe transferat, & per notabile tempus non redeat, Sponſa poteſt à Sponſalibus reſilire, & cum alio contrahere: non enim tenetur Sponſa Sponſum vagabundum ſequi, & ultrà triennium expectare. Mora enim ſua cuilibet eſt nociva.

In 6. cap. quod incipit. *De Muliere*, ex eodem, ſtatuitur, quòd non omnis violentia impedit contractum Matrimonij, ſed ſolùm illa, quæ eſt gravis, & cadit in conſtantem virum; non autem illa, quæ eſt levis violentia, nec cauſat involuntarium ſimpliciter; nam eſt hæc cum libertate.

In 7. cap. quod Incipit. *Ex literis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in Matrimonio contrahendo, primò attendenda eſt diſcretio, & ætas legitima. Secundò verba, quibus contrahentes mutuum exprimunt conſenſum, quæ verba, ſi obſcura ſint, accipi debent ſecundùm communem ſignificationem, & interpretationem.

In 8. cap. quod incipit. *Sponſam*, ex eodem, ſtatuitur, quòd inter Sponſam, & Conſanguineos Sponſi oritur impedimentum publicæ honeſtatis, impediens, & dirimens Matrimonium inter eos contrahendum: quod impedimentum ex lege novâ ſolum ſe extendit ad primum gradum, ut dictum eſt ex Tridentino ſeſſ. 24. cap. 3.

In 9. cap. quod incipit. *Ex parte*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Vir, & Mulier ſi ſibi ad invicem promittant ſe habituros ab eo tempore in Coniuges, fidemque Maritalem ſervaturos; de facto per hæc verba Matrimonium contrahunt de præſenti, nec eſt licitum eis deinceps ſeparari.

In 10. cap. quod incipit. *Ex literis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui juravit contrahere Matrimonium cum aliqua Muliere, ſi non advenerit impedimentum, aut rationabilis, & urgens cauſa reſiliendi, per Cenſuram Eccleſiaſticam debet compelli ad ſtandum promiſſis, & juramento.

In 11. cap. quod incipit. *Non eſt*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Pater detinens Uxorem filii, vel impediens eam ad ſuum Maritum accedere, debet per Cenſuras Eccleſiaſticas compelli ad eam reſtituendam, cùm iniuſtè detineat: quos enim Deus coniunxit, homo non debet ſeparare.

In 12. cap. quod incipit. *Præterea*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Matrimonium ad dictum unius aſſerentis, & certò deponentis de impedimento, impeditur, ne contrahatur: ſecùs autem ſi tale Matrimonium jàm ſit contractum, vel juratum; tunc enim ad diſſolvendum non ſufficit dictum unius, ſed requiruntur juridici Teſtes, qui certò probent.

In 13. cap. quod incipit. *Veniens*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Mulier invita, & coacta contrahat Matrimonium, nec in illud poſtea conſentiat, nullum erit tale Matrimonium; & ſi alteri nubat, validum erit hoc ſecundum matrimonium: nàm validitas Matrimonii pendet à liberâ voluntate contrahentium.

In 14. cap. quod incipit. *Cum locum*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in cauſâ Matrimonii, quando timetur de metu, aut violentiâ, quæ poſſet inferri à partibus Puellæ, de cujus Matrimonio agitur, debet Judex eam in loco tuto, & honeſto reponere, ut liberè, & ſincerè poſſit ſuam mentem aperire: nam Matrimonia pendent à libero conſenſu, ut dictum eſt.

In 15. cap., quod incipit. *Veniens*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi ad Sponſalia de futuro ſequuta eſt Copula, præſumitur Matrimonium contractum; undè non diſſolvitur per aliud Matrimonium ſubſequens. Ad validitatem autem Matrimonii neceſſarius eſt mutuus conſenſus liber; quod ſi intercedat metus cadens in con-

conſtantem virum, Matrimonium non tenet.

In 16. cap. quod incipit. *Commiſſum*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in caſu, quo quis juraverit cùm aliqua contrahere, ſi mutatâ voluntate vult Religionem ingredi, debet primò Matrimonium cum illa contrahere, ut juramentum ſervet, & poſtea antè conſumationem, Religionem ingredi, etiam ipsâ invitâ.

In 17. cap. quod incipit. *Requiſivit*, ex Lucio III. ſtatuitur, quòd Mulier, etiamſi juraverit Matrimonium contrahere cùm aliquo, ſi poſtea mutatâ voluntate recuſet, non eſt ab Eccleſia compellenda cenſuris, ſed ſuaſionibus inducenda ad ſervandam promiſſionem: nam Matrimonia non debent eſſe coacta; talia enim plerumque difficiles habent exitus.

In 18. cap. quod incipit. *Cùm in Apoſtolica*, ex Urbano III. ſtatuitur, quòd litis pendentia ſuper Matrimonio, de cujus validitate dubitatur, ſi reverà tale Matrimonium eſt nullum, non impedit validitatem ſecundi Matrimonii ſuppoſito enim quòd primum ſit nullum, licèt adhuc non declaratum à Judice, impedire non poteſt ſecundum, peccat tamen, & eſt puniendus, qui taliter contrahit ſecundum, non priùs declaratâ nullitate primi Matrimonii.

In 19. cap. quod incipit. *In præſentia*, ex Clemente III. ſtatuitur, quòd uxor, ſi priùs non certificetur de morte ſui viri, qui per multum temporis eſt abſens, non poteſt cùm alio contrahere: eſt enim Matrimonium indiſſolubile, vivente primo Marito.

In 20. cap. quod incipit. *Inter opera*, ex eodem, ſtatuitur, quòd contrahere Matrimonium cùm Muliere peccatrice volente ſe corrigere, eſt opus maximæ charitatis, & valdè proficit ad remiſſionem peccatorum.

In 21. cap. quod incipit. *Ad id*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Matrimonium per vim, & metum gravem contractum, licèt à principio non ſubſiſtat; ſi tamen tales præſumpti Conjuges ſimul ſpontè cohabitent per notabile tempus, præſumitur convaleſcere per mutuum conſenſum.

In 22. cap. quod incipit. *Sicut ex literis*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd ſponſalia de futuro, etiamſi fuerint jurata, diſſolvuntur per ſponſalia de præſenti; hæc enim habent vim Matrimonii rati: non tamen diſſolvuntur per ſecunda ſponſalia de futuro, quia prima prævalent.

In 23. cap. quod incipit. *Cùm apud*, ex eodem, ſtatuitur, quòd etiam mutus, & ſurdus, & omnes alii, qui de Jure non prohibentur, poſſunt Matrimonium contrahere, quod enim verbis non poſſunt, ſignis, & nutibus valent declarare.

In 24. cap. quod incipit. *Dilectus Filius*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Matrimonium contractum cùm homine furioſò, ſcilicet alienatæ mentis, non tenet, cùm careat uſu rationis: ſecùs ſi alienatio rationis, ſeù furia ſupervenerit matrimonio jàm contracto.

In 25. cap. quod incipit. *Tuæ Fraternitati*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Matrimonium conſiſtit ſubſtantialiter in ſolo mutuo conſenſu: verba autem, vel ſigna externa requiruntur tamquàm exprimentia internum conſenſum, ex quibus conſenſus probari poteſt.

In 26. cap. quod incipit. *Tua nos*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi alter contrahentium utatur verbis dubiis, animo decipiendi mulierem, & non contrahendi Matrimonium cùm ipſa, ſi poſtea eam carnaliter cognoſcat, in Foro Judiciali præſumitur validè contraxiſſe Matrimonium: ſecus autem in Foro Pœnitentiali, in quo ſolùm attenditur veritas facti; cùm enim non fuerit conſenſus ex parte viri, nullum eſt Matrimonium.

In 27. cap. quod incipit. *Cùm in tua*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi aliquis vir gravis, & prudens ſolo zelo ductus denunciat impedimentum cõſanguinitatis inter aliquos, qui volunt contrahere, & inſuper doceat de famâ talis impedimenti, eſt ei credendum: unde impeditur tale Matrimonium.

In 28. cap. quod incipit. *Conſultationi*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd ſi Mulier poſt contractum Matrimonium cùm viro, velit probare, ſe non conſenſiſſe niſi per vim, & metum, poteſt audiri; ſed tenetur probare vim, & toto tempore duraſſe, nec unquàm tale Matrimonium ratificaſſe.

 In

In 29. cap. quod incipit. *Gemma*, ex Gregorio IX. ſtatuitur quòd matrimonia, ſicut etiam ſponſalia debent eſſe omninò libera ab omni coactione perſonæ, vel pecuniæ: unde in ſtipulatione non debet apponi pœna; & ſi apponatur, non tenet.

In 30. cap. quod incipit. *Is qui fidem*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſponſalia de futuro tranſeunt in Matrimonium per carnalem copulam ſubſequutam; quia licet tale Matrimonium videatur præſumptum, tamen quia hæc præſumptio eſt Juris, & de Jure, contra eam probatio non admittitur: unde ſi poſtea à viro aliud Matrimonium contrahatur, invalidum eſt, & tenetur ad primam redire.

In 31. cap. quod incipit. *Si inter virum*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſponſalia de præſenti, mutuò ſcilicet expreſſa actuali conſenſu, non ſolvuntur per ſequens Matrimonium cùm altera, etiam carnali copula cognitâ, cùm illa ſponſalia de præſenti dicantur verum Matrimonium ratum per mutuum conſenſum: ſi autem ſponſalia ſint de futuro, etiam jurata, ſolvuntur per ſponſalia de præſenti, cùm hæc habeant vim matrimonii.

In 32. cap. quod incipit. *Adoleſcens*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ad hoc ut ſponſalia de futuro tranſeant in Matrimonium, neceſſe eſt, ut ſponſus carnaliter cognoſcat ſponſam; quòd verò nitatur cognoſcere, ſed de facto non cognoſcat, non præſumitur, nec exiſtimatur Matrimonium: unde ſi talis vir contrahat cum alia de præſenti, valebit hoc Matrimonium, & aget vir pœnitentiam de fide mentitâ. De hac materia, agit S. Th. in Supplement. 3.p. q.43. art.1. in corpore ubi ait: *Conſenſus in Conjugalem copulam per verba de futuro non facit Matrimonium, ſed Matrimonii promiſſionem, & hæc promiſſio dicitur ſponſalia à ſpondendo, ut dicit Iſidorus; nam ante uſum tabularum, matrimonii cautiones dabant, quibus ſpondebant, ſe invicem conſentire in jure Matrimoniali, & fidejuſſores dabant; fit autem iſta promiſſio duppliciter, ſcilicet abſolutè, & ſub conditione. Abſolutè quatuor modis. Primò, nuda promiſſione, ut cùm dicitur, accipiam te in meam, & è converſo. Secundò, datis arrhis ſponſalitiis, ut pecuniâ, vel alio hujuſmodi: Tertiò, anuli ſubarrhatione. Quartò, interveniente juramento; ſi autem prædicta promiſſio fiat ſub conditione, diſtinguendum eſt, quia aut eſt conditio boneſta, ut cùm dicitur, Accipiam te, ſi parentibus placeat, & tunc ſtante conditione ſtat promiſſio, & non ſtante, non ſtat; aut eſt inboneſta, & hoc duppliciter, quia aut eſt contraria bonis Matrimonii, ut ſi dicam, Accipiam te, ſi venenum ſterilitatis accipies, & tunc non contrahuntur ſponſalia; aut non eſt contraria bonis Matrimonii, ut ſi dicam, Accipiam te, ſi furtis meis conſentias, & tunc ſtat promiſſio, ſed tollenda eſt conditio.* Hæc D. Th. & ar.3. explicat, quando ſponſalia dirimuntur, ſe conformando ſupradictis canonibus. Videatur in toto hoc articulo cùm reſponſionibus ad Argumenta.

TITULUS II.

De Deſponſatione Impuberum, in 24. capita diſtinctus.

IN ſuperiori Titulo tractatum eſt de ſponſalibus in genere, in ſequenti titulo erit agendum de conditionibus, quæ ad ſponſalia requiruntur, & primo de ætate: an ſcilicet deſponſatio impuberum valida ſit, & quomodò poſſit obligare.

Agitur de hac materia in Decreto cauſa 20. qu.1. cap. 1. & cauſa 30. qu. 2. In 6. lib.4. titulo 2.

In 1. cap. quod incipit. *Tua Fraternitas*, ex Hormiſda Papa, ſtatuitur, quòd Pater poteſt contrahere ſponſalia de futuro pro Filio impubere, quia adhuc in tali ætate diſcerni non poteſt ejus voluntas; quæ tamen ſponſalia debent rata haberi ab eodem jam adulto, ut validitatem habeant, & Matrimonium contrahatur, aliàs reſcinduntur. Pro Filio Adulto Pater non poteſt nedùm Matrimonium, ſed nec etiam ſponſalia de futuro contrahere: in adultis enim requiritur proprius conſenſus.

In 2. cap. quod incipit. *Ubi non eſt*, ex Nicolao Papa, ſtatuitur, quòd ſi vir, & mulier ſint ambo impuberes, vel alter eorum ſit adhuc in pubertate, contrahere

non

non poſſunt Matrimonium ; non enim impuberes poſſunt præſtare perfectum conſenſum neceſſarium ad validitatem Matrimonii. Ætas autem pubertatis ſtatuta a lege tàm Civili, quàm Canonicâ pro Matrimonio, in maſculis eſt ætas 14. annorum, in Fæmina ætas annorum 12. Prò contrahendis autèm Sponſalibus de futuro eſt ætas 7. annorum: Infra tamèn talem ætatem Sponſalia de futuro contrahi poſſunt in aliquo caſu maximæ neceſſitatis, puta pro bono pacis, aut bono Communitatis; debent tamèn rata haberi à contrahentibus, cùm pervenerint ad legitimam ætatem, ut dictum eſt.

In 3. cap., quod incipit. *Puberes*, ex Iſidoro, oſtenditur, pubertatem ad Matrimonium requiſitam non eſſe tantùm computandam ex annis, ſed potius ex habitu corporis, ut ſcilicet puberes dicantur, qui poſſunt generare; & quià in annis aſſignatis pro Maſculis, & Fæminis præſumitur vis generativa, ideò in eis præſumitur pubertas neceſſaria ad Matrimonium conſumandum, ex quo habeantur illa tria bona Matrimonii, ſcilicet Fides, Proles, & Sacramentum.

In 4. cap., quod incipit. *Literas*, ex Alexandro III., ſtatuitur, quòd Sponſalia contracta cùm Puella ante ſeptennium nulla ſunt; undè ex eis non oritur impedimentum publicæ honeſtatis; validantur autem per conſenſum præſtitum ab eadem Puella conſtituta in ſeptennio, & tunc oritur tale impedimentum: undè ſi aliquis contrahat Sponſalia cum Puella antè ſeptennium, poterit ejus Matrem ducere in Uxorem, dummodò Puella conſtituta in ſeptennio non ratificaverit: quòd ſi ratificavit, & poſteà matrimonium cùm Matre ſit contractum, in tali caſu non eſt validum Matrimonium proptèr impedimentum publicæ honeſtatis, nec poterit deindè contrahere cùm Filia propter eàmdem rationem, quià contraxit cùm matre, & orta eſt affinitas.

In 5. cap., quod incipit. *Acceſſit*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Sponſalia nulla ex defectu conſenſus, puta cùm Puella antè ſeptennium conſenſit, non inducunt impedimentum publicæ honeſtatis: undè qui talitèr contraxit Sponſalia cum Puella, ipsâ nullo modo ratificante per conſenſum, poterit contrahere Matrimonium cùm Matre ipſius: Secùs ſi ipſa Puella ſemel conſenſit in Sponſalia, licèt poſteà diſſentiat; tunc enim oritur impedimentum, quià talia Sponſalia valida ſunt.

In 6. cap., quod incipit. *Continebatur*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Puella major ſeptennio, ſed adhùc impubes, contrahat Sponſalia, & traducta ſit in domum Sponſi, deinde pabes facta, vèl proxima pubertati velit reſilire à Sponſalibus, & contrahere Matrimonium cùm alio, non eſt audienda, ſi Sponſus probet eam cognoviſſe, & hoc aſſerat cùm Juramento: potius enim credendum eſt viro, quàm mulieri. Ex his autèm Sponſalibus oritur impedimentum publicæ honeſtatis.

In 7. cap., quod incipit. *De illis*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi majores ſeptennio, antequam pervenerint àd annos pubertatis, contraxerint Sponſalia, non poſſunt reſilire, donèc ambo ad pubertatem pervenerint; & ille qui primò ad pubertatem pervenerit, tenebitur alterum expectare, quòd ſi alter illorum ſit impubes, & alter pubes, & contrahant Sponſalia, hic non, ſed alter factus pubes, poterit reſilire propter debilitatem ætatis.

In 8. cap. quod incipit. *A nobis*, ex eodem ſtatuitur, quòd Impuberes ſi Sponſalia contrahant, non poſſunt reſilire, antequam pervenerint ad annos pubertatis, & tunc poſſunt ſeparari, ſi tamen copula inter eos non præceſſerit.

In 9. cap., quod incipit. *De illis, qui in minori*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui in minori ætate ſcilicèt ante pubertatem contraxerunt matrimonium, ſed in eis malitia ſupplebat ætatem, itaùt eſſent capaces ad carnalem copulam, non poſſunt ſeparari prætextu minoris ætatis. Si autem in tali contractu Matrimonii intervenerit violentia, tùnc ſeparari poterunt; niſi tamèn interceſſerit copula, pèr quam præſumitur Matrimonium ratificatum, eſtò à principio violentèr factum.

In 10. cap., quod incipit. *Atteſtationes*, ex Urbano III., ſtatuitur, quòd contractus Matrimonii ante annos pubertatis

tatis regularitèr non tenet, etiamſi attentata fuerit carnalis copula, ſed non effecta: niſus enim copulæ non facit Matrimonium, ſed habilitas ad copulam.

In 11. cap., quod incipit. *Ex literis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Sponſalia contracta per vim ab ea, quæ eſt conſtituta in legitima ætate cùm eo, qui eſt adhùc impubes, non ſunt valida; undè ſi illa perſeveret invita, nèc ullo modo conſenſum preſtat, poteſt ſeparari, etiam antequam impubes perveniat ad annos pubertatis: quià ſponſalia illa, utporè coacta, nulla ſunt.

In 12. cap., quod incipit. *Duo Pueri*, ex Clemente III., ſtatuitur, quòd ſi ſponſalia contrahantur cùm Puella minore ſeptennio, etſi invalida ſint; tamèn per cohabitationem mutuam pòſt ſeptennium convaleſcunt, & inducunt publicæ honeſtatis impedimentum. Solvuntur tamèn per Matrimonium contractum cùm alia de præſenti: nàm matrimonium utporè fortius vinculum, rumpit Sponſalia, licèt valida.

In 13. cap., quod incipit. *Ad diſſolvendum*, ex Innocentio III., ſtatuitur, quòd contrahens cùm Puella ante ſeptennium, invalidè, & nullitèr contrahit ſivè Matrimonium, ſive Sponſalia; & ſi intèr eos fuerit conſanguinitas, accuſari quidem poteſt tale impedimentum, non ad dirimendum quod factum eſt, ſed ad impediendum, ne fiat in poſterum.

In 14. cap., quod incipit. *Tua nobis*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi quis contrahat cum Puella impubere, in qua malitia non ſupplet ætatem; licèt contrahat per verba de præſenti, non intelligitur contraxiſſe Matrimonium, ſed ſolum Sponſalia, etiàmſi interceſſerit ſubarrhatio; quià Matrimonium in tali ætate co ntractum cùm inhabili ad Matrimonium, eſt nullum. Undè talis Puella ſi in ætate legitima conſtituta, Matrimonium contraxerit cùm alio, hoc ſecundum Matrimonium tenet. Videatur D. Thom. in ſupplem. 3. partis qu. 45. Art. 2. ubi per totum articulum agit de deſponſatione Impuberum, & in Corp. ſic ſtatuit *ſeptennium eſt tempus determinatum à jure Sponſalibus contrahendis ſatis rationabiliter, quia cùm Sponſalia ſint quædam promiſſiones futurorum, oportet, quòd illorum ſint, qui aliquo modo promittere poſſint, quod non eſt, niſi illorum, qui habent aliquam pcovidentiam de futuris, quæ Uſum rationis requirit*. Et in ſolutione ad tertium determinat tempus pubertatis pro Matrimonio contrahendo his verbis: *Ad Tertium dicendum, quòd in tempore Contractus Matrimonii non ſolum requiritur diſpoſitio ex parte Uſus rationis, ſed etiam ex parte Corporis, ut ſit tempus generationi aptum; & quia Puella in duodecimo anno ad hoc venit, ut poſſit eſſe actui generationis apta, puer autem in fine ſecundi ſeptennii, ut Philoſophus ait lib. 7. de hiſtoria Animalium. Simul autem uſum diſcretionis accipiunt, qui tantùm in Sponſalibus requiritur, ideo in ſponſalibus determinatur unum tempus utrique, non autem in Matrimonio*.

TITULUS III.

De Clandeſtina Deſponſatione in tria Capita diſtinctus.

QUià antè Concilium Tridentinum, non ſolùm Sponſalia, ſed etiam Matrimonia contrahebantur quandoque clandeſtinè, etiam inſciis ipſis Parentibus: ideo poſtquàm dictum eſt de Sponſalibus, & Matrimoniis in genere, & deinde Impuberum, tractandum eſt de Sponſalibus & Matrimoniis Clandeſtinis.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 3. qu. 4. cap. *Conſanguineorum*. Et Cauſa 30. qu. 5. per totum.

In 1. cap., quod incipit. *Si quis*, ex Concilio Arelatenſi, ſtatuitur, quòd Clandeſtinum Matrimonium non præſumitur in Jure, ſed illud allegans, tenetur probare; aliàs ſi non probet, reiicitur.

In 2. cap., quod incipit. *Quod nobis*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd de Matrimonio occulto Eccleſia non judicat, ſi aliàs legitimè non probetur ab eo, qui ſtat pro legitimo Matrimonio. Si autem uterque Conjux petant tale Matrimonium publicari in Eccleſia, tunc Eccleſia illud poteſt, & debet approbare,

tam-

tamquàm à principio legitimè factum ; unde Filii ex eo nati habeantur tamquam legitimi. Coniugibus enim concordibus in tali facto credendum eſt: unde valent talia matrimonia, niſi obſtet aliquod ex impedimentis dirimentibus.

In 3. cap., quod incipit. *Cùm inhibitio*, ex Innocentio III. in Concilio Generali. 1. prohibentur Matrimonia Clandeſtina 2. ſtatuitur, quòd quando Matrimonium. Eſt contrahendum, debet per Parochum in Eccleſia publicè proponi, aſſignato termino competenti, infrà quem qui ſcit eſſe impedimentum inter contrahentes, tenearur revelare, quæ revelatio ſi fiat, aut ſit aliqua probabilis ſuſpicio de impedimento, ſuſpendendum eſt Matrimonium, donec, de hoc cognoſcatur juridicè. 3. ſtatuitur, quòd ſi in gradu prohibito contracta ſint Matrimonia, aut contra formam ſtatutam à Concilio, de publicatione Parochi, Filii ex illo Matrimonio nati, ſunt illegitimi. 4. ſtatuitur pæna contrà Parochos, ſi non obſervent Decretum Concilii de Publicationibus prò Matrimonio contrahendo, ſcilicet ſuſpenſio ab Officio per triennium: Similitèr ipſi ſic contrahentes ſunt puniendi; & etiam calumnioſè denunciantes contrà Matrimonium, gravitèr ſunt puniendi. Advertendum tamen eſt, quòd poſt Concilium Tridentinum, non ſolum damnantur Matrimonia Clandeſtina tamquàm illicita, ſed etiam tamquam irrita, & inania; quapropter inter Impedimenta dirimentia poſita fuit abſentia Parochi, & duorum Teſtium. Sic Tridentinum. Videatur D. Thom. in Supp. 3. partis qu. 45. Art. 5. per totum, & præcipuè in ſolutione ad 3. ubi habetur *prohibentur autem Clandeſtina Matrimonia propter pericula, quæ inde evenire ſolent, quia frequenter in talibus eſt aliqua fraus ex altera parte; frequenter etiam ad alia coniugia tranſeunt, dum pænitent de his, quæ ſubito facta ſunt, & multa alia mala inde accidunt, & ſpeciem turpitudinis præter hoc habent*.

TITULUS IV.

De Sponſa duorum, in quinque Capita diſtinctus.

QUià quandoque accidit, ut quis contrahat Sponſalia cùm duabus ſucceſſivè, cùm primâ ſcilicet publicè, & cum ſecundâ clandeſtinè: ideo poſtquàm de Deſponſatione clandeſtina dictum eſt, agitur de Sponsâ duorum, qualia ſcilicet Sponſalia debeant prævalere.

Tractatur de hac materia in Decreto diſt. 27. qu. 2. cap.. *Habito*, & cap. ultimo.

In 1. cap., quod incipit. *Duobus modis*. ex Auguſtino oſtenditur, quòd ſi quis contrahat Sponſalia cum duabus ſucceſſivè, tali modo, ſcilicet cum prima, & ſecunda per verba de præſenti, tenetur adherere primæ: ſi autem contraxit cum prima per verba de futuro, & cùm ſecunda per verba de præſenti, tenebitur ſecundæ, quià adveniente fortiori vinculo, rumpitur minus forte; Vinculum autem fortius eſt, quod naſcitur ex verbis de præſenti, quàm ex verbis de futuro: nàm per hæc contrahuntur Sponſalia præcisè; per illa vero contrahitur Matrimonium, quod eſt indiſſolubile.

In 2. cap., quod incipit. *Accepiſti*, ex Brocardo oſtenditur, quòd contrahens cum Fæmina alteri deſponſata per verba de præſenti, nulliter contrahit, & tenetur illam dimittere, & pænitere per quadraginta dies in pane, & aqua: nàm primum Matrimonium talis Feminæ eſt indiſſolubile.

In 3. cap., quod incipit. *Licet*, ex Alexandro III., ſtatuitur, quòd ſi aliquis contraxerit cum aliqua per verba de præſenti, & deinde contraxerit ſimiliter cum alia per verba de præſenti, tenetur ab iſta ſeparari, etiàmſi iſtam carnaliter cognoverit, & redire ad primam: nàm Sponſalia de præſenti habent vim Matrimonii indiſſolubilis; undè ſecundum Matrimonium nullum eſt, etiamſi ſecuta ſit copula.

In

Digitized by Google

In 4. cap., quod incipit. *Tua Fraternitas*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in cauſa validitatis Matrimonii, ſi aliquis Coniugum pendente lite, appellaverit à ſuo Judice, debet ab iſto Judice interdici, ne aliud Matrimonium contrahat lite pendente; & ſi contraxerit, debet ſeparari.

In 5. cap. quod incipit. *Tuas*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd conſuetudo, quæ in Eccleſia Mutinenſi erat introducta, quòd qui cum duabus ſucceſſivè contraxerat per verba de præſenti, eam reciperet in Uxorem, cum quâ primò Matrimonium conſumaſſet; corruptela dicenda eſt, & abuſus, & nullo modo toleranda: unde omnino prohibetur, præcipiendo, ut qui cùm duabus ſucceſſivè contraxit per verba de præſenti, primam tantùm habeat in Uxorem, relictâ ſecundâ, etiam primò carnaliter cognitâ; nam primum Matrimonium tenet, ſecundum eſt nullum, ut dictum eſt. Videatur D. Th. in ſuplemento 3. part. quæſt. 43. art. 3. ubi poſtquam ſibi objecit plures caſus, in quibus non videntur Sponſalia dirimi, tandem concludit in Corpore. *Reſpondeo dicendum, quòd in omnibus prædictis caſibus ſponſalia contracta dirimuntur, ſed diverſimodè, quià in duobus, ſcilicet cùm quis ad Religionem confugit, & cum alter conjugum cùm altero per verba de præſenti contrahit, ipſo Jure Sponſalia dimittuntur, ſed in aliis caſibus dirimi debent ſecundùm Judicium Eccleſiæ*. Legatur per totum Articulum, ex cujus doctrina, omnia, quæ in hoc Titulo, elucidantur.

TITULUS V.

De Conditionibus appoſitis in deſponſatione, vel in aliis contractibus in ſeptem capita diſtinctus.

CUM in præcedentibus Titulis actum ſit de Sponſalibus, & de Matrimoniis, & multoties contingat in his contractibus aliquas apponi conditiones, ſeu pacta, ideo de his proponitur præſens Titulus.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 17. qu. 4. & Cauſa 32. qu. 1. cap. ultimo, & qu. 2. cap. *Solet*, & cap. *Aliquando*, & quæſt. 8.

In 1. cap. quod incipit. *Quicumqae*, ex Concilio Aphricano, ſtatuitur, turpem conditionem appoſitam in contractu Matrimonii non vitiare validitatem Matrimonii, dummodò non ſit contra ſubſtantiam Matrimonii, ſed debere haberi tamquàm non appoſitam.

In 2. cap. quod incipit. *Cùm ſit*, ex Gregorio ſtatuitur, quòd libertas dari poteſt ſervo ſub conditione v. g. ut fiat Monachus; quòd ſi acceptetur ſub tali conditione, tenebitur manumiſſus adimplere voluntatem manumittentis per ingreſſum Religionis.

In 3. cap. quod incipit. *De illis*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd conditio honeſta poteſt apponi in contractu Matrimonii de futuro, ut v. g. tecum contraham Matrimonium, ſi dederis mihi dotem mille ſcutorum; quam conditionem ſi non adimpleat Mulier, Vir non tenetur eam ducere; ſi aliàs Vir interim non eam cognoverit carnaliter, aut abſolutè promiſerit: per actum enim copulæ præſumitur recedere à conditione.

In 4. cap. quod incipit. *Verum*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi aliquis donavit Eccleſiæ aliquam Poſſeſſionem ſub aliqua conditione, ſcilicet v.g. ut celebrentur tot Miſſæ pro anima donantis; etiamſi conditio iſta non adimpleatur, non poteſt revocari donatio, niſi hoc exprimatur in contractu, ſcilicet ut res reſtituatur, ſi non adimpletur conditio: debet tamen Eccleſia compelli ad conditionem adimplendam.

In 5. cap. quod incipit. *Super eo*, ex Urbano III. ſtatuitur, quòd Matrimonium ſub honeſta conditione contrahi poteſt, non tamen firmitatem habet, niſi adimpleta conditione per contrarium factum, v.g. per copulam ſubſecutam.

In 6. cap. quod incipit. *Per tuas*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd qui contrahit Sponſalia ſub honeſtâ conditione, ſed ante purificatam conditionem deſponſatam

ſatam cognoſcit, præſumitur recedere à conditione per conſenſum abſolutum.

In 7. cap. quod incipit. *Si conditiones*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd ſi in contractu Matrimonii apponatur aliqua conditio contrà ſubſtantiam Matrimonii; puta ſi aliquis contrahat cum hac conditione, ut prò quæſtu ſe adulterandam tradat, aut prolem evitet, aut contrahat cùm ea, uſquedum aliam nobiliorem inveniat talis conſenſus Matrimonii nullus eſt. Si autem apponatur in contractu Matrimonii aliqua conditio turpis, aut impoſſibilis contra ſubſtantiam Matrimonii, contractus eſt validus, & talis conditio habetur pro non poſita, & hoc in favorem Matrimonii. De hac materia egregiè agit S. Th. in ſupplemento 3. par. qu. 43. art. 1. in Corpore ubi ait: *Si fiat promiſſio in Sponſalibus ſub conditione, diſtinguendum eſt, quia aut eſt conditio honeſta, ut cum dicitur, Accipiam te, ſi parentibus placeat, & tunc ſtante conditione, ſtat promiſſio, & non ſtante non ſtat, aut eſt inhoneſta, & hoc dupliciter, quia aut eſt contraria bonis Matrimonii, ut ſi dicam, accipiam te ſi venena ſterilitatis procures, & tunc non contrahuntur Sponſalia; aut non eſt contraria bonis Matrimonii, ut ſi dicam, accipiam te, ſi furtis meis conſentias, & tunc ſtat promiſſio, ſed tollenda eſt conditio*. Hæc D. Th. videatur per totum Articulum, & præcipuè in ſolutione ad quartum.

TITULUS VI.

Qui Clerici, vel Voventes, Matrimonium contrahere poſſunt, in 7. capita diſtinctus.

Quia in Superioribus Titulis actum eſt de Matrimonio, agendum eſt in ſequentibus de impedimentis Matrimonii, & in præſenti Titulo quæritur de impedimentis Ordinis Sacri, & de impedimento voti.

Agitur de hac materia in Decreto diſt. 27. per totum, & Cauſa 17. qu. 1. & qu. 2. & Cauſa 27. qu. 1. per totum.

In 1. cap. quod incipit. *De Diacono*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd Diaconus contrahere non poteſt Matrimonium; & ſi contrahat, omninò eſt ſeparandus, & peracta debita pœnitentia de tali exceſſu, poterit diſpenſari, ut exerceat Ordinem, quem recepit, & ſucceſſivè ad Ordinem Presbyteratus aſcendat, ſi fructus veræ Pœnitentiæ oſtenderit.

In 2. cap., quod incipit. *Ex litterarum*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Subdiaconus contrahens Matrimonium cum aliqua, nullitèr contrahit, & eſt omninò ſeparandus, & gravitèr puniendus taliter quòd ſuſpendatur ab Officio, Subdiaconatus, nec permittatur ad Superiores Ordines aſcendere ſed tantùm in Minoribus miniſtrare; niſi tamen in ſignum veræ pœnitentiæ ad Religionem tranſire voluerit: tunc enim cùm ipſo eſt diſpenſandum.

In 3. cap. quod incipit. *Meminimus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Votum ſolemne, ſivè ſit Religionis, ſivè Ordinis Sacri, impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit contractum. Votum autem ſimplex impedit contrahendum, ſed non dirimit contractum: requiritur tamèn diſpenſatio ad petendum debitum.

In 4. cap., quod incipit. *Conſuluit nos*, ex eodem, ſtatuitur, quòd aſſumptio habitus Religioſi, antequàm emittatur Profeſſio, non dirimit Matrimonium contractum, nèc impedit contrahendum, nàm habitus Monachum non facit, ſed Profeſſio Monachalis.

In 5. cap., quod incipit. *Veniens*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Votum ſimplex caſtitatis impedit quidèm Matrimonium contrahendum, ſed non dirimit contractum. Ex cauſa tamen rationabili tale Votum poteſt ab Eccleſia commutari, ut Matrimonium licitè contrahatur.

In 6. cap., quod incipit. *Rurſus*, ex Cœleſtino III., ſtatuitur, quòd Votum ſimplex caſtitatis impedit Sponſalia de futuro, etiàm jurata; non tamèn dirimit Matrimonium, ſi factum ſit: tenetur tamen, qui vovit, petere commutationem Voti, & agere pœnitentiam de violatione Voti.

In 7. cap., quod incipit. *Inſinuante*, ex Innocentio III., ſtatuitur, quòd Votum ſolemne, quod emittitur vel per Reli-

Religioſam Profeſſionem, vel per ſuſceptionem Ordinis Sacri non tantùm impedir, ſed dirimit, non ſolùm ſponſalia, ſed etiam Matrimonium, poſtquam fuerit contractum. Videatur D. Th. in ſupplemento 3. part, qu. 53. art. 1. in corpore ubi ſic ait: *Votum ſimplex quamvis impediat Matrimonium contrahendum, quia peccat contrahens Matrimonium poſt votum ſimplex continentiæ, tamen quia verus contractus eſt, non poteſt propter hoc Matrimonium dirimi*, & art. 1. in Corpore loquens de voto ſolemni caſtitatis, ait: *Votum ſolemne ex ſui natura habet, quòd dirimat Matrimonium contractum, inquantùm ſcilicet per ipſum homo amiſit ſui corporis poteſtatem, Deo illud ad perpetuam continentiam tradens, & ideo non poteſt ſe ipſum tradere in poteſtatem Uxoris, Matrimonium contrahendo, & quia Matrimonium, quod ſequitur tale votum, nullum eſt, ideo tale votum dirimere dicitur Matrimonium contractum*, & art. 3. in corpore de Ordinibus Sacris ait: *Ordo Sacer de ſui ratione habet, ex quadam congruentia, quòd Matrimonium impedire debeat, quia in Sacris Ordinibus conſtituti, Sacra vaſa, & Sacramenta tractant, & ideo decens eſt, ut munditiam Corporis per continentiam ſervent; ſed quòd impediat Matrimonium ex conſtitutione Eccleſiæ habet*. Hæc D. Th. videatur per totam hanc Quæſtionem, & per omnes Articulos illius,

TITULUS VII.

De eo, qui ducit in Matrimonium, quam polluit per Adulterium in octo capita diſtinctus.

QUia in Superiori Titulo dictum eſt de impedimento Ordinis Sacri, & Voti, nunc ſequitur agendum de impedimento criminis, quòd tunc eſt, quandò quis adulteratur cum promiſſione ducendi adulteram in Uxorem poſt mortem Mariti, ſive ſit promiſſio ſimplex cum Adulterio, ſivè ſit promiſſio cum adulterio, & machinatione unius, vel utriuſque in mortem Mariti, ad effectum efficiendi tale Matrimonium.

Agitur de hac materia Cauſa 31. qu. 1. & Cauſa 32. qu. 4. per totum, & qu. 7. in multis Capitulis.

In 1. cap. quod incipit. *Propoſitum*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd ſi quis conjugatus contrahat cùm ſecunda, ea ignorante de primo Matrimonio Viri, & eam carnaliter cognoſcat, prima Uxore mortua, ad petitionem Viri, non debet vir ſeparari à ſecunda, ſed debet vir ad ejus inſtantiam compelli ad contrahendum validè cum ea propter bonam fidem Mulieris; nec vir ex fraude commiſſa debet commodum reportare.

In 2. cap. quod incipit. *Significavit*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi quis, vivente prima Uxore licet non cognita, contraxerit cum ſecunda ſcienter, licet eam cognoſcat, etiam mortua prima, ſecundam habere non poteſt: ſuppoſito tamen quòd primum Matrimonium fuerit validum, ac proinde indiſſolubile, & ſecunda Mulier ſit conſcia talis Matrimonii: tunc enim oritur inter eos impedimentum criminis.

In 3. cap. quod incipit. *Super hoc*, ex eodem ſtatuitur, quòd non poteſt quis contrahere cum illa, quam, Uxore vivente, cognovit, ſi ille machinatus ſit in mortem talis Vxoris: ex hoc enim oritur impedimentum criminis.

In 4. cap. quod incipit. *Ex litterarum*, ex Clemente III. ſtatuitur, quòd qui vivente Vxore, etiamſi ab eo ſeparata quoàd Thorum, aliam conſciam talis Matrimonii duxerit, & cognoverit, mortua prima Vxore, debet ſeparari à ſecunda propter impedimentum criminis: poterit tamen cum alia Muliere Matrimonium contrahere, ſuppoſito quòd non machinaverit in necem Vxoris; ſi enim fuit machinatio, nullam ducere poteſt propter Vxoricidium, quod eſt impedimentum impediens, licet non dirimens contractum.

In 5. cap. quod incipit. *Cùm haberet*, ex eodem ſtatuitur, quòd qui, vivente uxore, contraxit cùm alia, etiamſi cum hac longo tempore cohabitaverit, & plures ex ea ſuſceperit Filios, mortua prima Uxore, cum hac non poterit contra-

contrahere propter impedimentum criminis ſcilicet adulterii cùm promiſſione futuri Matrimonii.

In *6.* cap., quod incipit. *Significaſti*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd ſi quis, vivente Uxore, aliam carnalitèr cognoverit, abſque tamèn promiſſione Matrimonii, in caſu quòd moriatur ejus Uxor, mortuâ Uxore poterit eam ducere in Uxorem, dummodò neuter illorum in necem primæ Uxoris machinaverit. Ex ſimplici enim adulterio non oritur impedimentum criminis, ſed ex adulterio ſimul cum fide futuri Matrimonii, vel ex adulterio ſimul cum machinatione.

In 7. cap. quod incipit. *Veniens*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi quis, vivente uxore, cùm aliâ contrahat Matrimonium ipsâ neſciente de primo Matrimonio viri, mortuâ primâ uxore, licitè poteſt remanere cùm ſecundâ, novo conſenſu interveniente: nàm primus conſenſus datus, vivente prima uxore, fuit nullus; unde per novum conſenſum debet Matrimonium revalidari.

In 8. cap. quod incipit. *Si quis*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd ſi quis conjugatus contrahat cùm ſecundâ, quam tamen non cognovit, nec antè, nec poſt contractum tale Matrimonium, quod aliàs eſt nullum, vivente ſuâ primâ legitimâ uxore: hac mortuâ poterit cùm ſecundâ legitimè contrahere, nàm ex fide datâ, vel ex Matrimonio attentato abſquè adulterio, non oritur impedimentum criminis; debent tamen prædicti conjuges pœnitentiam agere propter Matrimonium attentatum, vivente prima uxore. De hac materia agit S.Th.in Suppl.*3*.par.q.*60*.ar.*2*., ubi explicat, quomodo uxoricidium ſit impedimentum quandoque ſolùm impediens, quandoque verò dirimens his verbis: *Uxoricidium ex ſtatuto Eccleſiæ Matrimonium impedit, ſed quandoque impedit contrahendum, & non dirimit contractum, quando ſcilicet propter adulterium vir occidit uxorem, aut etiam propter odium, tamen ſi timetur de innocentia ipſius, poteſt cùm eo diſpenſari per Eccleſiam, ut licitè Matrimonium contrahat; quandoque etiam dirimit contractum, ut quādo aliquis interficit uxorem ſuam, ut ducat eam, cùm qua mœchatur; tunc enim efficitur illegitima perſona ſimpliciter ad contrahendum cùm illa, ita quòd ſi defacto contraxerit cùm illa, matrimonium dirimitur, ſed per hoc non efficitur ſimpliciter perſona illegitima reſpectu aliarum mulierum; unde ſi cùm alia contraxerit, quamvis peccet, contra ſtatutum Eccleſiæ faciens, tamen matrimonium contractum non dirimitur propter hoc.* Hæc D. Thom. Videatur per totum articulum.

TITULUS VIII.

De Conjugio Leproſorum, in tria capita diſtinctus.

CUm in ſuperioribus Titulis tractatum ſit de aliquibus impedimentis Matrimonii, in præſenti agitur de Conjugio Leproſorum. cùm enim lepra dirimat ſponſalia de futuro, meritò dubitari poteſt, an dirimat Matrimonium contractum de præſenti.

In cap. 1. quod incipit. *Pervenit*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd lepra ſuperveniens alicui ex Conjugibus, non ſolùm non dirimit Matrimonium, ſed nec etiam ſeparat Conjuges, itaut non teneantur ad invicem reddere debitum. Poſſunt tamen mutuo conſenſu vovere perpetuam continentiam quoad ſimul vixerint.

In 2. cap. quod incipit. *Quoniam*, ex eodem, ſtatuitur, quod Leproſus, ſi ſe continere non valeat, poteſt validè, & licitè contrahere, ſi aliquam uxorem inveniat. Si autem lepra ſupervenerit, Matrimonio jam contracto, non per hoc conjuges ſunt ſeparandi, ſed debent maritali affectu conjuncti ſe tractare, & debitum reddere, ſi aliàs ſe continere non poſſint; quòd ſi recuſent, excommunicandi ſunt.

In 3. cap. quod incipit. *Literas*, ex Urbano III. ſtatuitur, quòd lepra ſuperveniens poſt ſponſalia de futuro, antè contractum Matrimonium, dirimit ſponſalia, taliter quòd non poſſit cogi ſponſa ſana, ſi nolit, ad contrahendum Mattimonium cùm ſponſo leproſo; & idem dicitur de qualibet alia deformitate, aut notabili

mutatione, quæ dirimit ſponſalia, non verò Matrimonium. Sic D. Th. in Supplemen. 3. p. q.43. art.3.ad 2. ubi ſic ait: *Si ante contractum Matrimonium aliquam gravem infirmitatem incurrat alter eorum, inter quos ſunt contracta ſponſalia, qua ipſum debilitet nimis, ut epilepſia, vel paralyſis, aut eum deformet, ut abſciſſio naſi, vel orbitas oculorum, aut aliquid hujuſmodi, aut qua ſunt contra bonum prolis, utpotè lepra, quæ ſolet prolem inficere, poſſunt ſponſalia dirimere, ne ſibi invicem diſpliceant, & matrimonium ſic contractum malum exitum ſortiatur*. Hæc D. Th.

TITULUS IX.

De Conjugio Servorum, in quatuor capita diſtinctus.

VIſum eſt in ſuperiori Titulo de impedimento lepræ: nunc ſequitur videndum de impedimento conditionis ſervilis, an, & quandò Matrimonium impediat, aut dirimat.

Agitur de hac materia in Decreto cauſa 29. q.2. per totum.

In 1. cap. quod incipit. *Dignum eſt*, ex Adriano, ſtatuitur, quòd ſervus, etiàm contradicente Domino, poteſt Matrimonium contrahere: tenetur tamen præſtare Domino continuatam, & ſolitam ſervitutem, uſquedùm fuerit manumiſſus.

In 2. cap. quod incipit. *Propoſuit*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd ſi liber ignoranter contraxerit Matrimonium cùm Ancilla, quam putabat liberam, & deindè ſucceſſu temporis ſcit eam eſſe Ancillam, Matrimonium non tenet, ſi poſt talem notitiam eam non cognoverit carnaliter: ſecùs ſi cognoverit eam eſſe Ancillam, nàm per talem cognitionem revalidatur Matrimonium, quod ab initio fuit nullum ex defectu conſenſus.

In 3. cap. quod incipit. *Licet*, ex Urbano III. ſtatuitur, quòd natus ex Patre libero, & Matre ancilla, ſi conſuetudo Provinciæ eſt, quòd partus ſequitur conditionem Patris, dicendus eſt liber; undè tamquàm liber poterit Matrimonium contrahere in tali Provincia: eſto de Jure communi dicendum ſit oppoſitum, cùm partus ventrem ſequatur.

In 4. cap. quod incipit. *Ad noſtram*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd ſi liber ignoranter contraxit cùm ancilla; & ex quo ſcivit eam eſſe ancillam, petat ſeparari, & declarari nullum Matrimonium, debet ita fieri, & ille cùm alia contrahere poterit. Videatur D. Th. in Supplemen. 3. par. qu.52. per 4. art. ubi diffusè hanc materiam pertractat, & ex qua elucidantur, quæ in hoc Titulo habentur, & præcipuè art.1. in corpore ait: *Quòd in Matrimonii contractu obligatur unus conjugum alteri ad debitum ſolvendum, & ideo ſi ille qui ſe obligat, eſt impotens ad ſolvendum, ignorantia hujuſmodi impotentia in eo, cui ſit obligatio, tollit contractum &c.* & poſtea concludit, *& ideo ſicut impotentia coeundi ignorata, impedit matrimonium, non autem ſi ſciatur, ita conditio ſervitutis ignorata impedit matrimonium, non autem ſervitus nota*. Et art.2. in, Sed contra ait: *Servitus eſt de jure poſitivo, ſed matrimonium eſt de jure naturali, & Divino; cùm ergo jus poſitivum non præjudicet juri naturali, aut Divino, videtur, quòd ſervus abſque Domini conſenſu matrimonium contrahere poſſit*. Videatur in 2. articulis ſequentibus.

TITULUS X.

De Natis ex libero ventre, unico capite comprehenſus.

QUia in ſuperiori Titulo actum eſt de Conjugio Servorum, & dictum ſit, aliquando Matrimonium contrahi poſſe cùm libera, vel libertate manumiſsâ, ſubjicitur præſens Titulus, in quo quæritur: quid dicendum ſit de Filiis, qui naſcuntur ex uxore libera, vel liberta, & ex Patre ſervo.

In hoc ergo cap. quod incipit. *Indecens*, ex Gregorio, ſtatuitur, quòd natus ex muliere liberâ, vel libertâ, ſcilicet libertate donatâ, ſeù manumiſsâ, quod idem eſt, dicitur liber; partus enim ſequitur ventrem; cùm ergo mater ſit libera, vel ſaltem liberta, per matrimonium non de-

debent Filii reputari ſervi, ſequuntur enim conditionem matris, eſto pater eorum ſit ſervus, & hoc in favorem libertatis, niſi tamen obſtet contraria conſuetudo, & præſcriptio in aliqua particulari Provincia, ut dictum eſt in ſuperiori Titulo cap. 3. Sic D. Th. loco nuper citato art.4. in corpore, ubi ſic ait: *Dicendum, quòd ſecundùm leges civiles partus ſequitur ventrem, & hoc rationabiliter, quia proles habet à patre complementum formale, ſed à matre ſubſtantiam corporis, ſervitus autem corporalis conditio eſt, cùm ſervus ſit quaſi inſtrumentum Domini in operando, & ideo proles in libertate, & ſervitute ſequitur matrem, ſed in his, quæ pertinent ad dignitatem, ſecundùm quòd eſt ex forma rei, ſequitur patrem, ſicut in honoribus, & municipiis, & hæreditate, & aliis hujuſmodi, & huic etiam concordant Canones, & Lex Moyſi &c.* Videatur per totum articulum.

TITULUS XI.

De Cognatione Spirituali in octo capita diſtinctus.

Quia inter impedimenta Matrimonii enumeratur cognatio, quæ triplex eſt, ſcilicet cognatio Spiritualis, legalis, & carnalis; ideo poſt quàm dictum eſt de impedimento conditionis ſervilis, ſequitur agendum de impedimento cognationis: & quia cognatio ſpiritualis nobilior eſt, primò idcircò de ea agitur.

Tractatur de hac materia in Decreto Cauſa 30. q.1. 2. 3. & 4. per totum. In 6. lib.4. tit.3.

In 1. cap. quod incipit: *Utrum*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd Filii duorum Compatrum, ſivè poſt compaternitatem nati ſint, poſſunt ſimul matrimonialiter conjugi; excepta tamen illa perſona, mediante qua compaternitas fuit contracta.

In 2. cap. quod incipit. *Si Vir, vel Mulier*, ex eodem, ſtatuitur, quòd compaternitas ignoranter, vel ſcienter ſuperveniens inter conjuges, altero eorum levante de Sacro Fonte proprium Filium, non diſſolvit Matrimonium; nam in primo caſu ignorantia excuſat; in ſecundo, ſcilicet ſi hoc factum ſit ex malitia; dolus nulli debet patrocinari: reſtat ergo Matrimonium, ſed qui malitioſè hoc egit, privatur jure petendi debitum, licet teneatur reddere alteri conjugi innocenti.

In 3. cap. quod incipit. *Super eo*, ex eodem, ſtatuitur, quod Filii duorum compatrum poſſunt ſimul Matrimonium contrahere, ſi per eos non fuerit contracta compaternitas inter eorum parentes, aut in tali Provinciâ, aut Eccleſiâ Matrice non ſit contraria conſuetudo, quæ hoc prohibeat.

In 4. cap. quod incipit. *Martinus*, ex Clemente III. ſtatuitur, quòd compaternitas contracta per virum tranſit ad ejus uxorem, & è converſo; nam vir, & mulier per conjugium efficiuntur una caro; undè non poteſt Patrinus, mortuo Compatre, contraherè, nec validè, nec licitè cùm ejus uxore relicta.

In 5. cap. quod incipit. *Contractu*, ex eodem, ſtatuitur, quòd per Catechiſmum, id eſt per ea, quæ præcedunt Baptiſmum, dùm catechizatur Cathecumenus, non contrahitur cognatio ſpiritualis, quia per hoc non dicitur baptizandus, filius ſpiritualis Cathechizantis, ſed tantùm Baptizantis; unde Cathechiſmus non dirimit Matrimonium contractum, ſed impedit tantùm contrahendum.

In 5. cap. quòd incipit. *Veniens*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd inter Patrem Baptizati, & levantem, ſeu tenentem baptizatum oritur cognatio Spiritualis, quæ nedùm impedit Matrimonium contrahendum, ſed etiam dirimit contractum, ſi talis cognatio Spiritualis non ſit antè contractum Matrimonium; ſi autem poſt contractum Matrimonium, non dirimit, ſed impedit petitionem debiti.

In 7. cap. quod incipit. *Tua nos*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Perſona illa, qua mediante, compaternitas eſt contracta inter duos, non poteſt contrahere Matrimonium cùm aliquo, vel aliqua de filiis alterius Compatris, ſivè ſit natus antè compaternitatem, ſivè poſt: & illi, qui ſciunt tale impedimentum cognationis ſpiritualis, tenentur revelare: nam tale

impedimentum impedit, & dirimit.

In 8. cap. quod incipit. *Ex literis*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd inter baptizatum, & Filium baptizantis, vel Filiam oritur cognatio ſpiritualis, non ſolùm impediens, ſed dirimens Matrimonium: undè ſi contrahant, nullum erit tale Matrimonium; & ſunt omninò ſeparandi. Videatur D.Thom. in Supplem. 3. p. q. 56. de Impedimento cognationis ſpiritualis art. 1. in corpore, ubi ſic ait: *Dicendum, quòd ſicut per carnalem propagationem homo accipit eſſe natura, ita per Sacramenta accipit eſſe ſpiritualis gratiæ: unde ſicut vinculum, quod ex carnis propagatione contrahitur, eſt homini naturale, inquantùm eſt quadam res natura, ita vinculum, quòd contrahitur ex Sacramentorum ſuſceptione, eſt aliquo modo naturale alicui, inquantùm eſt membrum Eccleſiæ; & ideo ſicut carnalis cognatio impedit Matrimonium, ita ſpiritualis ex Eccleſiæ ſtatuto. Tamen diſtinguendum eſt de ſpirituali cognatione, quia aut præceſſit Matrimonium, aut ſequitur. Si præceſſit, impedit contrahendum, & dirimit contractum ſi ſequitur, tunc non dirimit vinculum Matrimonii; ſed quantùm ad actum Matrimonii, eſt diſtinguendum, quia aut ſpiritualis cognatio inducitur cauſa neceſſitatis, ſicut cum Pater baptizat Filium in articulo mortis, & tunc non impedit Matrimonii actum ex neutra parte, aut inducitur extra caſum neceſſitatis ex ignorantia, & tunc ſi ille, ex cujus actu inducitur, diligentiam adhibuit, eſt eadem ratio, ſicut & de primo; aut ex induſtria extra caſum neceſſitatis, & tunc ille, ex cujus actu inducitur, amittit jus petendi debitum, ſed tamen debet reddere, ſi petatur, quia ex culpa ejus non debet aliquod incommodum alius reportare.* Et in art. 2. in corpore de Catechiſmo ait: *Spiritualis generatio non perficitur, niſi per aliquod Sacramentum; unde non videtur conveniens, quod ſpiritualis cognatio contrahatur, niſi per aliquod Sacramentum,* (poſt pauca ſubdit) *& ideo alii dicunt, quòd tantùm per duo Sacramenta contrahitur, ſcilicet per Confirmationem, & Baptiſmum, & hæc eſt opinio communior, tamen de Catechiſmo, horum quidam dicunt, quòd eſt debile impedimentum, quia impedit contrahendum, ſed non dirimit contractum.* Videatur D.Th. in tribus art. ſeq.

TITULUS XII.

De Cognatione legali unico capite comprehenſus.

Viſo de Cognatione Spirituali, nunc ſequitur tractandum de cognatione legali, quæ eſt quædam propinquitas, ſeù attinentia orta ex adoptione inter adoptantem, & adoptatum, & eorum Filios.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 30. qu. 3. cap. 1. & cap. per Adoptionem.

In hoc ergo cap. quod incipit. *Si qua per Adoptionem*, ex Nicolao Papa, ſtatuitur, quòd Matrimonium contrahi non poteſt inter Filium adoptantis, & Filiam adoptatam quouſquè durat adoptio, & ſi contrahatur, dirimitur; nam talis cognatio eſt impedimentum impediens, & dirimens: ſi autem adoptans talem Filiam adoptatam emancipet, & liberet ab adoptione, tunc poterit contrahere cùm Filio adoptantis: remotâ enim cauſâ, removetur effectus. De hac materia agit S. Thom. in Supplemen. 3. par. q. 57. per tres articulos, & præcipuè art. 3. in corpore, ubi ait: *Dicendùm, quòd triplex eſt Legalis cognatio. Prima, quaſi deſcendentium, quæ contrahitur inter patrem adoptantem, & Filium adoptatum, & Filium Filii adoptivi, & Nepotem, & ſic deinceps. Secunda, quæ eſt inter Filium adoptivum, & Filium naturalem. Tertia per modum cujuſdam affinitatis, quæ eſt inter patrem adoptantem, & uxorem filii adoptivi, vel è contrario, inter Filium adoptatum, & uxorem Patris adoptantis. Prima ergo cognatio, & tertia perpetuò Matrimonium impediunt. Secunda autem non, niſi quamdiu manet in poteſtate Patris adoptantis: undè mortuo Patre, vel Filio emancipato, poteſt contrahi inter eos Matrimonium.*

TI-

TITULUS XIII.

De eo, qui cognovit Conſanguineam Uxoris ſuæ, vel Sponſæ, in 11. cap. diſtinctus.

POſtquàm actum eſt de Cognatione Spirituali, & Legali, reſtat agendum de Cognatione Carnali, quæ oritur ex copulâ ſivè licitâ, ſivè illicitâ habita cùm Conſanguineâ ſuæ Uxoris, vel Sponſæ de futuro, & quæritur: an talis affinitas dirimat Matrimonium, & Sponſalia.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 37. q.7. in multis capitulis.

In 1. cap. quod incipit. *Si quis*, ex Concilio apud Metiam, ſtatuitur, affinitatem ſupervenientem poſt Matrimonium jam contractum non dirimere Matrimonium, ſed impedire petitionem debiti, & reddere incapacem utrumque inceſtuoſum contrahendi Matrimonium, non ſolùm ſimul, ſed nec etiam cùm aliis abſquè ſpeciali diſpenſatione.

In 2. cap. quod incipit. *Veniens*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd affinitas ſuperveniens ſponſalibus de futuro, ea diſſolvit, ut ſi ſponſus cognoverit matrem, vel ſororem ſuæ ſponſæ: matrimonium verò jam contractum non diſſolvit; privat tamen jure petendi debitum.

In 3. cap. quod incipit. *De illo*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Matrimonium jam ſit contractum, non debent conjuges ſeparari ad dictum unius tantùm aſſerentis affinitatem inter eos præceſſiſſe: ſecùs ſi per plures Teſtes legitimè hoc eſſet probatum, quia poſſeſſio ſtat pro Matrimonio.

In 4. cap. quod incipit. *Tranſmiſſa*, ex Cœleſtino III. ſtatuitur, quòd inceſtuoſi contrahere non poſſunt Matrimonium in pœnam commiſsi inceſtus; ſed ſi contrahant de facto cùm aliquâ, tenet Matrimonium: caret tamen inceſtuoſus jure petendi debitum, tenetur tamen reddere, & tenetur uxori neceſſaria adminiſtrare: nam inceſtus impedit quidem Matrimonium, ſed non dirimit contractum, niſi Matrimonium ſit contractum cùm affine.

In 5. cap. quod incipit. *Super eo*, ex eodem, ſtatuitur, quòd & ſi ambo conjuges confiteantur affinitatem præceſsiſſe eorum Matrimonio; ideoque petere ſeparationem, & ſententiam nullitatis Matrimonii: non per hoc eis eſt credendum, nàm præſumitur colluſio, ad effectum ſe ſeparandi; etiamſi fortè aliquis ſit rumor de tali affinitate in viciniâ, nam ad dirimendum Matrimonium jam contractum, neceſſariæ ſunt juridicæ, & evidentes probationes.

In 6. cap. quod incipit. *Diſcretionem tuam*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd affinitas ſuperveniens ſponſalibus de præſenti, ſeù Matrimonio, licèt non conſumato, non dirimit tale Matrimonium; unde ſi aliquis eorum cùm alio contrahat, nullum eſt ſecundum Matrimonium, licèt fuerit copula cùm ſecundo, & non cùm primo, undè uxor debet ad primum reſtitui, ſi affinitas fuit contracta poſt celebrationem primi Matrimonii.

In 7. cap. quod incipit. *Fraternitati*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ex ſponſalibus contractis cùm Puella, quæ nondùm complevit ſeptennium, interveniente cùm ea attentatu copulæ, oritur publica honeſtas, quæ impedit Matrimonium contrahendum cùm conſanguinea Puellæ; nàm ex ſponſalibus validè contractis oritur tale impedimentum: ſupponuntur autem ſponſalia validè contracta cùm tali Puella jam capaci uſus rationis.

In 8. cap. quod incipit. *Ex literis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd affinitas cauſata ex copulâ illicitâ dirimit ſponſalia præcedentia, & impedit inceſtuoſum jure contrahendi Matrimonium, non ſolùm cùm ſponſa jam affine, ſed nec cùm alia, in pœnam commiſsi criminis: quod tamen impedimentum, peractâ pœnitentia, ſi caſus ſit publicus, eſt diſpenſabile, ſi talis pœnitens contineri non poteſt.

In 9. cap. quod incipit. *Veniens*, ex eodem, ſtatuitur idem, quod dictum eſt in præteritâ proximâ Decretali.

In 10. cap. quod incipit. *Tuæ Fraternitatis*, ex eodem, ſtatuitur, affinitatem ſupervenientem matrimonio jam contracto, illud non diſſolvere, ut pluries in hoc Titulo dictum eſt.

In

In 11. cap., quod incipit. *Iordanæ mulieris*, ex Gregorio IX., ſtatuitur idem quod ſupra dictum eſt, nempe affinitatem ſupervenientem Matrimonio jam contracto, vel Sponſalibus de præſenti, aut de futuro, ſed interveniente copula, non ſolvere Matrimonium, licet impediat petitionem debiti. De hac materia agit S. Thom. in Suppl. 3. partis qu. 55. de Impedimento Affinitatis per undecim Articulos & præcipùe Art. 4. in Corpore ubi ſic ait: *Dicendum quòd ſicut Sponſalia non habent perfectam rationem Matrimonii, ſed ſunt quædam præparatio ad Matrimonium, ita ex Sponſalibus non cauſatur affinitas, ſicut ex Matrimonio, ſed aliquid affinitati ſimile, quod dicitur publicæ honeſtatis juſtitia, quæ impedit Matrimonium, ſicut & affinitas, & conſanguinitas ſecundùm eoſdem gradus, & definitur ſic publicæ honeſtatis Iuſtitia, eſt propinquitas ex Sponſalibus proveniens, robur trahens ex Eccleſiæ inſtitutione propter ejus honeſtatem. Ex quo patet ratio nominis, & cauſa, quia ſcilicet talis propinquitas ab Eccleſia inſtituta eſt propter honeſtatem*, & Art. 6. in Corpore ait: *affinitas præcedens Matrimonium impedit contrahendum, & dirimit contractum eadem ratione qua & conſanguinitas*: deinde ſubdit, *ſed ſi affinitas Matrimonio ſuperveniat, non poteſt ipſum dirimere*. Videatur S. Thom. per totam hanc quæſtionem, ubi perlucidè omnia explicat, & elucidantur, quæ in hoc titulo continentur.

TITULUS XIV.

De Conſanguinitate, & Affinitate in undecim Capita diſtinctus.

Poſtquàm actum eſt de Cognatione tùm Spirituali, tùm Legali, & de Proximitate quadam, quæ contrahitur ex copula cum Conſanguinea; ſequitur videndum de Cognatione carnali, quæ conſiſtit in conſanguinitate, & Affinitate.

Tractatur de hac materia in Decreto Cauſa 35. qu. 1. 2. 4. 5. 8. & 10 per totum.

In 1. cap., quod incipit. *Ex literis*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd Matrimonium contractum inter eos, qui ſunt affines uſque ad quartum gradum, non tenet: unde Mulier Vidua non poteſt contrahere cùm conſanguineis prioris Mariti uſque ad quartum gradum incluſivè.

In 2. cap., quod incipit. *Super eo*, ex Urbano III., ſtatuitur, quòd Affinitas ſuperveniens ſponſalibus ea diſſolvit. Ad probandam autem talem affinitatem, ad effectum dirimendi ſponſalia, ſufficit publica fama: hæc enim ſufficit ad impediendum Matrimonium contrahendum, licet non ſufficiat ad dirimendum Matrimonium jam contractum: plùs enim requiritur ad dirimendum contractum, quàm ad impediendum contrahendum.

In 3. cap., quod incipit. *Quòd dilectio*, ex Celeſtino III., ſtatuitur, quòd ſi obtineatur a Papa diſpenſatio prò aliquo, ut poſſit contrahere Matrimonium cùm conſanguinea in aliquo gradu prohibito, requiritur, quòd utcrque eodem gradu diſtet a ſtipite; præſertim ſi hoc habet conſuetudo loci: nàm ex diſpenſatione unius diſpenſatur alius.

In 4. cap., quod incipit. *De infidelibus*, ex Innocentio III., ſtatuitur, quòd Infideles coniuncti in gradu prohibito à lege Canonica, ſi ad fidem ambo convertantur, non pèr hoc ſunt ſeparandi: ſubſiſtit enim tale Matrimonium, dummodò non ſit contra ius naturale.

In 5. cap., quod incipit. *Quem ſuper*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Conſanguinei mariti contrahere poſſunt cùm Conſanguineis Uxoris, & è contra: nullam enim habent inter ſe affinitatem.

In 6. cap., quod incipit. *Quià*, ex eodem, ſtatuitur, quòd diſpenſatio obtenta à Papa ſupèr Matrimonio intèr conſanguineos contracto, vel contrahendo, ſi ibi cauſa falſa ſit expreſſa, non valet: nàm eſt gratia obreptitia, vèl ſubreptitia.

In 7. cap., quod incipit. *Tua nos*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Teſtes, qui deponunt de conſanguinitate, debent incipere computationem ex ſtipite, ſeu germine, ex quo numerandi ſunt gradus conſanguinitatis in Arbore talis conſanguinitatis.

In

In 8. cap., quod incipit. *Non debet*. ex eodem in Concilio Generali ſtatuitur, quòd ſecundum varietatem temporum jura etiam variantur, quando urgens neceſſitas, aut evidens utilitas hoc expoſcit: undè licèt ſecundum Jus antiquum plures quam quatuor eſſent gradus Conſanguinitatis, & affinitatis prohibiti ad contrahendum, rationabiliter a Concilio talis prohibitio reſtricta eſt uſque ad quartum gradum Conſanguinitatis, ſeu Affinitatis.

In 9. cap. quod incipit. *Vir quia à ſtipite*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd in contrahendo matrimonio magis conſideratur remotus gradus, quàm propinquus: undè ſi unus conjugum diſtet à ſtipite quarto gradu, & alius quinto, poſſunt ſimul contrahere, quia ſimul non ſunt, niſi in quinto gradu. De hac materia agit S. Th. in Supplemen. 3. p. qu. 54. per 4. art. & præcipuè art. 3. ubi ait: *Dicendum, quòd in Matrimonio aliquid contra legem naturæ dicitur eſſe, per quod matrimonium redditur incompetens reſpectu finis, ad quem eſt ordinatum, finis autem Matrimonii per ſe, & primò eſt bonum prolis, quod quidem per aliquam conſanguinitatem, ſcilicet inter patrem, & filiam, vel filium, & matrem impeditur, non quidem ut totaliter tollatur; quia filia ex ſemine patris poteſt prolem ſuſcipere, & ſimul cùm patre nutrire; & inſtruere, in quibus bonum prolis conſiſtit, ſed ut non convenienti modo fiat &c.* & art. 4. in corpore aſſignat gradus conſanguinitatis, qui matrimonium dirimunt, & quomodo poterint ab Eccleſia taxari. Videatur per totam quæſtionem.

TITULUS XV.

De Frigidis, & Maleficiatis, & Impotentia coeundi, in ſeptem capita diſtinctus.

Quia inter impedimenta matrimonii enumeratur Impotentia coeundi, quæ oritur vel ex maleficio, vel ex frigiditate, aut ex aliâ naturali causâ perpetuâ: ideò poſtquàm actum eſt de aliis impedimentis, modo ſubditur de iſtis, ſcilicet Frigidis, aut maleficiatis, vel impotentibus &c. De hac materia agit S. Th. in Supplem. 3. par. qu. 58. ubi agit de impedimentis frigiditatis, maleficii &c. per quinque articulos, & præcipuè art. 1. in corpore ubi ait: *Dicendum, quòd in matrimonio eſt contractus quidam, quo unus alteri obligatur ad debitum carnale ſolvendum; unde ſicut in aliis contractibus non eſt conveniens obligatio, ſi aliquis ſe obliget ad hoc, quod non poteſt dare, vel facere, ita non eſt conveniens matrimonii contractus, ſi fiat ab aliquo, qui debitum carnale ſolvere non poſſit: & hoc impedimentum vocatur impotentia coeundi nomine generali, qua quidem poteſt eſſe, vel ex cauſa intrinſeca, & naturali, vel ex cauſa extrinſeca, & accidentali, ſicut per maleficium, ſi autem ſit ex cauſa naturali, hoc poteſt eſſe dupliciter. Quia vel eſt temporalis, cui poteſt ſubveniri remedio medicinæ; vel proceſſu ætatis, & tunc non ſolvit matrimonium; vel eſt perpetua, & tunc ſolvit matrimonium, ita quòd ille, ex parte cujus allegatur impedimentum, perpetuò maneat abſque ſpe conjugali, alius nubat, cui vult in Domino; ad hoc autem cognoſcendum, utrùm ſit impedimentum, perpetuum, vel non perpetuum, Eccleſia tempus determinatum adhibuit, in quo hujus rei poteſt eſſe experimentum, ſcilicet Triennium &c.* Videatur D.Th. in 5. art. ſequentibus, ex quibus elucidantur, quæ in hoc titulo.

In 1. cap. quod incipit. *Accepiſti*, ex Brochardico lib. 18. ſtatuitur, quòd vir ſi poſt contractum matrimonium infrà unum menſem, aut duos, vel tres, ſimul cùm ſua conjuge recurrat ad Epiſcopum prò diſſolutione matrimonii, affirmantes ambo cùm juramento, virum eſſe impotentem ex naturali frigiditate, & non cognoviſſe, nec poſſe cognoſcere prædictam mulierem aſſumptam ſibi in uxorem, & hoc recto judicio probetur; debet diſſolvi tale matrimonium: ſecùs ſi hoc aſſerat uxor, viro ipſo negante; tunc enim debet priùs probari per matronas, factâ corporis inſpectione. Si autem ſucceſſu temporis inveniatur, Eccleſiam fuiſſe deceptam, peractâ pœnitentiâ de dolo, & fraude perpetratâ, debent compelli tales conjuges ad ſeparandum primum matrimonium.

In

In 2. cap. quòd incipit. *Quod ſedem*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd qui eſt impotens ad copulam, ſivè ſit impotens ratione ætatis ſivè impotentia aliquâ naturali perpetuâ, eſt impotens ad contrahendum matrimonium, & ſi contrahat, nulliter contrahit.

In 3. cap. quod incipit. *Ex literis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd quando impotentia conſumandi Matrimonium eſt perpetua, & nullo modo poteſt tolli arte Medicorum, Matrimonium impedit, & dirimit: ſecùs ſi talis impotentia ſit ad tempus, & remediabilis.

In 4. cap. quod incipit. *Conſultationi*, ex Lucio III. ſtatuitur, quòd contrahens ſcienter cùm conjuge impotente ad copulam, ſi velit in tali ſtatu permanere, debebit illam habere non tamquàm uxorem, ſed ut ſororem, ſicut antiquitus fuit uſus aliquorum in Romana Eccleſia.

In 5. cap. quod incipit. *Laudabilem*, ex Cœleſtino III. ſtatuitur, quòd ſi de impotentia conſumandi matrimonium à principio evidenter conſtet, ſtatim conjuges ſunt ſeparandi: ſi autem non conſtet, tunc concedendum eſt triennium in favorem matrimonii ad remedia adhibenda: quòd ſi hæc non proſint, poſt tale tempus ſeparandi ſunt, declarato nullo matrimonio, adhibito Teſtimonio manu propinquorum jurantium, quòd tales conjuges operam dederunt, & diligentiam omnem fecerunt ad conſumandum, ſed non potuerunt.

In 6. cap. quod incipit. *Fraternitatis tuæ*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd ſi mulier propter arctationem ſit inhabilis ad matrimonium conſumandum cùm ſuo viro, & hoc evidentèr probetur per inſpectionem corporis à matronis factam; diſſolvendum eſt matrimonium, quod utiquè reintegrari debebit, ſi ſucceſſu temporis appareat, Eccleſiam fuiſſe deceptam.

In 7. cap. quod incipit. *Literæ*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd ſi mulier aſſerat, virum, cùm quo contraxit matrimonium, non habere potentiam ad conſumandum, & hoc probet juramento cùm Teſtimonio manu propinquorum, in tali caſu eſt reſcindendum prædictum matrimonium.

TITULUS XVI.

De Matrimonio contracto contra Interdictum Eccleſiæ, in tria capita diſtinctus.

Poſtquàm de impedimento impotentiæ dictum eſt, ſequitur agendum de impedimento interdicti Eccleſiæ: quando ſcilicet aliqui contrahunt matrimonium, etiamſi extet contra ipſos prohibitio, vel interdictum Eccleſiæ, vel Judicis Eccleſiaſtici, ne contrahant.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 33. q. 2. cap. *Non oportet*.

In 1. cap. quod incipit. *Literæ*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd matrimonium contractum contra Interdictum Eccleſiæ, vel Judicis Eccleſiaſtici, non propter hoc eſt ipſo facto nullum, nec dirimendum, ſed conjuges ſunt ſtatìm ſeparandi, donec cognoſcatur de Cauſa Interdicti, ſeu prohibitionis.

In 2. cap. quod incipit. *Ex literis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſponſalia de futuro contracta cùm unâ, licèt impediant matrimonium contrahendum cùm aliâ, non tamen dirimunt contractum, etiamſi ſit contractum contrà Interdictum Eccleſiæ: debent tamen tales conjuges ab Eccleſiâ puniri.

In 3. cap. quod incipit. *De muliere*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi ſuſpecti de conſanguinitate contrahant contra prohibitionem Eccleſiæ, ſunt ſtatìm ſeparandi uſquè ad finem cauſæ, & propter inobedientiam ſunt puniendi. De hac materia agit S. Th. in Supplemen. 3. p. q. 50. per unicùm articulum, ubi in corpore ponit interdictum inter impedimenta purè impedientia, his verbis: *Dicendum, quòd in Matrimonio ſunt quædam, quæ ſunt de eſſentia Matrimonii, & quædam, quæ ſunt de ſolemnitate ejus, ſicut & in aliis Sacramentis; & quia remotis his, quæ ſunt de ſolemnitate ejus, ſicut & in aliis Sacramentis, adhuc manet verum Sacramentum, ideo impedimenta, quæ contrariantur his, quæ ſunt de Solemnitate hujus Sacramenti, non efficiunt, quin ſit verum matrimonium, & ta-*

& talia dicuntur impedire matrimonium contrahendum, ſed non dirimunt contractum, ſicut prohibitio Eccleſiæ, & Tempus feriarum &c. Hæc D. Th. legatur per totum articulum.

TITULUS XVII.

Qui Filii ſint legitimi in 15. capita diſtinctus.

CUm in præteritis Titulis actum ſit de multis impedimentis matrimonii, & quandoquè accidat Filios procreari ex matrimonio contracto cùm aliquo ex prædictis impedimentis; undè de eis dubitari poſſit, an ſint legitimi, ideò ſubjicitur præſens Titulus.

Agitur de hac materia in decreto diſt. 26. cap. *deindè*, & diſt. 34. cap. *Viduam*, & cauſa 7. q. 2. cap. *nuper*, Cauſa 32. q. 14. cap. *dicat*; & Cauſa 25. q. 7. cap. *finali*.

In 1. cap. quod incipit. *Conqueſtus*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd Filius naturalis natus ex ſoluto, & ſolutâ legitimatur etiam quoàd hæreditatem per ſubſequens matrimonium parentum.

In 2. cap. quod incipit. *Cùm inter*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui in facie Eccleſiæ publicè contrahunt bona fide, quamvis reverà impedimentum ſubſit inter eos; tamen filii de tali matrimonio nati legitimi judicantur, & ſuccedunt in hæreditate, ſi nati, vel concepti ſint antè ſententiam ſeparationis, ſecus ſi poſtea. Eſt tamen obſervandum ex Gloſſa, quod hæc Decretalis procedit ſecundùm jus antiquum: nam per Innocentium III. jure novo filii nati ex matrimonio nullo, licèt ſuppoſitâ ignorantiâ impedimenti dirimentis, legitimi non ſunt.

In 3. cap. quod incipit. *Tranſmiſſæ*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in cauſâ, an aliquis ſit filius; vel ſuppoſito quòd ſit filius, an ſit legitimus, vel ſpurius, vel naturalis, ſtandum eſt verbo viri, & mulieris, ſcilicet parentum, niſi ex evidentiſsimis indiciis, aut atteſtationibus probetur contrarium.

In 4. cap. quod incipit. *Cauſam*, ex eodem, ſtatuitur, quòd quæcumque proles concepta ex adulterio, illegitima eſt; ſivè adultera moretur cùm ſuo viro, ſivè moretur cùm adultero; nàm talis proles concepta eſt ex illegitimo concubitu.

In 5. cap. quod incipit. *Lator præſentium*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Cauſa, ſivè quæſtio Nativitatis, ſcilicet an aliquis ſit legitimus, ad Judicem Eccleſiaſticum ſpectat; eſt enim connexa, & dependens à cauſâ, ſivè quæſtione matrimonii, quæ ad Forum ſpectat Eccleſiaſticum: undè ſi in Cauſa hæreditatis opponatur illegitimatio, hoc eſt videndum à Judice Eccleſiaſtico; quâ illegitimitate ritè probatâ in Foro Eccleſiaſtico, ſpectabit ad Judicem Laicum pronunciare circà hæreditatem.

In 6. cap. quod incipit. *Tanta*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Filii naturales, ſcilicet concepti antè contractum matrimonium, per ſubſequens matrimonium legitimantur; non autem ſpurii, ſcilicet nati ex adulterio, vel vulgò concepti. Undè eſt notandum ex Gloſſa, Filios eſſe in quadruplici differentia; alios ſcilicet legitimos, ſed non naturales, cùm videlicet aſſumuntur in Filios per adoptionem; alios naturales, ſed non legitimos, cùm generantur ex ſoluto, & ſolutâ, ſed non prævio legitimo matrimonio; alios legitimos, & naturales, cùm generantur ex legitimo matrimonio; alios autem nec legitimos, nec naturales, cùm ſcilicet generantur ex adulterio, vel meretricio coitu, & dicuntur ſpurii.

In 7. cap. quod incipit. *Cauſam*, ex eodem, ſtatuitur, idem quòd ſupra determinatum eſt in cap. 5. ſcilicet Cauſam legitimitatis ſpectare ad Forum Eccleſiaſticum, cauſam verò hæreditatis ſpectare ad Forum Laicale: unde primò ſtatuendum eſt à Judice Eccleſiaſtico aliquem eſſe legitimum, deindè à Judice Laico eumdem eſſe hæredem.

In 8. cap. quod incipit. *Perlatum*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Filii nati de matrimonio, authoritate Eccleſiæ, contracto bonâ fide, legitimi ſunt habendi, licèt matrimonium illud non fuerit legitimum, cùm primus vir mortuus non fuerit, ut credebatur.

In 9. cap. quod incipit. *Quod nobis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Filii nati ex matrimonio clandeſtino, ſed poſtea approbato ab Eccleſia, judicandi ſunt legitimi, & capaces hæreditatis paternæ.

In 10. cap. quod incipit. *Referente*, ex Cœleſtino III. ſtatuitur, quòd impedimentum publicæ honeſtatis, quod (ut dictum eſt ſupra) conſurgit, vel ex ſponſalibus contractis de futuro, vel ex matrimonio rato, impedit, & dirimit matrimonium conſanguineis ſponſæ: undè Filii ex tali matrimonio nati ſunt illegitimi, & ab hæreditate Parentum excludendi.

In 11. cap. quod incipit. *Pervenit*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi conſtet matrimonium in facie Eccleſiæ fuiſſe contractum, & conjuges ſimul manſiſſe eùm quiete abſquè reclamatione tamquàm vir, & uxor: filii ex his nati debent exiſtimari legitimi, & hæredes.

In 12. cap. quod incipit. *Per tuas*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd in cauſa legitimitatis Judex ſtare debet plus dicto Teſtium, quàm famæ viciniæ: fama enim multoties eſt fallax, unde plus credendum eſt Teſtibus juratis, quàm famæ.

In 13. cap. quod incipit. *Per venerabilem*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Papa in Terris Eccleſiæ poteſt illegitimos legitimare, non ſolùm in Spiritualibus, ſed etiam in Temporalibus quoàd ſucceſſionem in hæreditate: in terris verò alienis non poteſt illegitimos legitimare, niſi in ſpiritualibus, diſpenſando eos, ut poſſint Ordines ſuſcipere, & adminiſtrare in Altari, & etiam quoàd Prælaturas. In temporalibus autem non poteſt, niſi ex cauſis multùm arduis, & maximè urgentibus pro bono publico.

In 14. cap. quod incipit. *Ex tenore*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi conjugatus, vivente prima uxore, contraxit in facie Eccleſiæ cùm ſecundâ ignorante talem virum aliam uxorem habere, & ex ea filium ſuſcepit, talis Filius reputatur legitimus, ſtante ignorantiâ, & bonâ fide Matris.

In 15. cap. quod incipit. *Gaudemus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd proles Infidelium, qui ad fidem convertuntur, haberi debet tamquàm legitima; etiamſi Parentes in infidelitate contraxerint in gradu prohibito lege canonicâ: validatur enim tale conjugium per ratihabitionem ab Eccleſia. Videatur D.Th. in Supplem. 3.p. q.68.art.1.ad 2. ubi ait. *Dicendum, quòd ignorantia excuſat illicitum coitum à peccato, niſi ſit affectata; unde illi, qui conveniunt bona fide in facie Eccleſiæ, quamvis ſit impedimentum, dùm tamen ignorent, non peccant, nec filii ſunt illegitimi; ſi autem ſciant, quamvis Eccleſia ſuſtineat, quæ ignorat impedimentum, non excuſantur à peccato, nec filii ab illegitimitate; ſi autem neſciant, & in occulto contrahant, etiam non excuſantur, quia talis ignorantia videtur affectata.* Videatur per duos articulos ſequentes, & præcipuè art. 2. in corpore, ubi explicat quomodo filius illegitimus poteſt legitimari, & quot modis.

TITULUS XVIII.

Qui Matrimonium accuſare poſſint, vel contra illud teſtificari, in ſex cap. diſtinctus.

Poſtquàm actum eſt de impedimentis dirimentibus matrimonium, ratione quorum conjuges ſunt ſeparandi à Judice Eccleſiaſtico, ſed quia talis ſeparatio non fit niſi præcedente accuſatione, & examinatione Teſtium: ideò in præſenti agitur de his, qui poſſunt, vel tenentur accuſare, & de his qui poſſunt, vel tenentur teſtificari circa validitatem, vel invaliditatem matrimonii.

Agitur de hac materiâ in Decreto Cauſa 53. q.6. per totum.

In 1. cap. quod incipit. *Relatum*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd in cauſa validitatis matrimonii, Reo citato, ſed contumaciter abſente, tenetur Judex Eccleſiaſticus ad inſtantiam Accuſatoris Teſtes examinare, & ad dicta eorum, ſi conſtiterit, ſententiam nullitatis pronunciare.

In 2. cap. quod incipit. *A nobis*, ex Clemente III. ſtatuitur, quòd in Cauſa Matrimoniali, tàm Accuſatio, quàm examen Teſtium non per literas, ſed perſonalitèr à Judice Eccleſiaſtico recipi debent.

In

In 3. cap. quod incipit. *Videtur*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in cauſa Matrimonii ſuper impedimento conſanguinitatis, aut validitatis conſenſus, poſſunt teſtificari conſanguinei, & Parentes conjugum, & hoc in favorem matrimonii.

In 4. cap. quod incipit. *Inſuper*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Puella jàm nubilis, licèt invita fuerit deſponſata; tamen ſi ſpontè permittat ſe cognoſci à Sponſo, non eſt audienda, ſi poſtea velit probare nullitatem Matrimonii: nàm per ſpontaneum conſenſum in copulam, præſumitur matrimonium ratificare.

In 5. cap. quod incipit. *Significante*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd non eſt audiendus ille, qui malitioſè accuſat de nullitate matrimonii aliquos conjuges, ut ab eis recipiat pecuniam, ne illos injuſtè moleſtet: nàm malitiis hominum non eſt indulgendum.

In 6. cap. quod incipit. *Cùm in tua*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in cauſa nullitatis matrimonii non eſt admittendus accuſans, qui denunciationis tempore racuit impedimentum; niſi tamen conſtet, eum tali tempore neſciſſe prædictum impedimentum, & hoc firmet juramento. Videatur D. Th. in Supplem. 3. par. q. 55. art. 18. & præcipuè in ſolutione ad ſecundùm ubi air: *Dicendum, quòd extranei non poſſunt ſcire conſanguinitatem, niſi per conſanguineos, de quibus probabilius eſt, quòd ſciant. Unde quando ipſi tacent, ſuſpicio habetur contra extraneum, quòd ex malevolentia procedat, niſi per conſanguineos probare voluerit, unde repellitur ab accuſatione, quando ſunt conſanguinei, qui tacent, & per quos probare non poteſt: ſed conſanguinei, quantumcumque ſint propinqui, non repelluntur ab accuſatione &c.* & in ſolutione *Ad* 4. ait: *dicendum, quòd ille, qui tacuit primò, quandoque auditur poſtea, ſi velit matrimonium accuſare, quandoque repellitur ut patet ex* 4. *decretalium capite cum in tua &c.* Videatur per totum articulum, & in art. ſequenri, ex cujus doctrina elucidantur quæ in hoc titulo.

TITULUS XIX.

De Divortiis, in 9. capita diſtinctus.

Viſo ſuperiori Titulo de Accuſarione, & Teſtificatione contra matrimonium; & cùm per tales accuſationes, & teſtificationes conjuges ſeparentur per Divortium, ideò nunc eſt agendum de Divortiis. Divortium autem duplex eſt, ſcilicet quoàd ſubſtantiam vinculi matrimonialis; cùm ſcilicet fertur ſententia de nullitate matrimonii propter aliquod impedimentum perpetuò dirimens: vel eſt divortium temporale, ſeu accidentale, cùm ſcilicet diſſoluto vinculo matrimonii, ſeparantur conjuges quoad thorum, & mutuam ſervirutem, ut in cauſa adulterii uxoris, aut ſævitiæ viri &c.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 29. q. 1. & 2. Cauſa 75. q. 6. & aliis in locis.

In 1. cap. quod incipit. *Si qua Mulier*, ex Concilio apud Vuormatiam, ſtatuitur, homicidium non eſſe impedimentum ad matrimonium contrahendum; benè tamen eſſe impedimentum ad ulterius contrahendum, uxoricidium ſcilicet, ſi vir uxorem occiderit, vel è contra; tunc enim ille, qui remanet, non poteſt tranſire ad ſecunda vora; eſt enim puniendus in eo, in quo deliquit.

In 2. cap. quod incipit. *Quæſivit*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd vir pro nullo crimine poteſt uxorem dimittere, niſi propter fornicationem, ſeu carnalem, ſcilicet per adulterium; ſeu per fornicationem ſpiritualem, ſcilicet ipsâ recedente à Fide: in his caſibus ſeparantur quidem quoad thorum, & mutuam ſervitutem, ſed remanente vinculo matrimonii; & quod dictum eſt de uxore, dicitur de marito, quia de eis pari judicio determinandum eſt. Sic D.Th. q. 67. art. 2. ad 4. in Supplem. 3. par. ubi citat Chriſoſtomum his verbis: *Qui ſecundùm legem dimittit uxorem, quatuor facit iniquitates; quia quoad Deum exiſtit homicida, inquantum habet propoſitum occidendi uxorem, niſi eam dimitteret, & quia dimittit*

non fornicantem, in quo ſolo caſu Lex Evangelii uxorem dimittere permittit, & ſimiliter quia facit eam adulteram, & illum adulterum, cui copulatur.

In 3. cap. quod incipit. *Porrò*, ex eodem, ſtatuitur, quòd vir non poteſt abſquè judicio Eccleſiæ uxorem ſuam dimittere, etiamſi impedimentum parentelæ fuerit notorium; nàm etiam in notoriis Ordo Juris eſt ſervandus. Unde ſi fama referat in aliquo conjugio adeſſe aliquod impedimentum, etiam nullo accuſante, ad Epiſcopum ſpectat de eo inquirere conjuges, ſi adinveniat inter ipſos impedimentum aliquod dirimens: hujuſmodi enim cauſæ Matrimoniales ad Judicem ſpectant Eccleſiaſticum, & Spiritualem.

In 4., quod incipit. *Significaſti*, ex eodem ſtatuitur, quòd Uxor, quæ notoriè fornicata eſt, non eſt à Judice audienda, ſi petat reſtitutionem Mariti, qui ab ea ſeparatus eſt propter adulterium Uxoris, ſi alias ipſe continuit: ſecùs ſi etiam ipſe adulteravit; nàm *paria delicta pari compenſatione tolluntur.*

In 5. cap., quod incipit. *ex literis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Matrimonium ſeparatur quo àd Thorum proptèt adulterium Mulieris; reintegrari autem debet, ſi etiam Vir poſtea adulteratur, propter rationem jàm dictam in ſuperiori capite.

In 6. cap., quod incipit. *De illa*, ex Urbano III., ſtatuitur, quòd ſi Uxor propria authoritate ſe ſeparaverit à Viro lapſo in hæreſim, debet ab Eccleſia compelli ad ipſum redire, ſi vir hæreſim abjuraverit, & ad Fidem Catholicam reverſus fuerit: ſi autem talis uxor fuerit à Viro prædicto ſeparata judicio Eccleſiæ, ad ipſam Eccleſiam ſpectabit concedere reunionem Marito converſo, vel talem reunionem negare, aut differre.

In 7. cap., quod incipit. *Quanto*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd vinculum coniugale non diſſolvitur per hoc, quod alter Coniugum Fidelium in hæreſim ſit lapſus. Si autem unus Infidelium, puta Hæbreus, aùt Turca convertatur ad Fidem, Coniuge nolente converti, nèc ſecùm habitare niſi cum blaſphemia, & injuria Creatoris, diſſolvitur coniugium, & converſus cùm alia contrahere poterit. Sic D. Thom. in ſuppl. 3. partis q. 59. Art. 5. in Corpore ubi ſic ait. *Dicendum quòd quando alter Coniugum ad Fidem convertitur, altero in infidelitate manente, diſtinguendum eſt, quia ſi infidelis vult cohabitare ſine contumelia Creatoris, ideſt ſine hoc, quòd ad fidelitatem inducat, poteſt fidelis libere diſcedere, ſed diſcedens non poteſt alteri nubere, ſi autem infidelis non vult cohabitare ſine contumelia Creatoris in verba blaſphemiæ prorumpens, & nomen Chriſti audire nolens, tunc ſi ad infidelitatem pertrahere nitatur, Vir fidelis diſcedens poteſt alteri per Matrimonium copulari.* Hæc D. Thom.

In 8. cap., quod incipit. *Gaudemus*, ex eodem. ſtatuitur 1. quòd Pagani, qui in Paganiſmo contraxerunt in gradu prohibito lege Canonicâ tantum, ſi ad fidem ambo convertantur, remanent in eodem Matrimonio. 2. ſi autem talis Paganus converſus ad fidem in Paganiſmo habuerit plures uxores, poſt fidem ſuſceptam adhærebit tantum primæ uxori, ſuppoſito quòd etiam illa ſit ad fidem converſa. 3. ſi talis Paganus converſus, exiſtens in Paganiſmo primam uxorem legitimam repudiaſſet, & cùm ſecunda contraxiſſet, converſus ad fidem tenetur primam uxorem reaſſumere, ſi ad fidem velit converti, & ſecundam dimittere, etiamſi prima cum altero contraxerit: nam tale Matrimonium eſt nullum.

In 11. cap., quod incipit. *Deus qui*, ex eodem, ſtatuitur, quòd cùm Infidelibus converſis ad fidem Eccleſia diſpenſat, ut poſſint remanere in Matrimonio contracto cum uxoribus relictis à fratribus ſine prole juxtà legem Moſaycam, ad ſuſcitandum, ſcilicet ſemen fratris ſui: quod alias licitum non eſt juxtà Sacros Canones, niſi ex ſpeciali diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ, proptèr impedimentum Affinitatis in primo gradu. Videatur D. Thom. in Suppl. 3. par. qu. 58. per 6. Articulos, ubi fusè hanc materiam pertractat, & qu. 67. ubi per ſeptem Articulos agit de libello Tripudii, & ex ejus doctrina elucidantur, quæ in hoc Titulo.

TITU-

TITULUS XX.

De Donationibus inter Virum, & Uxorem, & de Dote poſt Divortium reſtituenda, in 8. cap. diſtinctus.

CUm in præcedenti Titulo actum ſit de Divortiis, & cum facto Divortio dos ſit reſtituenda uxori, ſicut etiam reſcindendæ ſint donationes aliàs factæ inter virum, & uxorem, causâ, & intuitu Matrimonii: ideò ſubiicitur præſens Titulus.

In 1. cap., quod incipit. *Mulieres*, ex Concilio apud Vormaciam ſtatuitur, mulieribus ex juſta, & legitima causâ ſeparatis a ſuis viris, totam dotem eſſe reſtituendam: nam ubi culpa non præceſſit, damnum quis pati non debet.

In 2. cap., quod incipit. *Significavit*, ex Urbano III. ſtatuitur, quòd ſoluto matrimonio bona fide contracto, ſed ſubſtantialiter nullo propter aliquòd impedimentum, tenetur vir reſtituere omnia, quæ habuit ab uxore.

In 3. cap., quod incipit. *De prudentia*, ex Clemente III., ſtatuitur, quòd ud ex delegatus ad cauſam Matrimonii, ſi ferat ſententiam divortii inter Conjuges, ſimul debet pronunciare, Dotem eſſe reſtituendam mulieri.

In 4. cap., quod incipit. *Plerumque*, ex eodem ſtatuitur, quòd mulier ſeparata à viro propter adulterium, vel judicio Eccleſiæ, vel ex ſe ipſa, dotem amittit: nam culpa unius cedit lucro alterius: ſecus autem ſi reconcilietur ſuo Viro.

In 5. cap. quod incipit. *Et ſi neceſſe ſit*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd ubi Matrimonium nullum eſt propter aliquod impedimentum dirimens, nec donatio facta propter nuptias eſt ualida: nam acceſſorium ſequitur naturam principalis.

In 6. cap. quod incipit. *Nuper*, ex eodem ſtatuitur, quòd Uſufructuarius donans ſine conſenſu Domini rem ipſam Uxori propter nuptias, non transfert in ipſam plus Juris, quàm ipſe habeat, & idem dicitur de eo, qui habet rem ſub conditione, ſeù vinculo, ſeu in Fæudum: Nullus enim alteri poteſt dare plus Juris, quàm habeat.

In 7. cap. quod incipit. *Per veſtras*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Vir uergat ad inopiam, Uxor poteſt Virum compellere, ut Judicio Eccleſiæ cautionem det de Dote ſervandâ, ut ipſa ſervetur indemnis, ſitque tuta, ut ei reſtituatur dos marito aſſignata.

In 8. cap. quod incipit. *Donatio*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd donatio reciproca facta inter Virum, & Uxorem, conſtante Matrimonio, ex qua alter fiat locupletior, & alter pauperior, non habet firmitatem, niſi donario confirmetur obitu donatoris: nam donatore vivente penitus evaneſcit, ſi revocetur ab eo tacitè, vel expreſsè, vel ſi prius moriatur, qui donationem accepit. Videatur Bonacina Tom. 2. de Contractibus diſp. 3. qu. 11. de contractu Dotali, ſeu de dote, & præcipuè puncto 11. ubi explicat cauſas, ob quas Uxor poteſt dotem amittere.

TITULUS XXI.

De ſecundis Nuptiis in 5. capita diſtinctus.

QUià actum eſt de Divortiis; & ſi divortia ſint quoàd ſubſtantiam, & quoad vinculum Matrimonii, fit tranſitus ad ſecundas nuptias. Ideò in præſenti proponitur Titulus de ſecundis nuptiis.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 31. q. 1. cap. *In multis*, & Cauſa 34. qu. 2. & aliis in locis, in quibus agitur de Bigamis.

In 1 cap. quod incipit. *Cappellanum*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd ſecundæ nuptiæ non debent benedici; tum quia videntur fieri ex incontinentiâ quadam, tùm quia Sacramentum non eſt ita facilè iterandum. Parochus autem benedicens ſecundis nuptiis puniendus eſt per ſuſpenſionem ab Officio.

In 2. cap. quod incipit. *Dominus*, ex Lucio

Lucio III. ſtatuitur; quòd dubitans de morte conjugis, non poteſt contrahere cùm alio, niſi prius certificetur: quòd ſi bonâ fide contraxit, poterit quidem reddere, ſed non petere debitum. Si verò ſciat priorem Virum eſſe ſuperſtitem, debet ſtatim ſeparari a ſecundo, & redire ad primum.

In 3. cap. quod incipit. *Vir autem*, ex Urbano III. ſtatuitur, quòd ſi unus ex conjugibus fuit aliàs benedictus in conjugio, non debent de novo conjuges benedici conjuglo ſecundo.

In 4. cap. quod incipit. *Super*, ex eodem ſtatuitur, quòd Mulier nubens infrà annum luctus ſecundum jus Canonicum, nullam incurrit infamiam, cùm ſit ſoluta à lege viri, & poſſit nubere cui voluerit ſecundum Apoſtolum, quidquid ſtatutum ſit ſecundùm leges civiles.

In 5. cap. quod incipit. *Cùm ſecundum*, ex Innocentio III. ſtatuitur idem quod in præcedenti capite dictum eſt.

Videatur D. Th. in ſupplemento 3. par. qu. 63. de ſecundis Nuptiis, ubi per duos Articulos elegantèr hanc materiam pertractat, & præcipuè Articulo 1. in corpore ubi ait: *Dicendum, quòd Vinculum Matrimoniale non durat, niſi uſque ad mortem, ut patet Rom. 7. & ideo moriente altero conjugum, Vinculum Matrimoniale ceſſat, unde propter Præcedens Matrimonium non impeditur aliquis à ſecundo, mortuo conjuge, & ſic non ſolùm ſecundæ, ſed tertiæ, & ſic deinceps, nuptiæ ſunt licitæ*, & in art. 2. in corpore ait: *Dicendum, quòd ubicumque inveniuntur illa, quæ ſunt de eſſentia Sacramenti, ibi eſt verum Sacramentum. Unde cùm in Secundis Nuptiis inveniantur omnia, quæ ſunt de eſſentia Sacramenti Matrimonii, quia debita Materia, quam facit perſonarum legitimitas, & debita forma, ſcilicet expreſſio conſenſus interioris per verba de præſenti, conſtat, quòd etiam ſecundum Matrimonium eſt Sacramentum, ſicut, & primum*. Videantur ſolutiones ad Argumenta tàm primi, quam ſecundi Articuli.

Finis Libri Quarti Decretalium.

ELEN-

ELENCHUS
Titulorum Viginti, & unius Quarti Libri Decretalium.

Titulus I. *De Sponſalibus, & Matrimoniis in cap.* 32. *diſtinctus.* pag. 167.
Titulus II. *De Deſponſatione Impuberum in cap.* 14. *diſtinctus.* pag. 170.
Titulus III. *De Clandeſtina deſponſatione in tria capita diſtinctus.* pag. 172.
Titulus IV. *De Sponſa duorum in cap.* 5. *diſtinctus.* pag. 173.
Titulus V. *De conditionibus appoſitis in deſponſatione, vel aliis contractibus in* 7. *cap. diſtinctus.* pag. 174.
Titulus VI. *Qui Clerici, vel voventes Matrimonium contrahere poſſint in* 7. *cap. diſtinctus.* pag. 175.
Titulus VII. *De eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium in* 8. *cap. diſtinctus.* pag. 176.
Titulus VIII. *De conjugio Leproſorum in tria cap. diſtinctus.* pag. 177.
Titulus IX. *De conjugio Servorum in* 4. *cap. diſtinctus.* pag. 178.
Titulus X. *De Natis ex libero ventre unico cap. comprehenſus.* pag. 178.
Titulus XI. *De cognatione Spirituali in octo cap. diſtinctus.* pag. 179.
Titulus XII. *De cognatione Legali unico cap. comprehenſus.* pag. 180.
Titulus XIII. *De eo qui cognovit Conſanguineam Uxoris ſuæ, vel Sponſæ in cap.* 11. *diſtinctus.* pag. 181.
Titulus XIV. *De conſanguinitate, & Affinitate in* 9. *cap. diſtinctus.* pag. 182.
Titulus XV. *De Frigidis, & Maleficiatis, & Impotentia coeundi in* 7. *cap. diſtinctus.* pag. 183.
Titulus XVI. *De Matrimonio contracto contra Interdictum Eccleſiæ in* 3. *cap. diſtinctus.* pag. 184.
Titulus XVII. *Qui Filii ſint legitimi in* 15. *cap. diſtinctus.* pag. 185.
Titulus XVIII. *Qui Matrimonium accuſare poſſint, vel contra illud teſtificari in* 6. *cap. diſtinctus.* pag. 186.
Titulus XIX. *De Divortiis in* 9. *cap. diſtinctus.* pag. 187.
Titulus XX. *De donationibus inter Virum, & Uxorem, & dote poſt divortium reſtituenda in* 8. *cap. diſtinctus.* pag. 189.
Titulus XXI. *De ſecundis Nuptiis in* 5. *cap. diſtinctus.* pag. 189.

LIBER QUINTUS DECRETALIUM

Titulos XLI. compræhendens.

TITULUS PRIMUS,

De Accuſationibus, Inquiſitionibus, & Denunciationibus, Capita 27. continens.

CUm in Superioribus actum ſit de Accuſationibus Civilibus, in hoc ultimo libro tractat Author de Accuſationibus Criminalibus, & pœnis eis correſpondentibus. Et quià triplex eſt modus procedendi in criminalibus, ſcilicet per Accuſationem, per Inquiſitionem 3. per Denunciationem: ideò in primo loco de iiſdem ponitur præſens Titulus.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 2. qu. 1. & qu. 8. & Cauſa 15. qu. 3. per totum. Et in 6. lib. 5. Titulo primo:

In 1. cap., quod incipit. *Si legitimus*, ex Felice Papa, ſtatuitur, quòd ad petitionem illegitimi Accuſatoris, Reus non eſt ad judicium trahendus, quia criminoſus non poteſt alium accuſare: qui enim trabem geſtat in oculo, feſtucam de oculo Fratris ſui non poteſt eruere. Illegitimus autem dicitur Accuſator, criminoſus, vel ſuſpectus de crimine, imfamis, vilis, inimicus, ſervus, libertus, Fæmina, Pupillus &c. unde ponuntur ſequentes verſus.

Hi non accuſant, quos metra ſequentia ſignant.
Fæmina, Pupillus, delatus, crimine tentus,
Suſpectus, quæſtu corruptus, ſortileguſque
Infamis, Servus, pauper, cùm milite princeps,
Libertus, Socius Socium, nec non inimici
Clericus Eccleſiam, nullus deferre valebit.

In 2. cap., quod incipit. *Si quis*, ex eod m, ſtatuitur, quòd ad denunciandum non debet admitti, qui legitimè non præmonuit, nèc charitativè corripuerit de inquentem, quod probatur ex illo Evangelii: *Corripe eum, & ſi te non audierit, dic Eccleſiæ.*

In 3. cap., quod incipit. *Illa*, ex Gregorio ſtatuitur, quòd illi tantum tamquam accuſatores, vel Denunciatores ſunt recipiendi à Judice, quorum intereſt; aliàs accuſatio non eſt recipienda, nec denunciatio: undè Abbas accuſatus à monachis ſuis debet ſe defendere per examen, & teſtimonium aliorum Monachorum: Præſumitur enim Monachos ſcire mores, & operationes Abbatis.

In 4. cap., quod incipit. *Omnipotens Deus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi aliquis infametur, non debet ad honores promoveri, donec de hoc inquiratur, vel idem ſe purgaverit: nàm pendente accuſatione nullus eſt promovendus.

In 5. cap., quod incipit. *Nulli*, ex Paſchali Papa, ſtatuitur, quòd qui ſemel eſt approbatus, iterùm reprobari non poteſt: undè Epiſcopus non poteſt per exceptionem aliquem repellere ab accuſatione ſuâ, quem antè accuſationem tamquàm familiarem habebat.

In 6. cap., quod incipit. *De his*, ex Con-

Concilio Moguntino, ſtatuitur, crimina ſemel dimiſſa, iterùm vindicari non debere: unde ſi aliquis ſit abſolutus de crimine, de quo fuit accuſatus, non debet iterùm accuſari de eodem, cùm ea cauſa jàm ſit terminata.

In 7. cap. quod incipit. *Repellantur*, ex Stephano Papa, ſtatuitur, quòd cohabitantes inimicis accuſati, ab accuſatione repelluntur: nam. ſupponuntur, vel præſumuntur inimici accuſati, ex familiaritate cùm ejus Inimicis.

In 8. cap. quod incipit. *Accuſaſti*, ex Brocardico lib.44. ſtatuitur, quòd qui aliquem calumnioſè accuſat, & ex tali accuſatione ſecuta eſt mors accuſati, debet jejuniare 40. diebus in pane, & aqua, & ſeptem ſequentibus annis pœnitere: ſi autem ex tali accuſatione accuſatus remanſerit debilitatus, ſcilicet mutilatus in membris, per tres Quadrageſimas debet pœnitere.

In 9. cap. quod incipit. *Evidentia*, ex Auguſtino dicitur, quòd evidentia patrati ſceleris non indiget clamore Accuſatoris; undè in notoriis, Juris ordo non requiritur, quia factum per ſe ipſum evidenter oſtenditur.

In 10. cap. quod incipit. *Cùm P.*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd Laici, regulariter loquendo, Clericos accuſare non poſſunt, nec contra eos teſtimonium ferre, niſi propriam, vel ſuorum injuriam proſequantur, & niſi de criminibus majoribus, ſcilicet ſimoniæ, hæreſis, aut læſæ Majeſtatis, in quibus caſibus licitum eſt Laicos accuſare Clericos zelo juſtitiæ, non tamen odio, aut vindictâ: hoc enìm numquàm eſt licitum.

In 11. cap. quod incipit. *Ex parte tua*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſubditi v. g. Monachi accuſare poſſunt Abbatem, non obſtante quòd ſint ſub ejus obedientiâ; & cùm proprium non habeant, expenſæ fieri debent ex bonis Monaſterii uſquè ad finem litis.

In 12. cap. quod incipit. *Si conſtiterit*, ex eodem, ſtatuitur, quod Presbyter ebrioſus: qui in taberna pernoctavit, & non præmiſsâ dormitione manè Miſſam celebravit, ſi fuerit convictus, Eccleſiâ, quam habet commendatam, privari debet: ſecùs Eccleſiâ, quam habet per canonicam inſtitutionem, in quo caſu poterit aliter puniri à ſuo Ordinario.

In 13. cap. quod incipit. *Meminimus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd inimicus non admittitur ad accuſandum, vel ad ferendum teſtimonium contra aliquem, etiam in crimine excepto: quia præſumitur accuſare, vel teſtificari ex odio, & vindictâ.

In 14. cap. quod incipit. *Licet*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd licitum eſt deſiſtere ab accuſatione ſinè pœna antè inſcriptionem, vel confeſſionem accuſationis. Accuſanti tamen taliter ſiſtenti, & cedenti imponitur ſilentium perpetuum in tali cauſa; contra accuſatum verò, deficiente Accuſatore, eſt facienda inquiſitio ad inquirendam veritatem.

In 15. cap. quod incipit. *Veniens*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in cauſa criminali non admittitur Procurator, ſed Reus perſonaliter eſt audiendus. Secundò, ſtatuitur, quòd qui ſemel convictus, vel confeſſus eſt de calumnia contra aliquem, non eſt ampliùs in eâdem cauſa audiendus. Tertiò, ſtatuitur, quòd qui juravit alium non accuſare, non eſt audiendus, ſi illum accuſet.

In 16. cap. quod incipit. *Super his*, ex eodem, ſtatuitur, quòd tribus modis poteſt quis crimen alteri opponere, ſcilicet accuſando, denunciando, & excipiendo. Accuſando, cùm opponitur crimen intendendo, ut Reus puniatur, & ad hoc requiritur inſcriptio, ſcilicet ut Accuſator ſe obliget ad pœnam talionis, ſi deficiat in probatione. Secundò, denunciando, cùm ſcilicet intenditur, ut Reus corrigatur; & ad hoc non requiritur inſcriptio, ſed requiritur, ut reus priùs fuerit charitativè correptus. Tertiò, excipiendo, & hoc tripliciter contingit, ſcilicet, vel ut quis repellatur ab accuſatione, vel teſtimonio, & in hoc caſu non eſt neceſſaria inſcriptio: vel ut quis repellatur ab officio, ad quod fuit electus, ſed non confirmatus, & tunc ſimiliter non eſt neceſſaria inſcriptio: vel ut quis reppellatur ab officio, ad quod fuit confirmatus, quia intendit ejicere jàm promotum; ſed advertendum eſt quòd de-

bet talis excipiens ſe obligare ad pœnam extraordinariam ad arbitrium Judicis.

In 17. cap. quod incipit. *Qualiter*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in inquiſitione faciendâ alicujus criminis ordo Juris ab Inquiſitoribus eſt ſervandus, ſcilicet quòd regulariter non fiat Inquiſitio, niſi contra infamatum. Secundò, quòd conſtito de infamiâ, inquiratur de veritate per examen Teſtium, qui obligandi ſunt ad jurandum, ut meram, & plenam deponant veritatem coram Inquiſitoribus, de his tamen criminibus tantùm, de quibus infamia præceſſit: de occultis enim omninò inquiri non poteſt, nec Teſtes tenentur deponere.

In 18. cap. quod incipit. *Cùm dilecti*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in inquiſitione, qui examinantur, debent, ſe obligare juramento ad dicendum plenè, & ſincerè veritatem, quam ſciunt, & de quibus interrogantur, & nullum falſum commiſcere. Unus tamen Teſtis utpotè ſingularis, non probat.

In 19. cap. quod incipit. *Cum oporteat*, ex eodem, ſtatuitur, quòd non eſt facienda inquiſitio, niſi contra eum, de quo præceſſit infamia, nec inimici ſunt admittendi ad denunciandum, vel teſtificandum: ſunt enim ſuſpecti de malignitate, aut calumnia. Deficiente autem legitimâ probatione contra inquiſitum, ei eſt intimanda purgatio.

In 20. cap. quod incipit. *Cùm dilectus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Judex à denunciatione debet repellere publicos Concubinarios, excommunicatos, conſpiratores, & eos qui charitativè non præmonuerunt eos, quos intendunt denunciare: hi enim omnes ſunt criminoſi, ac proindè non digni fide.

In 21. cap. quod incipit. *Inquiſitionis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd crimen probatum per modum inquiſitionis, regularitèr non eſt à Judice puniendum pœnâ ordinariâ, niſi ſit tale crimen, quod impediat executionem ordinis, ut homicidium; aut Beneficii retentionem, ut Simonia, nec poterit Judex in his pœnam moderari. Ad inquirendum autem requiritur, ut præcedat infamia, nec ſufficit libellus famoſus oblatus Judici in ſecreto, & ad puniendum viâ Inquiſitionis, non ſufficit fama, nec credulitas Teſtium, aut paucorum depoſitio, ſed requiritur depoſitio, ſeu vox plurium; aliàs quis apud Judicem non debet tamquàm infamatus reputari.

In 22. cap. quod incipit. *Ad petitionem*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Ordo Juris non ſervatus in accuſationibus, aut Inquiſitionibus, Proceſſum, & ſententiam reddit nullam, etiamſi in Judicio conſtet de crimine, quia hoc legitimè conſtare debet, ſcilicet ordine juris ſervato.

In cap. 23. quod incipit. *Accedens*, ex eodem, ſtatuitur, quòd executio ſententiæ, ſivè collationis Beneficii debet differri, ſi electo, vel ei, cui facta eſt collatio Beneficii opponatur infamia, à qua tenetur ſe purgare: quòd ſi non fecerit, habebitur pro convicto: ſi autem ſe juridicè purgaverit, vel oppoſitores legitimè non probent, condemnatur in expenſis.

In 24. cap. quod incipit. *Qualiter*, ex eodem, ſtatuitur, in Concilio Lateranenſi, Judicem non debere procedere ad inquirendum contra Prælatum, ſi conſtet infamiam procedere à Malevolis, quia præſumitur, talem infamiam ex odio procedere: ſunt enim Prælati quaſi ſignum poſiti ad ſagittam. Similiter non debent Prelati ſe movere àd inquirendum contra Subditum, ſi infamia benè fundata non præceſſerit, & in tali caſu debet fieri legitima inquiſitio per examen Teſtium, quo facto, debent infamato tradi capitula, ſeu articuli, & Teſtium dicta, & nomina manifeſtabit, ejuſque legitimas exceptiones admittet, & defenſiones audiet antè ſententiæ prolationem.

In 25. cap. quod incipit. *Sicut*, ex eodem, ſtatuitur, in dicto Concilio, Metropolitanos teneri ſingulis annis ad correctionem exceſſuum, & reformationem morum, celebrare Provinciale Concilium, in quo ſtatuantur Perſonæ idoneæ per ſingulas Diœceſes, quæ ſollicitè inveſtigent, & in ſequenti Concilio referant corrigenda. Epiſcopi autem ſingulis annis tenentur Synodos Epiſcopales celebrare, in quibus debent publicari ea, quæ ſtatuta ſunt in Provinciali Concilio; quòd ſi Metropolitanus, aut Epiſcopus

hoc

hoc facere negligant, ab officiis ſuſpendi debent.

In 26. cap. quod incipit. *Olim*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd pendente accuſatione, vel inquiſitione contra Abbatem ad inſtantiam Subditorum, licèt prædicti Subditi teneantur dicto Abbati obedire; tamen ab eo non ſunt nequè excommunicandi, nequè ſuſpendendi, nec interdicto ſubjicendi, aut aliquo modo vexandi, quia ſupponeretur, Abbatem hoc facere ex odio, & vindictâ; nec debet Abbas eos compellere ad jurandum de tacenda veritate; tale enim juramentum nullum eſt, & à Judice relaxandum.

In 27. cap. quod incipit. *Prælatorum*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Judices deputati ad inquirendum contra infamatum, debent perſonalitèr accedere ad locum, ubi facienda eſt inquiſitio, ut evidenter, & juridicè de veritate ſe informent: & ſi inquiſitio debeat fieri ſuper dilapidatione Bonorum Eccleſiæ, aut Monaſterii, hac inquiſitione pendente, debet interdici tali Superiori ſic informato authoritas, ſeu poteſtas quocumque modo alienandi Bona ſuæ Eccleſiæ. De hac materia agit: S.Th. 2.2. q.33. art.7. ubi explicat quomodo ſecreta admonitio, & quando debeat denunciationem præcedere his verbis: *Sed quia conſcientia præferenda eſt famæ, voluit Dominus, ut ſaltim cùm diſpendio famæ, fratris conſcientia per publicam denunciationem à peccato liberetur; unde patet, quòd poteſt eſſe de neceſſitate præcepti, quòd ſecreta admonitio publicam denunciationem præcedat*; Legatur per totum articulum, & in articulo ſequenti. Agit etiam de hac materia S.Thom. q. 68. per quatuor articulos, & præcipuè art. 1. in corpore ubi ſic ait: *Hæc differentia inter Denunciationem, & Accuſationem, quia in denunciatione attenditur emendatio fratris, in accuſatione autem attenditur punitio criminis &c.* Videatur per totam quæſtionem, ſicut etiam in ſequenti quæſtione, ex quibus elucidabuntur quæ in hoc titulo.

TITULUS II.

De Calumniatioribus in duo capita diſtinctus.

QUia in ſuperiori Titulo actum eſt de Accuſationibus: cùm autem Accuſatores aliquandò accuſent calumniando, & fingendo crimen contra aliquem, quod non eſt: ideo ponitur præſens titulus.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 2. q.8. per totum, & cauſa 5. q. 5. per totum, & infra Titulo de Pœnis, ubi agitur de Pœna aſſignata Calumniatori.

In 1. cap. quod incipit. *Cum fortius*, ex Gregorio, ſtatuitur, quòd Subdiaconus accuſans calumnioſè Diaconum, & in probatione deficiens, eſt ſuſpendendus à Subdiaconatu, & publicè verberibus caſtigandus, & in exilium mittendus.

In 2. cap. quod incipit. *Cum dilectus*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd denunciator, qui in probatione criminum contra aliquem defecit, calumnioſus dicitur, & ab officio, & Beneficio eſt ſuſpendendus, donec ſe à calumnia purgaverit. De hac materia agit S.Th. 2.2. q.68. art.3. in corpore ubi ait: *In accuſatione duplici ratione contingit eſſe peccatum. Uno modo ex eo, quòd aliquis injuſtè agit contra eum, qui accuſatur, crimina falſa ei imponendo, quod eſt calumniari. Alio modo ex parte Reipublicæ, cujus bonum principaliter intenditur in accuſatione, dùm aliquis impedit malitioſè punitionem peccati. Quod iterum dupliciter fit. Uno modo fraudem in accuſatione adhibendo, & hoc pertinet ad prævaricationem; nàm prævaricator dicitur, quaſi varicator, qui adverſam partem adiuvat, proditâ causâ ſuâ. Alio modo totaliter ab accuſatione deſiſtendo, quod eſt tergiverſari &c.* & in articulo ſequenti aſſignat pœnam pro Calumniatoribus his verbis: *Accuſator in causâ accuſationis conſtituitur pars, intendens ad pœnam accuſati; Ad Judicem autem pertinet, ut inter eos Juſtitiæ equalitatem conſtituat; juſtitiæ autem æqualitas hoc requirit, ut nocumentum, quod quis alteri inten-*

 tat,

tat, iſte patiatur, ſecundùm illud Exodi 21. *oculum pro oculo, dentem pro dente; & ideo Iuſtum eſt, ut ille, qui per accuſationem aliquem in periculum gravis pœnæ inducit, ipſe etiam ſimilem pœnam patiatur*. Videatur per totum Articulum.

TITULUS III.

De Simonia, & nè aliquid prò Spiritualibus exigatur, vèl promittatur, in 46. capita diſtinctus.

Cum in Superioribus Titulis tractatum ſit de Accuſatoribus, & Calumniatoribus, qui apud Iudicem contrà aliquos crimina obiiciunt; & quià inter omnia crimina, quæ poſſunt obiici, præſertim Eccleſiaſticis, primum locum tenet Simonia propter ejus gravitatem: ideo ponitur præſens Titulus.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 1. per omnes Quæſtiones ſuas, & Cauſa 7. qu. 1. cap. *præſentium*, & cap. *Sanctum*, & Cauſa 15. qu. 3. cap. *ſanè*, & in Extravagan, lib. 5.

In 1. cap., quod incipit. *In ordinando*, ex Gregorio, ſtatuitur in Generali Synodo, nèc Epiſcopum pro ordinibus conferendis, nèc Miniſtros, aut Notarios aliquod temporale ab Ordinandis, nèc Ordinandum, vèl Ordinatum dare poſſe: quidquid enim datum fuerit, Simoniam inducit.

In 2. cap., quod incipit. *Qui alium*, ex Concilio Moguntino, ſtatuitur, Clericum illum eſſe omnino deponendum, & aliis pœnis graviſſimè puniendum, qui per pecuniam Clericum ſuâ ſpoliavit Eccleſiâ, ſe ipſum in eâdem intrudendo: eſt enim ſpoliator, & Simoniacus.

In 3. cap., quod incipit. *Si Dominus*, ex Deodato Papa, ſtatuitur idem, quod in proximo ſuperiori cap. dictum eſt.

In 4. cap., quod incipit. *Accuſatum*, ex eodem, ſtatuitur, quòd de crimine Simoniæ quilibet Catholicus admittitur ad accuſandum; eſt enim crimen exceptum: Et ſi talitèr accuſatus laborat publicâ infamiâ de tali crimine, debet ſtatim ſuſpendi à celebratione Miſſarum, ſi ſit Sacerdos, donec de veritate conſtiterit.

In 5. cap., quod incipit. *Quoties*, ex eodem, ſtatuitur id, quod ſtatutum eſt in cap. præcedenti; niſi quòd in illo eſt ſermo in Accuſatione; in iſto verò in Inquiſitione: illud loquitur de Simoniaco, in genere, iſtud vero loquitur de Simoniaco in ſuſceptione Ordinis.

In 6. cap., quod incipit. *Sicut*, ex Lucio Papa, ſtatuitur, quòd ſi per aliquod ſignum conſtiterit aliquem eſſe Simoniacum, ſine aliqua dilatione de Eccleſia per Cenſuras debet eliminari, atque expelli per depoſitionem: nam Simoniaca peſtis ſuâ malignitate omnes alios morbos vincit; undè ne animos Catholicorum inficiat, eſt procùl arcenda.

In 7. cap., quod incipit. *Tanta eſt*, ex Deodato Papa, ſtatuitur, quòd tanta eſt gravitas criminis Simoniæ, ut nec ſervilis conditionis homines, nèc infamati repellantur: unde Simoniacum accuſare poſſunt Servi, meretrices, & criminoſi.

In 8. cap., quod incipit. *Non ſatis*, ex Alexandro III., ſtatuitur in Concilio Turonenſi, Simoniæ crimen committi, ſi quis pecuniam recipiat prò ingreſſu Religionis, prò Prioratibus, vel Cappellis concedendis, pro Prælatis inſtituendis, pro concedenda Sepultura, prò Chriſmate, pro Oleo Sancto, pro benedictionibus nubentium, vel pro collatione aliorum Sacramentorum, non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium: diuturnitas enim temporis non minuit peccatum, ſed auget; cùm in his, quæ ſunt contrà jus naturale, & Divinum, ut eſt Simonia, nec præſcriptio in hoc locum habere poſſit.

In 9. cap., quod incipit. *Cum in Eccleſia*, ex Concilio Lateranenſi, ſtatuitur idem, quod ſupra in cap. præcedenti.

In 10. cap., quod incipit. *Cùm ſit*, ex eodem Alexandro III. ſtatuitur, quòd Epiſcopus pro conſecratione Eccleſiarum nihil poteſt recipere, aut exigere præter procurationem; aliàs incurreret Simoniam: Conſecratio enim Ec-

Eccleſiæ eſt res ſpiritualis.

In 11. cap., quod incipit. *De hoc autem*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui fuerit convictus de Simonia, aut ſi infamatus, purgari ſe non poſſit de tali crimine, omnino eſt deponendus, ut dictum eſt ſupra cap. 2. & 3.

In 12. cap., quod incipit. *Cum eſſet*, ex eodem, ſtatuitur, Simoniacum eſſe, Beneficium promittere pro temporali obſequio: undè Simonia alia dicitur à manu, alia a lingua, alia ab obſequio; Suppoſito tamen pacto, aut promiſſione, vel intentione dantis, aut recipientis.

In 13. cap., quod incipit. *Inſinuatum eſt*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui eſt notorius Simoniacus, quià publicè conſtat, pecunia acquiſiviſſe Beneficium, eſt ab eo Beneficio omninò deponendus: & idem dicitur de eo, qui eſt infamatus de ſimili Simoniâ; ſi ſe purgare non poterit, pari enim pœna punitur: ex eo quippe quòd non poſſit ſe purgare, habetur pro convicto. Purgatio autem Canonica prò crimine Simoniæ fit cum quinta, vel ſexta manu ſui Ordinis. Sed notandum ex Gloſſa quòd nomine *quinta*, *vel ſexta manus*, intelliguntur compurgatores, coram quibus debet purgatio fieri; qui numerus compurgatorum ſic olim diſponebatur, videlicet, quòd Epiſcopus debeat ſe purgare coram duodecim Præsbyteris, Præsbyter coram quinque, & Diaconus coram tribus ſui ordinis; quapropter ponuntur Verſus *Pontificem parium manus expurgat duodena, quinta Sacerdotem*: *Levitam tertia: pœna maior majori, minor eſt adhibenda minori.* Sed modo ex conſuetudine talis numerus eſt arbitrarius ſecundùm determinationem Judicis.

In 14. cap., quod incipit. *Nemo*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Simoniam committit, qui pro aliquo temporali, puta pretio, vel favore cælat peccatum alicujus, quod corrigere, aut denunciare tenetur Epiſcopo: ſicut ſimoniacum eſt pro aliqua re temporali, ſcilicet lucro, amicitiâ, aut conſanguinitate reconciliare non pænitentem, à reconciliatione expellere: hæc enim omnia Spiritualia ſunt, & fiunt pro re temporali; & in hoc conſiſtit labes Simoniæ.

In 15. cap. quod incipit. *Querelam*, ex eodem ſtatuitur, quòd non poteſt Eccleſia pecunia vendi, nec pecunia redimi: eſt enim res ſacra, unde committeretur ſimonia; eſt enim ſimonia ſtudioſa voluntas emendi, aut vendendi pretio temporali rem Sacram. Sic D. Thom. 2. 2. qu. 100. Art. 1., ubi concludit, quòd Simonia eſt *ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi aliquid Spirituale, vel ſpirituali annexum*, & probat eſſe peccatum his verbis: *actus aliquis eſt malus ex genere, eo quòd cadit ſuper materiam indebitam, emptionis autē, & venditionis eſt materia indebita res Spiritualis triplici ratione. Primò quidem, quia res Spiritualis non poteſt aliquo terreno pretio compenſari &c. 2. quia id non poteſt eſſe debita venditionis materia, cujus debitor non eſt dominus; Prælatus autem Eccleſia non eſt dominus ſpiritualium rerum, ſed diſpenſator, ſecundùm illud 1. ad Cor. 4. ſic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores miniſteriorum Dei. 3. quia venditio repugnat Spiritualium origini, quæ ex gratuita voluntate Dei proveniunt, unde & Dominus dicit Matth. 10. gratis accepiſtis, gratis date &c.*

In 16. cap., quod incipit. *Ea quæ*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Epiſcopus nullatenùs poteſt pecuniam exigere ab Eccleſiis pro Chriſmate, quod eis præſtat: quacumque non obſtante conſuetudine, eſſet enim manifeſta Simonia.

In 17. cap., quod incipit. *Ex diligenti*, ex eodem ſtatuitur, quòd quis non poteſt ſe obligare ad aliquod temporale præſtandum ad effectum recipiendi Beneficium Eccleſiaſticum: eſt enim Beneficium quid Spirituale; unde non poteſt per temporale paciſci: eſſet enim Simonia.

In 18. cap., quod incipit. *Et ſi*, ex eodem ſtatuitur, quòd in donis dandis tria conſideranda ſunt, qualitas dantis, & accipientis, quantitas muneris, & tempus donationis. Si enim aliqua donentur poſt Beneficium acceptum, abſque prævio, pacto, & hujuſmodi munera ſint modici valoris, quæ nullatenùs poſſint immutare animum recipientis, nec præſumi poſſint data à donatore tamquam pretium Beneficii recepti, talia dona lici-

ta ſunt, nec inducunt Simoniam: non enim intercedit voluntas emendi, aut vendendi rem Spiritualem.

In 19. cap., quod incipit. *Veniens ad nos*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi aliquis recipiatur in Monachum ſolutâ pecuniâ ex pacto; Abbas & majores ex illo monaſterio ſuſpendendi ſunt ab executione ſui ordinis, & pecunia eſt reſtituenda ei, qui dedit, & talis monachus ſic receptus è prædicto monaſterio eſt expellendus, qui tamen poterit in alio monaſterio habitum monachalem ſuſcipere.

In 20. cap., quod incipit. *Ex tua*, ex eodem, ſtatuitur, quòd crimen occultum Simoniæ, quod Prælatus ſcivit in confeſſione, punire non poteſt, quia hoc ſcivit ut Deus, non ut Iudex: debet tamen Simoniaco imponere perpetuam pœnitentiam, & ut abſtineat ab Officio, vel Beneficio, vel ab Ordine, quem ſimoniacè acquiſivit. Talis enim collatio nulla eſt, & non poteſt retineri, quod ſimoniacè eſt acquiſitum.

In 21. cap., quod incipit. *Ad noſtram*, ex eodem ſtatuitur, quòd prò miniſteriis Eccleſiaſticis exercendis, ſeu prò Vicariis aſſignandis, ſeù prò Chriſmate, nullatenùs eſt exigenda pecunia: eſſet enim Simoniacum.

In 22. cap., quod incipit. *De ſimoniacè*, ex Lucio III., ſtatuitur, quòd qui ſimoniacè ordinati ſunt, ipſis ignorantibus, propriè, & in rigore non dicuntur ſimoniaci; undè cùm eis Epiſcopus poteſt diſpenſare; ſecùs dicendum de his, qui ſunt ordinati ſimoniacè, ipſis ſcientibus, & conſentientibus, cùm quibus non poteſt diſpenſare niſi Solus Papa.

In 23. cap., quod incipit. *Matthæus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi de voluntate electi ab aliquo ſuo Amico traditur pecunia ei, qui contradicit tali electioni, & propter hoc contradicens acquieſcit, hujuſmodi electus, etiàmſi confirmetur, Simoniacus eſt, & Beneficio renuntiari tenetur.

In 24. cap., quod incipit. *Ad aures*, ex eodem, ſtatuitur, quòd pecunia exigi non debet prò abſolvendo excommunicato: gratis enim talis abſolutio eſt danda, cùm ſit quid Spirituale.

In 25. cap., quod incipit. *De Regularibus*, ex Clemente III. ſtatuitur, quòd Monachi per ſimoniam recepti, ſi ipſimet ſimoniam commiſerunt, ad arctiora monaſteria ſunt transferendi: ſecùs ſi, ipſis neſcientibus, commiſſa ſit Simonia; tunc enim reſtitutâ pecuniâ ei, qui dedit, ipſi poterunt diſpenſari, ut in iiſdem, vel in aliis monaſteriis remaneant.

In 26. cap., quod incipit. *Ex Inſinuatione*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui, ipſo ignorante, ſimoniacè acquiſivit Canonicatum, deinde ſciens, Simoniam prò acquiſitione talis Canonicatus fuiſſe commiſſam, renunciavit tali Canonicatui, poterit diſpenſativè in eâdem Eccleſia alium obtinere Canonicatum: cùm hoc tamèn, quòd nihil poſſit ex prima receptione ſibi vendicare, cùm talis collatio fuerit nulla.

In 27. cap., quod incipit. *Nobis*, ex Cæleſiino III., ſtatuitur, quòd Electio ſimoniaca eſt caſſanda, ſi hoc conſtet; etiamſi Simonia contracta ſit, ipſo electo ignorante, dummodò tamèn pecunia non ſit data, aut promiſſa Electoribus malitiosè; ſcilicet ut fiat damnum eligendo: tunc enim eſſet in fraudem, & fraus nulli patrocinatur. An autèm ſimoniacus poſſit diſpenſari ab Epiſcopo, ut poſſit retinere Beneficium, quod ſimoniacè obtinuit; Reſpondet Papa negativè, ut ſupra dictum eſt.

In 28. cap. quod incipit. *Dilectus Filius*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in caſu, in quo quis det Prælato pecuniam, nè ipſum in jure ſuo de facto moleſtet, eſt compellendus Prælatus ad reſtituendam talem pecuniam ei, ſi Prælatus ille promiſſa non ſervet: In hoc enim caſu non committitur Smonia à dante pecuniam, quia hoc facit precisè ad redimendam injuſtam vexationem.

In 29. cap., quod incipit. *Suam*, ex Innocentio III., ſtatuitur, quòd Parochi nihil debent exigere prò benedictionibus nubentium, & prò exequiis mortuorum. Quod tamen eſt intelligendum quantùm ad id, quod ſpirituale eſt: ſecùs autem prò labore juxtà conſuetudinem loci.

In 30. cap., quod incipit. *Dilectus*, ex eodem ſtatuitur, quod ſi per accuſatio-

tionem conſtet, Monachum fuiſſe receptum ſimoniacè, receptus, & recipiens debent deponi. Si verò hoc depræhendatur per inquiſitionem, receptus in arctius Monaſterium detrudi debet; recipiens autem, & Majores prædicti Monaſterii ſunt ſuſpendendi ab executione Ordinum, & aliâ congruâ pœnâ puniendi.

In 31. cap., quod incipit. *Licet*, ex eodem ſtatuitur, quòd Abbas infamatus de ſimonia, in judicio Inquiſitionis poteſt dare exceptionem Teſtibus contra ipſum examinatis; ſcilicet quòd ſint inimici, & conſpiratores; aliàs verò exceptiones criminum opponere non poteſt.

In 32. cap., quod incipit. *Per tuas*, ex eodem ſtatuitur, quòd ad probandum crimen ſimoniæ de aliquo, admittuntur etiam Teſtes criminoſi, ſicut admittuntur ad probandum crimen læſæ majeſtatis; & ſolùm excipiuntur Teſtes, qui manifeſti ſunt inimici, & conſpiratores.

In 33. cap., quod incipit. *Sicut*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi pecunia ſolvatur contra prohibitionem electi, non poteſt nocere nec electo, nec electioni, aut confirmationi, ſi ipſe poſtea non conſentiat: ſi enim ipſe conſentiret per ratihabitionem, contraheretur ſimonia.

In 34. cap., quod incipit. *Tua nos*, ex eodem ſtatuitur, quòd in ſpiritualibus adipiſcendis omnis conditio, vel pactum infert ſimoniam: undè ſi Clericus offerat alicui Eccleſiæ ſua Bona cum pacto, ut fiat ibi Canonicus, & hujuſmodi Bona deſerviant ei proPrebenda, ſuâ vitâ durante, ſimonia committitur. Si autem pactum, vel conditio non præcedat, ſed bona ſua offerat ſpontè, & deindè ſupplicet pro Canonicatu, Simoniacus non erit.

In 35. cap., quod incipit. *Per tuas*, ex eodem ſtatuitur, quòdClericus ſi rationabiliter dubitaret deEpiſcopo ſimoniaco non debet ab eoOrdines recipere: quòd ſi jam fuerit ab eo ordinatus, abſque tamen ſimonia, validè, & licitè poteſt miniſtrare, licèt enim contra conſcientiam nullus poſſit operari abſque peccato; tamen conſcientia erronea, & ſcrupuloſa deponenda eſt, & licitum eſt ſcrupuloſo agere contra ſcrupulum.

In 36. cap., quod incipit. *In tantum*, ex eodem ſtatuitur, quòd non eſt licitum Epiſcopo aliquid exigere pro Chriſmate, aut inveſtitura Eccleſiarum; nec excuſat conſuetudo, aut variatio nominis, vocando talem pecuniam Chriſmalem, aut Paſchalem. Gratis enim gratia conferenda eſt. Sic D. Thomas loco citato in ſolutione ad 4. ubi ait: *dicendum, quòd conſuetudo non præjudicat juri naturali, vel divino quo ſimonia prohibetur; & ideò ſi aliqua ex conſuetudine exigantur quaſi pretium rei ſpiritualis cùm intentione emendi, vel vendendi eſt manifeſtè ſimonia.*

In 37. cap., quod incipit. *Per tuas nobis*, ex eodem ſtatuitur, quòd quiOrdinem ſcienter recipit ſimoniacè, aut falſo titulo, non habet executionem in tali Ordine, niſi obtineat diſpenſationem àPapa.

In 38. cap., quod incipit. *Conſulere*, ex eodem ſtatuitur, quòd quicumq; per pecuniam aliquam adminiſtrationem Eccleſiaſticam obtinuerit, Simoniacus eſt: & tàm dantes, quàm recipientes ab illa Eccleſia ſunt omninò eiiciendi propter præjudicium tali Eccleſiæ illatum.

In 39. cap., quod incipit. *Sicut*, ex eodem in Concilio generali ſtatuitur, ſimoniacum eſſe, aliquid exigere proConſecratione Epiſcoporum, & Benedictionibus Abbatum, & OrdinationibusClericorum, nec aliqua in hoc excuſat conſuetudo: eſt enim abuſus, ſeu corruptela.

In 40. cap., quod incipit. *Quoniam*, ex eodem in eodem Concilio ſtatuitur, Religioſos pretio receptos unà cum recipientibus, de tali Monaſterio eiiciendos eſſe; & prius renunciatâ tali receptione, & reſtitutâ pecuniâ, iterum liberè acceptatos in arctius Monaſterium eſſe detrudendos ad agendam pœnitentiam.

In 41. cap., quod incipit. *Audivimus*, ex eodem in eodem Concilio ſtatuitur, non eſſe licitum Epiſcopis aliquid exigere, ad hoc ut Clerici in Eccleſiis ſibi ſubjectis inſtituantur; aut ut MonachiProfeſſionem emittant; aut ut mortui ſepeliantur: hæc enim omnia ſpiritualia ſunt.

In 42 cap., quod incipit. *Ad Apoſtolicam*, ex eodem in eodem Concilio ſtatuitur, Sacramenta Eccleſiæ eſſe liberè conferenda abſque alio pacto pretii: cum enim ſint res ſacræ, emi, vel vendi non

non poſſunt abſque labe ſimoniæ. Laudabiles tamen conſuetudines legitimè introductas in favorem Eccleſiæ eſſe à Laicis obſervandas, ſtatuit idem Concilium.

In 43. cap., quod incipit. *Ne Dei*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd Abbates Ordinis Ciſtercienſis non debent inſtallari ſolemniter ab Archidiacono, ut priùs conſueverant, conſignando ipſi palafrenum, aut æquipollens pro tali inſtallatione; ſed ſufficit, eos promittere ſubjectionem, reverentiam, & obedientiam a Sanctis Patribus conſtitutam ſecundùm Regulam S. Benedicti, perpetuò ſe præſentaturos Epiſcopo ſuo Diœceſano, ejuſque Succeſſoribus, & Sanctæ Sedi Apoſtolicæ.

In 44. cap., quod incipit. *Jacobus*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd quicumque recipitur in Canonicum, debet habere Præbendam, & redditus ſibi, ſuoque Canonicatui competentes; etiamſi ipſe non ſolverit aliquod temporale aliis Canonicis juxta pravam conſuetudinem, vel potiùs corruptelam in tali Eccleſia introductam: mala enim conſuetudo extirpanda eſt, non ſervanda.

In 45. cap., quod incipit: *Si quis*, ex eodem ſtatuitur, quòd Epiſcopus, qui ordinavit aliquem in Sacris cum promiſſione, vel juramento præſtito ab Ordinato, ſcilicet de non petendo à tali Epiſcopo proviſionem, Ordinator remanet ſuſpenſus per triennium à collatione, Præſentator verò ab executione Ordinum ſimiliter per triennium eſt ſuſpenſus; Ordinatus verò perpetuò remanet ſuſpenſus: & ſolùm per Sedem Apoſtolicam cum eis poteſt diſpenſari. Talis enim Ordinatio eſt ſimoniaca.

In 46. cap., quod incipit. *Mandato*, ex eodem ſtatuitur, quòd mandatum Apoſtolicum de diſpenſando Monachos, qui receperunt aliquem ad Religionem ſimoniacè, ſe extendit etiam ad Abbatem, qui venit quoque nomine Monachi. Similiter ſtatuitur, ſimoniam ſolo aſpectu animi interno conceptam non obligare ad reſignationem rei ſpiritualis, licèt aliàs peccatum ſit; quia Eccleſia non judicat, nec punit id, quod omninò internum eſt. Videatur D. Thom. 2. 2. qu. 100. de ſimonia, ubi elegantèr omnia, quæ in hoc titulo continentur explicat per ſex articulos.

TITULUS IV.

Nè Prælati vices ſuas, vel Eccleſias ſub annuo cenſu concedant, in 4. cap. diſtinctus.

Poſtquam in ſuperiori Titulo dictum eſt de ſimonia in genere, nunc agitur de quadam ſimoniæ ſpecie, ſcilicet quando Prælati, acceptâ pecuniâ, juriſdictionem propriam alicui committunt, aut Eccleſias ſub annuo cenſu concedunt.

Agitur de hac materia in Decreto diſt 89., & Cauſa 1. quæſt. 4. per totum, & Cauſa 25. quæſt. 2. cap. *præcipuus*.

In 1. cap., quod incipit. *Præterea*, ex Alexandro III. in Concilio Lateranenſi ſtatuitur, juriſdictionem Epiſcopalem, ſeu facultatem judicandi in Cauſis Eccleſiaſticis nullo pacto vendi poſſe, ſed gratis conferri debere, & hoc ſub pœna privationis Officii ei, qui recepit, & Epiſcopo privationis facultatis de cætero talem juriſdictionem communicandi.

In 2. cap., quod incipit. *Quoniam*, ex eodem in Concilio Turonenſi ſtatuitur idem, quod in cap. præcedenti dictum eſt.

In 3. cap., quod incipit. *Quoniam enormis*, ex eodem ſtatuitur, quòd cura Animarum ſub annuo cenſu conſtitui non debet, non obſtante qualibet conſuetudine in contrarium: eſſet enim reddere Sacerdotium venale, quod ſimoniacum eſt. Paciſci tamen alimenta pro ſuſtentatione Sacerdotis eſt licitum: qui enim Altari ſervit, de Altari vivere debet.

In 4. cap., quod incipit. *Querelam*, ex eodem ſtatuitur, quòd licèt Eccleſia ſub annuo cenſu concedi non poſſit, quia hoc ſimoniacum eſſet; tamen fructus Eccleſiarum in proventus temporales illius locari poſſunt ſub annuo cenſu ad tempus triennii, vel ſeptennii, dummodò hoc fiat in evidentem utilitatem Eccleſiarum. Nihil enim ſpirituale locatur pro temporali cenſu, ſed ſolùm locatur id, quod temporale eſt. Videatur S. Thom. loco

nuper

nuper citato art. 4. in Corpore, ubi probat, quòd ea, quæ ſunt ſpiritualibus annexa nullo modo vendere, vel emere licet, quia (ut ait) *eis venditis, intelliguntur etiam ſpiritualia venditioni ſubjci.* Et art. 2. ejuſdem quæſt. ait: *Accipere aliquid ad ſuſtentationem eorum, qui Sacramenta Chriſti miniſtrant ſecundùm ordinationem Eccleſiæ, & conſuetudines approbatas, non eſt ſimonia, neque peccatum; non enim ſumitur tamquam pretium mercedis, ſed tamquam ſtipendium neceſſitatis.* Legatur per totam quæſtionem.

TITULUS V.

De Magiſtris, & nè aliquid exigatur pro licentia docendi in 5. cap. diſtinctus.

CUM in præcedentibus titulis dictum ſit de ſimonia, & nè aliquod temporale exigatur pro ſpirituali, in præſenti quæritur de magiſterio, & licentia docendi: hæc enim habentur inſtar Spiritualium.

Agitur de hac materia in Decreto diſt. 37., & diſt. 86. per totum, & Cauſa 8. quæſt. 1. cap. *Oportet*. Et in Clementinis lib. 1. tit. 1.

In 1. cap., quod incipit. *Quoniam*, ex Concilio Lateranenſi ſtatuitur, in unaquaque Cathedrali uni Magiſtro aſſignandum eſſe competens Beneficium, ut Clericos, & Scholares ejuſdem Eccleſiæ gratis doceat; pro licentia autem docendi nihil exigi debere, & idoneo non eſſe talem licentiam denegandam: & qui contra hoc venire præſumpſerit, ex ſententia Concilii, Beneficio privatur.

In 2. cap., quod incipit. *Prohibeas*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd nihil debet exigi, aut promitti pro obtinenda licentia docendi, & ſi aliquid fuerit datum, reſtituatur; & ſi fuerit promiſſum, reſcindatur promiſſio: & ad hoc debet Epiſcopus tales compellere. Similiter ad Epiſcopum ſpectat ſupplere negligentiam inferioris Prælati, vel Magiſtratus, ſi tempore debito non provideant de Magiſtris: in tali enim caſu Epiſcopus debebit providere, & præficere Magiſtros providos, honeſtos, & diſcretos.

In 3. cap., quod incipit. *Quanto*, ex eodem ſtatuitur, quòd pro licentia docendi nihil omninò exigatur; & hoc præcipitur ſub pœna anathematis, & ſub pæna privationis cujuſcumque Officii, & Dignitatis.

In 4. cap., quod incipit. *Quia*, ex Innocentio III. in Concilio Generali Lateranenſi ſtatuitur, non ſolùm in qualibet Cathedrali Eccleſia, ſed etiam in qualibet aliaEccleſia in facultatibus ſufficienti, eſſe à Prælato, vel Magiſtro eligendum Magiſtrum,ad docendum pauperes Clericos, cui Magiſtro eſſe aſſignandam unam Præbendam pro ſui ſubſtentatione. In Metropolitana autem Eccleſia non ſolùm eſſe inſtituendum Magiſtrum pro inſtruendis Clericis, ſed etiam Theologum, qui Sacerdotes, & alios in ſacra Pagina doceat; & ipſi ſimiliter de redditibus Eccleſiæ aſſignandam eſſe congruam Præbendam pro ſui ſubſtentatione: & ſi in hoc fuerit negligens Capitulum, itaut delato tempore non eligat, electio ſpectabit ad Epiſcopum.

In 5. cap., quod incipit. *Super ſpecula*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd Prælati, & Capitula tenentur ad Studia Theologiæ tranſmittere Clericos aptos, & idoneos, qui abſentes cauſa ſtudii, redditus Præbendarum, ſeu Beneficiorum ſuorum per quinquennium integraliter percipiant: & ſi hujuſmodi redditus non ſufficiant ad ſubſtentationem, Prælatus cum Capitulo eis provideat. Magiſtri verò actu docentes integrè percipere debent fructus ſuorum Beneficiorum. Videatur D. Thom. 2. 2. quæſt. 100. art. 3. ad 3. ubi ſic ait: *Ille autem, qui habet Scientiam, & non ſuſcepit cum hoc officium, ex quo obligetur aliis uſum Scientiæ impendere, licitè poteſt pretium ſuæ doctrinæ, vel conſilii accipere, non quaſi veritatem, aut ſcientiam vendens, ſed quaſi operas ſuas locans; ſi autem ex officio ad hoc teneretur; intelligeretur ipſam vendere veritatem, unde graviter peccaret. Sicut patet in illis, qui inſtituuntur in aliquibus Eccleſiis ad docendum Clericos Eccleſiæ, & alios pauperes, pro quo ab Eccleſia beneficium recipiunt, à*

quibus non licet eis aliquid recipere, nec ad hoc, quòd doceant, nec ad hoc, quòd aliqua feſta faciant, vel prætermittant. Hæc D. Thom.

TITULUS VI.

De Judæis, & Saracenis, & eorum Servis, in 19. capita diſtinctus.

CUM in Superioribus Titulis actum ſit de Simoniacis, qui Spiritualia vendentes, & ementes à Fide aberrant: incipiens Author agere de Infidelibus, Primò ponit præſentem Titulum de Iudæis,& Saracenis, & eorum Servis. Nomine autem Servorum in præſenti, non ſolùm intelliguntur Mancipia, ii ſcilicet, qui carent libertate, ſed etiam Famuli, nempè Mercenarii, qui etiam dicuntur ſervi à ſerviendo.

Tractatur de hac materia in Decreto Cauſa 23. qu.4. 5. 6. & qu.8. cap. *Diſpar.* & Cauſa 28. qu. 1. & 2. per totum. In Clement. lib. 5. Titulo 2. in Extravagan. lib. 5.

In 1. cap. quod incipit. *Præſenti*, ex Concilio Matenſi, ſtatuitur, non licere Judæis, nec aliis Infidelibus retinere Chriſtianos in Servos: undè in tali caſu licere cuilibet Chriſtiano redimere ipſum de ſervitute Judæorum, datis duodecim ſolidis pro quolibet mancipio Chriſtiano. Quod etiam fieri debet,in caſu quo ſervus Iudæi velit fieri Chriſtianus, debet enim redimi à ſervitute 12. ſolidis; Nefas enim eſt Judæum in ſervitutis vinculis retinere illum, quem Chriſtus Sanguine ſuo redemit.

In 2. cap. quod incipit. *Multorum*, ex Gregorio ſtatuitur, quòd Chriſtiani cum Judæis habitare non debent, nec eis ſervire; Originarii autèm, ſive adſcriptitii ſcilicet, qui 30. annis Poſſeſſiones Iudæorum colunt, liberi ſunt, nec inviti poſſunt retineri à Iudæis, quòd ſi hoc faciant, hoc ipſo Ius illud amittunt.

In 3. cap. quod incipit. *Judæi*, ex eodem ſtatuitur, quòd Iudæi ſecundùm leges Canonicas novas ſynagogas erigere non poſſunt, bene tamen veteres habere; & eas reficere.

In 4. cap. quod incipit. *Quia*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd Iudæis in die Paraſceves non permittitur aperire feneſtras, vel Oſtia Domus, nec in publicum exire, ſed tota die clauſi debent manere. Hoc illis fuit impoſitum, quia tali die Chriſtianos irridebant, & ritus noſtros blaſphæmabant.

In 5. cap. quod incipit. *Ita quorumdam*, ex eodem in eodem Concilio, ſtatuitur, Chriſtianos deferentes Saracenis, ſeu Paganis arma, ferrum, lignamina, vel alias merces prohibitas, vel in eorum Navibus navigantes, in eorum auxilium contra Chriſtianos,excommunicationem ipſo facto incurrere,& captos à Chriſtianis, rebus omnibus eſſe privandos, & fieri mancipia capientium.

In 7. cap. quod incipit. *Conſuluit*; ex eodem ſtatuitur idem, quod dictum eſt in 3.cap.de Synagogis Judæorum de novo non ædificandis.

In 8. cap. quod incipit. *Ad hæc*, ex eodem ſtatuitur, nè Chriſtiani in ſervitio familiari Judæorum permittantur: unde nec infantes Chriſtiani Nutricibus Iudæis ſunt conſignandi, ut eos alant. Familiaritas enim malorum vitanda eſt, ne boni corrumpantur ab eis.

In 9. cap. quod incipit. *Sicut Judæi*, ex Clemente III. ſtatuitur, quòd Iudæi non ſunt cogendi venire ad fidem, nec ſunt inviti baptizandi, nec ſinè forma Iudicii puniendi, aut rebus ſuis expoliandi, aut in ſuis feſtivitatibus moleſtandi, aut eorum Cimiteria violanda, ſivè eorum corpora exhumanda. Hæc enim omnia ſunt contra Ius naturale, & Divinum.

In 10. cap. quod incipit. *Quam ſit laudabile*, ex eodem ſtatuitur, quòd qui Miſſionarii fiunt, & peregrinantur ad prædicandam fidem Paganis, poſſunt uti cibis, qui eis ab Infidelibus apponuntur; dummodo abſtineant ab æſu Carnium diebus ab Eccleſia vetitis. Similiter, quòd poſſunt ſecum aſſumere Religioſos, & Clericos idoneos ad hujuſmodi Apoſtolicum Officium, de licentia tamen petitâ, & obtentâ a ſuis Superioribus.

In 11. cap. quod incipit. *Significavit*,

vit, ex eodem ſtatuitur, quòd hi, qui ire volunt ad partes Infidelium cauſa redimendi captivos, jurare debent, quòd nihil deferent auxilii, ſeu ſubſidii Infidelibus, ſed præciſè captivos Chriſtianos redimere intendunt.Similiter ſtatuitur, quòd nec etiam poſt treugas merces prohibitæ poſſunt mitti, vel deferri ad Infideles abſque incurſu in excommunicationem.

In 12. cap. quod incipit. *Quod olìm*, ex eodem ſtatuitur,quòd ipſo facto excommunicationem incurrunt, qui tempore Belli habent commercium cùm Saracenis, aut eis aliquod præſtant auxilium.

In 13. cap. quod incipit. *Et ſi Judæos*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd Chriſtianis non licet habere Judæas nutrices, vel ſervientes: & contrafacientes ſunt expellendi à Chriſtianorum commercio per ſententiam excommunicationis.

In 14. cap. quod incipit. *Poſtulaſti*, ex eodem ſtatuitur, quòd Judæus, qui Clericum percuſſerit, licèt per Cenſuram puniri non poſſit, cùm non ſit capax pænæ Spiritualis; puniri tamen debet à Judice pæna temporali; quòd ſi tali pæna puniri non poſſit, debet ei interdici Chriſtianorum commercium, donec ſatisfecerit injuriam paſſo.

In 15. cap. quod incipit. *In nonullis*, ex eodem in Concilio Generali ſtatuitur, Judæos, & Saracenos utriuſque ſexus in Terris Chriſtianorum uti debere habitu, per quem à Chriſtianis diſcernantur, & in die Paſſionis Domini prohibendos eſſe, nè in publicum progrediantur, ne in contumeliam Creatoris proſiliant.

In 16. cap. quod incipit. *Cum ſit*, ex eodem in eodem Concilio ſtatuitur, Principes præponentes Iudæos publicis Officiis, eſſe corripiendos per Provinciale Concilium, & Judæo taliter præpoſito denegandum eſſe Chriſtianorum commercium, & ea, quæ ex talibus Officiis acquiſivit, ab eo eſſe reſtituenda in manibus Epiſcopi, qui ea dividet in uſus Chriſtianorum pauperum.

In 17. cap. quod incipit. *Ad liberandam*, ex eodem in eodem Concilio ſtatuitur id, quod ſupra cap. 6. de excomunicatione contra Chriſtianos deferentes arma &c. Saracenis: addendo in hoc Concilio, ut abſolvi non poſſint, niſi impoſitâ pænâ ſatisfactionis, ut ſcilicet lucrum inde acquiſitum in ſubſidium Terræ Sanctæ integrè applicetur.

In 18. cap. quod incipit. *Ex Speciali*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd Iudæi, vel Pagani non ſunt præficiendi publicis Officiis: & ſi fortè eis Iura Regalia vendantur, ad ea colligenda debet præfici aliquis Chriſtianus non ſuſpectus in fide.

In 19. cap. quod incipit. *Nulli Iudæo*, ex eodem ſtatuitur. Primò quòd nulli Iudæo eſt licitum, aliquem Baptizatum, vel baptizari volentem emere, vel in ſuo ſervitio retinere. Secundò ſtatuitur, quòd ſi aliquis Iudæus cauſâ Mercimonii emerit aliquem non dùm ad fidem converſum, & poſtmodum factus fuerit Chriſtianus, vel deſideret fieri,datis ab aliquo prò eo 12. ſolidis, ille ab ejus ſervitio ſubtrahitur. Tertiò ſtatuitur, quòd ſi talis Iudæus Emptor infra tres Menſes Chriſtianum emptum venalem non expoſuerit, præſumitur ipſum emiſſe ad ſerviendum ſibi; unde non poteſt poſt tale tempus ipſum vendere, ſed abſque ullo pretio talis Chriſtianus eſt in libertatem vindicandus. Sic D. Th. 2. 2. qu. 10. art. 10. in Corpore ubi ſic ait: *In illis Infidelibus, qui etiam temporali ſubjectione ſubiiciuntur Eccleſiæ, & membris ejus, hoc jus Eccleſia ſtatuit, ut ſervus Iudæorum, cum fuerit factus Chriſtianus, ſtatim à ſervitute liberetur nullo pretio dato, ſi fuerit Vernaculus, ſcilicet in ſervitute natus, & ſimiliter ſi infidelis exiſtens fuerit emptus ad ſervitium; Si autem fuerit emptus ad mercationem, tenetur eum infra tres menſes exponere ad vendendum*. Videatur per totam hanc quæſtionem ubi per 12. Articulos eleganter pertractat, quæ in hoc titulo continentur.

TITULUS VII.

De Hæreticis in 16. cap. diſtinctus.

Poſtquàm tractatum eſt de Judæis, & Saracenis, qui nullatenus in Chriſtum credentes reſpuunt Baptiſmum, & Fidem:

dem: nunc ſequitur agendum de his, qui dicunt ſe credere in Chriſtum, & Baptiſmum ſuſcipiunt; cæterum aliquos Fidei Catholicæ Articulos negantes, Hæretici dicuntur, & per ſententiam excommunicationis ſunt ab Eccleſia ſeparati.

Agitur de hac materia in Decreto diſt. 8. cap. *Quo jure*. Cauſa 1. qu. 1. in multis cap. Cauſa 11. qu. 1. Cauſa 22. q. 7. per totum. Cauſa 24. qu. 1. per totum, & quæſt. 3. §. *Quia vero*, uſque ad finem quæſtionis. In 6. lib. 5. Titulo 2. In Clementinis lib. 5. Tit. 3. In Extravagan. lib. 5.

In 1. cap. quod incipit. *Dubius*, ex Stephano Papa ſtatuitur, quòd dubius in fide eſt Infidelis. Infidelis autem Teſtis eſſe non poteſt, cùm fidem veritatis ignoret.

In 2. cap. quod incipit: *Quia*, ex Leone Papa, ſtatuitur, quòd qui alium ab errore non revocat, cùm poſſit, ſe ipſum errare demonſtrat: qui enim tacet, cùm poſſit, & debeat loqui, aſſentiri præſumitur.

In 3. quod incipit. *Firmiſſimè*, ex Auguſtino de Fide Catholica oſtenditur, Firmiſſime eſſe tenendum, & nullatenus dubitandum, omnem Hæreticum, vel Schiſmaticum, utpotè ab Eccleſia præciſum, ſalvari non poſſe, niſi ante finem vitæ, Hæreſi, aut Schiſmate abjuratâ Eccleſiæ Catholicæ fuerit reconciliatus; nam extra Eccleſiam Catholicam non eſt ſalus, nec opera, alias bona moraliter, eſſent meritoria abſque Fide, & Charitate.

In 4. cap. quod incipit. *Fraternitatis*, ex Gregorio Papa, ſtatuitur, quòd damnatis Authoribus de hæreſi, ex conſequenti damnantur omnes eorum libri, ſcripta, & opera: Nàm acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis.

In 5. cap. quod incipit. *Si quis*, ex Concilio Aphricano, ſtatuitur, nullum Epiſcopum poſſe inſtituere hæredem aliquem Hæreticum, ſivè iſte ſit conſanguineus ipſius, ſive non: & ſi hoc fecerit, talem Epiſcopum præſumendum eſſe Hæreticum, & poſt mortem eſſe excommunicandum, & nomen ejus inter Sacerdotes Dei nullatenùs apponendum. Et quod dicitur de Epiſcopo, eſt etiam intelligendum de omni Clerico: Hæreticus enim de Jure eſt incapax, ut ſuccedat Catholico in hæreditate.

In 6. cap. quod incipit. *Inter eos*, ex eodem, ſtatuitur, nullum Epiſcopum, nec Sacerdotem, aut Clericum poſſe in morte, ſed nec etiam in vitâ diſtrahere, vel conferre ſua bona Hæreticis, aut Schiſmaticis, etiam conſanguineis: ſunt enim tales ab Eccleſia reciſi per excommunicationem. An autem in caſu extremæ neceſſitatis poſſit Catholicus ſubvenire Hæretico, ne fortè pereat? Reſpondetur affirmativè, quia Hæreticus eſtò excommunicatus, venit tamen nomine Proximi, cùm ſit capax, ut convertatur, & ſalvetur, & de nullo eſt deſperandum.

In 7. cap. quod incipit. *Cum Chriſtus*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd quicumque affirmaverit, Chriſtum in quantùm homo eſt, non eſſe aliquid, eſt excommunicatus tamquam Hæreticus: quia ſicut de fide eſt, Chriſtum eſſe verum Deum; ita eſt de fide, Chriſtum eſſe verum hominem ex natura rationali, & humana carne ſubſiſtentem, ut ſupra dictum eſt cap. *Firmiter* de Summa Trinitate, & ad Gal. 4. *Ubi venit plenitudo temporis miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub Lege*. Et ad Rom. 1. *Paulus Servus Ieſu Chriſti vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Evangelium Dei, quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in ſcripturis Sanctis de Filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem &c.*

In 8. cap. quod incipit. *Sicut ait B. Leo*, ex Concilio Lateranenſi, ſtatuitur, Hæreticos omnes, & eorum receptores, & fautores eſſe excommunicatos, & anathematizatos, & in tali perfidiâ decedentes, privandos eſſe Sepulturâ Eccleſiaſticâ, & Eccleſiæ Suffragiis, non obſtante quocumque Privilegio; quia Privilegium non extenditur ad illicitum caſum, nec aliquem tuetur in malo.

In 9. cap. quod incipit. *Ad abolendam*, ex Lucio III. ſtatuitur. Primò, quòd Hæreticus, qui malè ſentit, vel malè docet de Sacramentis Eccleſiæ, ſtatim eſt excommunicatus. Secundò, ſtatuitur, quòd qui depræhenſus fuerit, & convictus tamquàm Hæreticus: ſi Clericus fuerit,

rit, priùs degradatus, Sæculari poteſtati eſt conſignandus, debitâ animadverſione puniendus, niſi ſpontè ſuam hæreſim abjurans, ad Catholicam redierit unitatem, promittens ſe ad arbitrium Epiſcopi ſatisfacturum. Et idem dicitur, ſi Laicus; excepto quòd Laicus non indiget degradari. Tertiò, ſtatuitur, quòd qui ſemel abjuratâ hæreſi, vel poſtquàm ad arbitrium Epiſcopi ſe purgaverit, depræhenſus fuerit in hæreſim recidiſſe, ſinè ulla audientia, ſæcularibus poteſtatibus conſignandus eſt, ut debitâ pœnâ puniatur. Quartò, ſtatuitur, omnes Principes, & Rectores cujuslibet loci teneri ad juramentum coràm Epiſcopo de defendenda Eccleſia contra Hæreticos, cùm opus fuerit; quòd ſi hoc præſtare nequeant, ſunt excommunicandi, & omni honore privandi, & ſi eorum dominia in hac contumacia perſtiterint, ſunt ſupponenda interdicto, & Civitates Epiſcopali dignitate privandæ, & à Catholicorum commercio ſegregandæ. Quintò, ſtatuitur, quòd idem intelligitur etiàm de Civitatibus exemptis, ſcilicet immediatè ſubjectis Sedi Apoſtolicæ, vel nullius Diœceſis: in his enim quæ dicta ſunt contra Hæreticos, etiam ipſæ debent obedire Epiſcopis tamquàm à Sede Apoſtolica delegatis, non obſtante quolibet Privilegio in contrarium.

In 10. cap. quod incipit. *Vergentis*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd bona Hæreticorum Fiſco ſunt applicanda. In Terris Eccleſiæ applicantur Fiſco Eccleſiæ: in Terris verò Imperii Sæcularis, Fiſco Principis. Quod fieri debet, etiamſi talis Hæreticus habeat Filios Catholicos: hæreſis enim gravius crimen eſt, & graviùs puniendum, quàm crimen læſæ Majeſtatis in Perſonam Principis, quod in Filiis punitur.

In 11. cap. quod incipit. *Si adverſus eum*, ex eodem, ſtatuitur, Advocatos, & Notarios eſſe infames, ſi advocent, vel Inſtrumenta conſcribant pro Hæreticis: ſunt enim ex hoc ipſo excommunicati, & ab officio ſtatim ſuſpenſi.

In 12. cap. quod incipit. *Cum ex iniuncto*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Laici nullo pacto aſſumere poſſunt officium prædicandi: hoc enim officium proprium eſt Sacerdotum, & non omnium, ſed ſolùm eorum, qui ad prædicandum mittuntur, ut dicit Apoſtolus: *quomodò prædicabunt, niſi mittantur?* Similiter ſtatuitur, ne Laici faciant conventicula occulta, in quibus tractent de rebus Fidei: poſſunt enim faciliter in errores incidere, nec debent Sacerdotes repræhendere.

In 13. cap. quod incipit. *Excommunicatus*, ex eodem in Concilio Generali, ſtatuitur. Primò eſſe ipſo facto excommunicatos, & anathematizatos, omnes & ſingulos hæreticos cujuſcumque ſint Sectæ, aut quibuſcumque nominibus nominentur. Secundò ſtatuitur, Damnatos ab Eccleſia de hæreſi, & in ea pertinaces, per Sæcularem Judicem eſſe debitâ pœnâ puniendos; eorum bona confiſcanda, ſi Laici ſint; ſi verò ſint Clerici, bona eorum eſſe applicanda Eccleſiis, ubi ſunt Beneficiati. Tertiò ſtatuitur, eum, qui non eſt convictus, ſed ſolùm ſuſpectus de hæreſi, ſi ſe non plenè purgaverit, ad arbitrium Superioris eſſe excommunicandum; & ſi in tali excommunicatione per annum contumaciter perſeveret, tunc ut Hæreticum eſſe damnandum. Quartò ſtatuitur, Sæculares Poteſtates, ſivè Temporales, ſivè perpetuas teneri ad præſtandum juramentum de inſequendo, & exterminando quoſcumque hæreticos ab Eccleſia damnatos, & ſi aliquis Temporalis Dominus non purgaverit Terram ſuam ab Hæreticis, eſt excommunicandus, & ſi ipſe perſeveraverit in tali excommunicatione per annum, hoc debet Papæ nunciari, qui Subditos talis Principis à juramento fidelitatis abſolvet, & ejus Terram Fidelibus poſſidendam exponet, ſalvo tamen jure principalis Domini, niſi & ipſe ſit in culpa. Quintò, ſtatuitur, Cruce ſignatos ad exterminium Hæreticorum gaudere iiſdem Privilegiis, quibus gaudent Cruce ſignati in ſubſidium Terræ Sanctæ. Sextò ſtatuitur, omnes credentes, faventes, receptantes, & defendentes Hæreticos, eſſe ipſo facto excommunicatos; & ſi in tali excommunicatione per annum continuaverint, efficiuntur infames, & omni officio, & dignitate privantur, ſivè ſint Laici, ſivè Clerici, nec

ab

ab alio, quàm à Romano Pontifice poſſunt abſolvi. Septimò ſtatuitur, nullum debere ſibi aſſumere officium prædicandi, niſi à jure, vel Romano Pontifice, vel à Diœceſano Epiſcopo habuerit facultatem, aliàs eſſe excommunicandum, & niſi reſipuerit, aliâ pœnâ temporali puniendum. Octavò ſtatuitur, Epiſcopum negligentem purgare Diœceſim ſuam à labe hæreſis, eſſe à Summo Pontifice deponendum, & alium diligentiorem, & aptiorem ſubrogandum.

In 14. cap. quod incipit. *Sicut*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd Laici cujuſcumque ſint Profeſſionis, conditionis, aut dignitatis, non debent prædicare; nàm timendum eſt, nè aliquando ſub ſpecie pietatis impietas pallietur.

In 15. cap. quod incipit. *Excommunicamus*, ex eodem, ſtatuitur idem, quòd ſupra ſtatutum eſt cap. 13. *Excommunicamus*, ex Concilio Lateranenſi: excepto quòd hic additur, quòd ſi in hæreſi depræhenſus, voluerit ad fidem Catholicam redire, eſt detrudendus in perpetuum carcerem ad pœnitentiam agendam. Similiter ſtatuitur, quòd credentes erroribus Hæreticorum, tamquàm Hæretici ſunt habendi.

In 16. cap. quòd incipit. *Abſolutus*, ſtatuitur, quòd ipſo jure liberatur ab omni obligatione, vel juramento fidelitatis, ſervitutis, vel ſubjectionis quicumque Catholicus, ſi is, cui ſe obligavit, incidat in manifeſtam hæreſim, & tamquàm hæreticus ſit ab Eccleſia declaratus. De hac materia agit S. Th. 2. 2. qu. 11. per quatuor articulos, & præcipuè art. 3. in corpore, ubi ait: *Dicendum, quòd circa Hæreticos duo ſunt conſideranda. Unum quidem ex parte ipſorum, aliud verò ex parte Eccleſiæ, ex parte quidem ipſorum eſt peccatum, per quod meruerunt non ſolùm ab Eccleſia per excommunicationem ſeparari, ſed etiam per mortem à mundo excludi &c. ex parte autem Eccleſiæ eſt miſericordia ad errantium converſionem, & ideò non ſtatim condemnat &c.* & art. 4. in corpore ait: *Eccleſia primò quidem revertentes ab hæreſi non ſolùm recipit ad pœnitentiam, ſed etiam conſeruat eos in vita, & interdùm reſtituit eos diſpenſativè ad Ecleſiaſticas dignitates, quas prius habebant, ſi videantur verè converſi, & hoc pro bono pacis frequenter legitur eſſe factum; ſed quando recepti iterùm relabuntur, videtur eſſe ſignum inconſtantiæ eorum circa fidem; & ideo ulterius redeuntes recipiuntur quidem ad pœnitentiam, non tamen, ut liberentur à ſententia mortis.* Videatur per totam quæſtionem, ex qua elucidantur, quæ in hoc titulo.

TITULUS VIII.

De Schiſmaticis, & Ordinatis ab eis in duo capita diſtinctus.

POſtquàm de Hæreticis dictum eſt, ſequitur agendum de Schiſmaticis, qui & ipſi hæretici ſunt, in quantùm ſeparant ſe ab unitate Eccleſiæ Catholicæ, negantes Primatum Eccleſiæ Romanæ, illique renuentes obedire; undè meritò condemnantur.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 24. q. 1. in multis capitulis, & q. 3. in §. *Quia verò*. De conſecratione diſt. 2. & multis aliis in locis. In 6. lib. 5. Titulo 3. & in Extravag. lib. 5.

In 1. cap. quod incipit. *Quod à Prædeceſſore noſtro*, ex Concilio Lateranenſi, ſtatuitur, Ordinationes, & Beneficiorum collationes à Schiſmaticis conceſſas irritas eſſe, & omninò invalidas. Schiſmatici autem ſunt à dignitate, & Ordine ſuſpenſi utpotè excommunicati.

In 2. cap. quod incipit. *Fraternitati*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd qui eſt ordinatus à Schiſmatico, vel ab eo eſt promotus ad Beneficium, omninò eſt ab officio repellendus, niſi clarè probet cùm eo diſpenſatum fuiſſe ab habente facultatem in tali causâ diſpenſandi, ſcilicet à Papa, qui ſolus poteſt diſpenſare cùm Schiſmatico, vel à Schiſmatico, ordinato. Videatur D. Thom. 2. 2. q. 39. art. 3. in corpore ubi ait: *Dicendum quòd duplex eſt ſpiritualis poteſtas. Una quidem Sacramentalis, alia juriſdictionalis. Sacramentalis quidem poteſtas eſt, quæ per aliquam conſecrationem confertur &c. & ideo talis poteſtas ſecundùm ſuam eſſentiam rema-*

remanet in homine, qui per conſecrationem eam eſt adeptus, quamdiu vivit, ſive in Schiſma, ſive in hæreſim labatur &c. poteſtas autem Juriſdictionalis eſt, quæ ex ſimplici injunctione hominis confertur, & talis poteſtas non immobiliter adhæret; unde in Schiſmaticis, & Hæreticis non manet; unde non poſſunt nec abſolvere, nec excommunicare, nec indulgentias facere, aut aliquid hujuſmodi &c. & in art.4. in corpore: *Dicendum, quòd per quæ peccat quis, per ea debet puniri, ut dicitur Sapientiæ* 11. *Schiſmaticus autem in duobus peccat, in uno quidem, quia ſeparat ſe à communione membrorum Eccleſiæ, & quantùm ad hoc conveniens pœna Schiſmaticorum eſt, ut excommunicentur; in alio vero, quia ſubdi recuſant capiti Eccleſiæ, & ideo quia coerceri nolunt per ſpiritualem poteſtatem Eccleſiæ, juſtum eſt, ut poteſtate temporali coerceantur*. Idem repetit in Suppl. 3. p. q.59. art.6. ex quibus elucidantur quæ in hoc titulo.

TITULUS IX.

De Apoſtatis, & Reiterantibus Baptiſma, in ſex capita diſtinctus.

Cum Hæretici, & Schiſmatici ſint Apoſtatæ à Fide: ideo poſtquàm de eis actum eſt, ſequitur agendum de Apoſtatis; & quia reiterare Baptiſmum, videtur quædam Apoſtaſia à primo Baptiſmo, ideo ſubditur de iterantibus Baptiſma.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa *6*. q. 1. in multis cap. & Cauſa 11. q. 3. cap. *Julianus*, & diſt. 50. cap. ultimo, & alibi.

In 1. cap. quod incipit. *Præterea*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd Clericus, qui dimiſſo habitu, & tantùm ſæculaitèr vivit, deprehenſus fuerit in crimine, non gaudet Privilegio Canonis: non enim Eccleſia debet defendere Clericos à ſtatu Clericali apoſtatantes.

In 2.cap. quod incipit. *Ex literarum* ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Accolithus ſcienter deſerviet Sacerdoti rebaptizanti aliquem; ſi hoc ſit publicum, talis Accolithus non eſt ad majores Ordines promovendus, niſi fortè peractâ publicâ pænitentia tranſeat ad ſtatum Religionis: ſi autèm hoc ſit occultum, peractâ pænitentiâ, poterit diſpenſari, ut ad majores Ordines aſcendat.

In 3. cap. quod incipit. *Tuæ Fraternitati*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd ſi quis fuerit infamatus de Apoſtaſia, tenebitur ſe purgare ad arbitrium Epiſcopi Diæceſani: quòd ſi non fecerit, erit omninò compellendus.

In 4. cap. quod incipit. *Quidam*, ex eodem in Concilio Generali ſtatuitur, quòd Infideles, qui ad Fidem accedunt, & Baptiſmum recipiunt, proprios ſectæ, ſeu Religionis ritus dimittere ſunt compellendi: nàm nemo duabus viis incedere poteſt.

In 5. cap. quod incipit. *A nobis*, ex Honorio III. ſtatuitur, Apoſtatas eſſe incarcerandos, & Cenſuris, aliiſque modis compellendos, ut redeant ad bonam frugem. Apoſtatæ ſunt in triplici genere, nempè Apoſtatæ à Fide, Apoſtatæ à ſtatu Clericali, & Apoſtatæ à ſtatu Religionis.

In 6. cap. quod incipit. *Conſultationi*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Monachus Ordinatus in Apoſtaſia, ſcilicet cùm dimiſſo habitu erat profugus à ſtatu ſuæ Religionis, non poteſt in Ordine ſuſcepto miniſtrare abſquè Papæ diſpenſatione: eſt enim ipſo jure ſuſpenſus, & excommunicatus. Videatur D. Th. in Suppl. 3. par. q.12. ubi per duos articulos de Apoſtaſia pertractat, & præcipuè in art.1. in corpore, ubi ait: *contingit ergo aliquem apoſtatare à Deo, retrocedendo à Religione, quam profeſſus eſt, vel ab ordine, quem ſuſcepit, & hæc dicitur Apoſtaſia Religionis, ſeu Ordinis; contingit etiam aliquem apoſtatare à Deo per mentem repugnantem Divinis mandatis &c.* Videatur per totum articulum ſequentem. Ulterius 3.p.q.*66*. ar.*9*. agit de rebaptizandis, ex cujus doctrina elucidantur, quæ in hoc titulo continentur, præcipuè cap. *ex literarum*. Legatur in ſolutione ad 5. ubi ait: *quòd utrumque Sacramentum, ſcilicet Baptiſmi, & Eucharistiæ eſt repræſentativum Dominicæ mortis, & Paſſionis, aliter tamen, & aliter*. *Nàm*

in

in baptiſmo commemoratur mors Chriſti, inquantùm homo Chriſto commoritur, & in novam vitam regeneratur: in Sacramento Eucbariſtiæ commemoratur mors Chriſti, inquantùm ipſe Chriſtus Paſſus exhibetur nobis quaſi Paſchale convivium, ſecundum illud 1.*Corint*.5.*Paſcha noſtrum immolatatus eſt Chriſtus &c. quia autem homo, ſemel naſcitur, multoties autem cibatur, ſemel tantùm datur Baptiſma, multoties autem Euchariſtia. Ex quo patet ratio, cur non ſit reiterandus Baptiſmus.*

TITULUS X.

De his, qui Filios occiderunt, in tria capita diſtinctus.

IN Superioribus Titulis viſum eſt de his, qui immediatè peccant in Deum, non credendo Articulos Fidei, vel in Eccleſia diſcedendo ab ejus unitate: nunc tractandum eſt de his, qui peccant immediatè in homines, ſpecialiter per homicidium; & quia inter homicidia atrocius eſt homicidium propriorum Filiorum, ideo ponitur præſens Titulus.

In 1. cap. quod incipit. *Veniens*, ex Alexandro III. ſtatuitur quòd Mulier occidens Filium in utero, vel quomodocumque id faciat, debet perpetuò in Monaſterio detrudi ad agendam pœnitentiam: Quòd ſi de ejus continentiâ timeatur, peractâ congruâ pænitentiâ, poteſt diſpenſari, ut nubere poſſit.

In 2. cap. quod incipit. *Intelleximus*, ex Lucio III. ſtatuitur, quòd Mulier occidens Filium, non debet propter hoc à ſuo Viro ſeparari, ſed aliâ gravi, & diuturna pænitentiâ puniri; & hoc propter periculum incontinentiæ utriuſque.

In 3. cap. quod incipit. *De infantibus*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi infans in lecto poſitus inter Patrem, & Matrem, reperiatur ſuffocatus, & neſciatur à quo eorum ſit oppreſſus, debent tàm Pater, quàm Mater ſubiici pænitentiæ trium annorum, quorum unus ſit in pane, & aqua. Sed ut hujus delicti enormitas oſtendatur, audiatur D. Th. in 4. Sent. diſt. 31. ex Magiſtr. Sent. in textu, ubi ſic habet §. *De his, qui procurant Venena Sterilitatis. Qui verò Venena ſterilitatis procurant, non conjuges, ſed fornicarii ſunt; Unde Auguſtinus. Aliquando hucuſque pervenit hæc libidinoſa crudelitas, vel libido crudelis, ut etiàm Venena ſterilitatis procuret, & ſi nihil valuerint, conceptos fœtus inter viſcera aliquo modo extinguat, vel fundat, volendo prolem ſuam prius interire, quàm vivere, aut ſi in utero vivebat, occidi, antequàm naſci. Prorſus ſi ambo tales ſint, conjuges non ſunt, & ſi ab initio tales fuerunt, non ſibi per connubium, ſed per ſtuprum potius convenerunt. Si verò tales ambo non ſunt, audeo dicere, aut illa quodam modo eſt mariti meretrix, aut ille adulter Uxoris.* Legatur per totum textum diſtinctionis.

TITULUS XI.

De Infantibus, & languidis expoſitis, unico cap. compræhenſus.

QUia exponentes proprios Infantes, & languidos, eos, quaſi occidunt: ideo poſtquam actum eſt de his, qui occidunt proprios Filios, eſt agendum de his, qui eos exponunt.

Agitur de hac materia in Decreto diſt. 87. cap. ultimo.

In hoc ergo cap. quod incipit. *Si à Patre*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd Pater eo ipſo, quòd exponit proprium Filium, amittit patriam poteſtatem in eum; ſicut etiam Dominus exponens Servum, vel Libertum: Cùm enim Pater, vel Dominus nolint incommodum ſentire de Filiis, & Servis, congruum eſt, nè ſentiant commodum. Hi verò, qui tales expoſitos recipiunt, nullum Jus patriæ poteſtatis, aut dominii in eos acquirunt, cum hoc ex Charitate fiat.

TITU-

TITULUS XII.

De Homicidio Voluntario, vel Caſuali in cap. 25. diſtinctus.

POſtquàm dictum eſt de homicidio particulari, ſcilicet Filiorum Infantium, & de eorum expoſitione: nunc ſequitur agendum de homicidio in communi, & abſolutè; & quia homicidium aliud eſt voluntarium, ſcilicet ex propoſito commiſſum; aliud Caſuale, ſcilicet, cùm ſuccedit caſu, & præter intentionem: ideò de utroque procedit præſens Titulus.

Agitur dè hac materia in Decreto diſt. 50. §. *Quod verò* uſque ad §. *Sed exemplo*. Cauſa 23. qu. 5. & qu. ultima cap. *Si quis*, & de Pænitentia diſt. 1. cap. *Periculoſè* uſque ad cap. *Si propterea*. In 6. lib. 5. Titulo 4. & in Clement. lib. 5. Titulo 4.

In 1. cap. quod incipit. *Si quis*, ex libro Exodi, ſtatuitur, quòd qui per inſidias, ſcilicet proditoriè hominem occiderit, non debet gaudere immunitate Eccleſiaſticâ: nequit enim Eccleſia patrocinium præſtare proditoribus.

In 2. cap. quod incipit. *Interfeciſti*, ex Pænitentiali Romano, ſtatuitur, quòd aggreſſus à latrone, ſeu fure, ſi aliter defendere poteſt ſe, & ſua, abſque eo quòd ipſum occidat in actuali aggreſſione, reus erit homicidii, ſi ipſum interficiet, & pænitere debebit 40. diebus in pane, & aquâ; & ſi Clericus fuerit, evadit Irregularis, & ſuſpenſus ab executione ſui Ordinis: ſi autem aliter defendere non poteſt ſe, & ſua, niſi aggreſſorem, ſeu furem occidendo, non tenetur pœnitentiam agere, nec evaſit Irregularis. Poteſt tamen petere diſpenſationem ad cautelam pro majori ſecuritate.

In 3. cap. quod incipit. *Si perfodiens* ex Auguſtino dicitur, quòd ſi quis occidat nocturnum furem in ipſo actu aggreſſionis, non imputatur ei homicidium, quia præſumitur non veniſſe præcisè ad furandum, ſed etiam ad occidendum: Si autèm occidat diurnum furem, eſt reus homicidii, quia præſumitur veniſſe præcisè ad furandum. Prò defendenda autem re temporali non eſt licitum hominem occidere.

In 4. cap. quod incipit. *Cùm juramento*, ex Hjeronymo dicitur, quòd Juramentum, ſeu promiſſio quæcumque etiam jurata de homicidio patrando, non tenet: nam Juramentum non eſt vinculum iniquitatis, nec obligat ad illicita. Sic D. Th. 2. 2. q. 85. art. 7. in corpore ubi ait: *Dicendum eſt, quòd quicumque jurat, aliquid ſe facturum, obligatur ad id faciendum, ad hoc quòd veritas impleatur, ſi tamen alii duo comites adſint, ſcilicet Judicium, & juſtitia; nomine autem Juſtitiæ intelligitur res juſta, & licita, non verò illicita.*

In cap. quod incipit. *Si aliquis*, ex Concilio Guarmacienſi ſtatuitur, eum, qui dat venenum ſterilitatis Mulieri ad effectum, ut non concipiat, aut ut faciat abortum, tamquam homicidam eſſe puniendum, ſaltem occaſionaliter, & in cauſâ ſi impediatur generatio, vel ſequatur abortus inanimatus; propriè autem, & in re ſi fætus ſit animatus; undè in hoc caſu erit Irregularis: ſecus autem ſi fætus ſit inanimatus, Animatio autem fætus pro maſculo ſit poſt quadraginta dies, pro Fæmina octoginta. Sic D. Th. in 4. diſt. 31. in textu Magiſtri Sent. §. *Quandò ſunt homicidæ, qui procurant abortum* his verbis. *Tunc Puerperiùm ad homicidium pertinet, quando formatum eſt, & animam habet, ut Auguſtinus ſuper Exod. aſſerit; informe autem puerperium, ubi non eſt anima viva, lex ad homicidium pertinere noluit &c.* & in fine ex Hyeronimo ſubdit: *ſemina paulatim formantur in utero, & tamdiu non reputatur homicidium, donec elementa confecta ſuas imagines membraque ſuſcipiant. His apparet tunc eos homicidas eſſe, qui abortum prócurant, cum formatum eſt, & animatum puerperium.*

In 6. cap. quod incipit. *Sicut*, ex Alexandro III. ſtatuitur. 1. Quod Judex, etiam Eccleſiaſticus in pœnitentia imponenda attendere debet circumſtantias, tàm perſonæ, quàm delicti, ex quibus circumſtantiis augetur, vel minuitur gravitas delicti. 2. Statuitur, quòd ille, qui

 aſſo-

aſſociat homicidam, animoſiorem ipſum reddens ad perpetrandum homicidium, reus eſt homicidii, & quaſi pari pæna puniendus. 3. Statuitur, quòd qui aſſociat homicidam præcisè, ut homicida non impediatur ab homicidio, paulò minori pæna eſt puniendus. 4. ſtatuitur, incitantem aliquem ad homicidium determinatum, conſilio, aut mandato, eſſe reum homicidii, & pæna puniendum. 5. ſtatuitur, quòd occupans bona occiſi, non per hoc tenetur de homicidio: Tenetur tamen ea bona reddere, quibus de Jure ſpectant; nec ſufficit, ut ea eroget Pauperibus, ſi conſtet de Hæredibus. 6. Statuitur, quòd qui communicarent cum homicida excommunicato propter publicam Sacerdotis occiſionem aliter puniretur, quàm ipſe Præsbytericida; hic enim eſt excummunicatus majori excommunicatione, illi autem incurrerunt minorem excommunicationem, ſi tamen per annum in tali Cenſura non inſorduerunt. 7. Statuitur, Clericos, qui dant conſilium, favorem, auxilium homicidæ, ſecuto homicidio; graviſſimè eſſe puniendos, & tamquam Irregulares eſſe ſuſpenſos, & inhabiles ad exercitium Ordinum, & ad pænitentiam agendam eſſe per ſeptennium, aut ſaltem per quinquennium in Monaſteriis detrudendos.

In 7. cap. quod incipit. *Præsbyterum*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Præsbyter, qui cauſa diſciplinæ Puerum percutit in capite, ex qua percuſſione Puer poſt paucos dies mortuus eſt, eſt reus homicidii; quia licet daret operam rei licitæ, exceſſit tamen in modo, nec omnem adhibuit diligentiam, quam debebat adhibere: undè eſt reus homicidii in cauſa; ſicque ſuſpenſus eſt à Miniſterio Altaris, & Irregularis evadit. Sic D. Tho. 2. 2. qu. 64. art. 8. in corpore ubi ait: *Secundùm jura ſi aliquis det operam rei licitæ, debitam diligentiam adhibens, & ex hoc homicidium ſequatur, non incurrit homicidii reatum. Si vero det operam rei illicitæ, vel etiam det operam rei licitæ, non adhibens diligentiam debitam, non evadit homicidii reatum, ſi ex ejus opera mors hominis conſequatur* hæc D. Thom. videatur per totum Articulum.

In 8. cap., quod incipit. *Continebatur*, ex eodem, ſtatuitur, quòd homicidium caſuale imputatur ei, qui dedit operam rei illicitæ, vel etiam rei licitæ, ſi debitam non adhibuit diligentiam ad cavendum periculum homicidii: undè Clericus ludens cum laico, ſi ex tali ludo ſequatur caſuale homicidium, dicitur reus homicidii, quia licitum non eſt Clerico cum laico ludere; vel ſi rei licitæ, ſed periculoſæ dedit operam, & non adhibuit ſufficientem diligentiam ad cavendum periculum; Cauſa enim cauſæ eſt cauſa cauſati.

In 9. cap., quod incipit. *Lator*, ex eodem ſtatuitur, quòd homicidium caſuale, nullâ culpâ præcedente, non imputandum eſt ei, qui aliàs dedit operam rei licitæ, & omnem diligentiam adhibuit, ne ſequeretur: quia ubi culpa non adeſt, non debet eſſe pæna.

In 10. cap., quod incipit. *Suſcepimus*, ex eodem ſtatuitur, quòd ille eſt reus homicidii, ac proinde Irregularis, qui dando operam rei illicitæ cauſat homicidium, licèt involuntariè, & præter intentionem; eſt enim voluntarium in cauſa.

In 11. cap., quod incipit. *De cætero*, ex eodem ſtatuitur, quòd qui conſilio, præcepto, aut quolibet alio modo dedit cauſam homicidio, eſt reus homicidii: qui enim cauſam damni dat, damnum ipſum feciſſe videtur; eſt enim cauſa moralis, licet non phyſica.

In 12. cap, quod incipit. *Ad audientiam*, ex Clemente III., ſtatuitur, quòd homicidium caſuale non ſolùm imputatur ei, qui dedit operam rei illicitæ, ſed etiam ei, qui dedit operam rei licitæ, ſi in tali opere non adhibuit omnẽ diligentiam, quam debebat, & poterat, ex qua negligentia culpabili ſecutum eſt homicidium, licèt caſuale.

In 13. cap., quod incipit. *Dilectus Filius*, ex Innocentio III., ſtatuitur idem, quod dictum eſt cap. 9., ſcilicet homicidium caſuale non eſſe imputandum ei, qui dat operam rei licitæ, & omnem adhibet diligentiam, ne ſequatur:

hic

hic enim nullo modo eſt culpabilis, nec Irregularis.

In 14. cap., quod incipit. *Ex literis,* ex eodem ſtatuitur id, quod dictum eſt in cap. præcedenti. Additur tamen, quòd licet quis det operam rei licitæ, & adhibeat diligentiam, quam debeat, poſteà ſi ſequitur homicidium caſuale, & tale homicidium ex publica fama imputetur ejus negligentiæ, prædictus ex tali publica fama fit irregularis, & tenetur à tali infamia ſe purgare, antequàm exerceat Ordines.

In 15. cap., quod incipit. *Ex literis tua Fraternitatis*, ex eodem ſtatuitur idem, quod dictum eſt, ſcilicet quòd non eſt Irregularis ille, qui dando operam rei licitæ, utili, aut neceſſariæ, & adhibendo omnem diligentiam, proiiciendo verbi gratia lignum, caſu ſuccedit homicidium Pueri indè tranſeuntis, qui tranſitus non potuit prævideri: nam qui caret omni culpa, debet carere omni pæna.

In 16. cap., quod incipit. *Significaſti*, ex eodem, ſtatuitur idem, quod dictum eſt, ſcilicet non eſſe Irregularem Clericum, qui cum equitaret, Equus, qui ignorante Clerico, erat ſatis indomitus, non obediens fræno, præcipitanter currendo quamdam Mulierem interfecit: ſed ſi Clericus ſciviſſet defectum Equi, ei imputaretur tale homicidium, quià potuiſſet prævidere periculum; quia autem in caſu nuper poſito eſt immunis àb omni culpa, etiam caret omni Irregularitate.

In cap. 17., quod incipit. *Petrus,* ex eodem, ſtatuitur, quòd non eſt Irregularis ille, qui prohibet ſuis conſanguineis inimicum occidere; nec ullam dedit cauſam occiſionis, ſi à conſanguineis talis inimicus fuerit occiſus: talis enim occiſio eſt omninò prætèr illius intentionem, nec ab eo rata habetur.

In 18. cap., quod incipit. *Significaſti*, ex eodem, ſtatuitur, 1. quòd eſt Irregularis, qui alium læthaliter percutit, licet poſtea ſic percuſſus ab aliis fuerit extinctus; quod etiam dicitur in caſu, quo diſcerni non poſſit, àn primum vulnus fuerit læthale, vèl non: in dubiis enim tutior pars eſt eligenda; ſecus autem ſi conſtet primum vulnus fuiſſe leve, nec vulnerantem habuiſſe animum occidendi; in tali enim caſu non eſt ei imputandum homicidium, ſi aliàs mandato, conſilio, aut auxilio ejuſdem non ſit ſecutum tale Homicidium. 2. ſtatuitur, quòd ille, qui defendendo ſe, vel ſua Bona àb aggreſſore, vel fure, ipſum occidit, non quidèm animo vindictæ, ſed animo propulſandæ injuriæ, ipſum in actuali aggreſſione occidit cùm moderamine inculpatæ tutelæ, vim vi repellendo, non eſt irregularis. Hoc enim jure naturæ licitum eſt.

In 19. cap, quod incipit. *Tua nos*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Clericus, vel Monachus, quamvis peritus in arte, chirurgiam exercens, licèt cauſâ pietatis, ſi ex tali curatione mors ſequatur, efficitur Irregularis, quia dat operam rei ſibi illicitæ. Similitèr ſtatuitur, quòd Clericus, vel monachus Judici interroganti dans ſigna furis, a quo ipſe fuit vulneratus; licèt indè ſequatur mors Rei, non evadit Irregularis; quia reſpondendo judici, ſolum intendit rei veritatem aperire, & ad hoc tenetur: unde non eſt culpabilis.

In 20 cap., quod incipit. *Sicut*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui dat cauſam, ut ſequatur abortus, eſt Reus homicidii, ſi abortus ſit animatus; ſecùs ſi adhuc animatus non ſit: nàm homicidium eſt interfectio hominis animati animâ rationali. Sic D. Thom. in 4. Sent. diſt. 31. in textu Mag. Sent. nuper in hoc titulo citatus.

In 21. cap., quod incipit. *Poſtulaſti*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Clericus civilitèr recurrat ad Judicem contrà aggreſſorem; & indè ſequatur mors aggreſſoris, non per hoc Clericus evadit Irregularis, quia interrogatus à Judice competente, tenetur veritatem aperire, non intendens tamen mortem aggreſſoris.

In 22. cap., quod incipit. *Exhibita*, ex Honorio III., ſtatuitur, quòd homicidium caſuale non debet imputari ei, qui non occidit, nec fuit in culpa dando operam rei illicitæ, & periculoſæ, adhibitâ debitâ diligentiâ.

In 23. cap., quod incipit. *Joannes*, ex eodem, ſtatuitur idem, quod ſupra dictum

ctum eſt in cap. *Dilectus*, ſcilicèt Sacerdotem pulſantem Campanam ad convocandum Populum ad Divina, non eſſe irregularem, ſi caſu cadens Tintinnabulum occidit Puerum; hic enim dabat operam rei licitæ, & nullatenus fuit in culpa homicidii.

In 24. cap., quod incipit. *Petitio*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Clericus pugnans in bello contra Saracenos, ſi aliquem illorum interficit, aut dubitat interfeciſſe, eſt Irregularis; prohibitum eſt enim Clerico arma tractare; licèt enim Clericus in bello contra Saracenos poſſit hortari laicos ad pugnam, ipſe tamen debet à pugna abſtinere. In dubio autem homicidii ſe debet gerere tamquàm Irregularis.

In 25. cap., quod incipit. *Quidam*, ex Gregorio IX., ſtatuitur idem, quod ſupra dictum eſt in cap. *Dilectus*, & in cap. *Ioannes*, ſcilicet non eſſe Irregularem Clericum, qui dabat operam rei licitæ, & omnem adhibuit diligentiam, quam debebat, & poterat, ſi caſu poſtea ſecutum eſt homicidium: nam omnes caſus fortuitos prævideri, & impediri impoſſibile eſt. Videatur D. Thom. 2. 2. qu. 64. ubi per octo articulos fusè hanc materiam de homicidio pertractat, & præcipue Art 7. ad 3. ait: *Dicendum quòd Irregularitas conſequitur actum homicidii, etiam ſi ſit abſque peccato, ut patet in Iudice, qui juſtè aliquem condemnat ad mortem, et propter hoc Clericus, etiam defendendo interficiat aliquem, irregularis eſt, quamvis non intendat interficere, ſed ſe ipſum defendere.*

TITULUS XIII.

De Torneamentis in duo Capita diſtinctus.

POſtquàm actum eſt de homicidio in genere, & in ſpecie: nunc eſt agendum in ſequentibus Titulis de quibuſdam actibus, per quos frequenter homicidium incurritur, ut eſt pugnare in Torneamentis, & in Duello &c. In præſenti ergo agitur de Torneamentis, quæ vulgò dicuntur *Gioſtre*, ſeu certamina ſingularia non animo offendendi, ſed animo experiendi, ſeu oſtendendi vires.

Agitur de hac materia, ſicut etiam de Clericis in duello pugnantibus, & de Sagittariis in Decreto Cauſâ 2. quæſt. 5. §. *Sed quilibet*, uſque ad finem quęſtionis, & ſupra in hoc libro tit. de homicidio.

In 1. cap., quod incipit. *Fęlicis memorię*, ex Concilio Lateranenſi ſtatuitur, Torneamenta fieri non debere: ſunt enim valdè periculoſa, unde mortes hominum, & animarum pericula ſæpè ex his ſuperveniunt. Prohibetur igitur à Concilio, & imponitur pœna, ſcilicet quòd vulnerato in ipſis conceditur pænitentia; ſed ſi moriatur ſine pænitentia, eſt deneganda ei Eccleſiaſtica ſepultura.

In 2. cap., quod incipit. *Ad audientiam*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd qui in torneamentis aggreditur ſuum debitorem, non animo pugnandi, ſed cogendi ipſum ad debita ſolvenda, ſi in tali aggreſſione moriatur, non eſt Eccleſiaſticâ Sepulturâ privandus, quia non fuit animus certandi, ſed exigendi, quod ſibi juſtè debebatur. Legatur S. Thom. 2. 2. quæſt. 40. de Bello, art. 1. ad 4., ubi ait: *Dicendum quod exercitia hominum ad res bellicas ſpectantia, non ſunt univerſa liter prohibita, ſed inordinata exercitia, & periculoſa; ex quibus occiſiones, & deprædationes proveniunt &c.*

TITULUS XIV.

De Clericis pugnantibus in Duello, in 2. Cap. diſtinctus.

VIſum eſt ſupra de Torneamentis, ubi plures pugnant, præcisè ad oſtentationem virium ſuarum: nunc ſequitur agendum de Duello, ubi duo tantùm pugnant, & hoc animo mutuò ſe offendendi: & hoc propriè dicitur ſingulare certamen.

In 1. cap., quod incipit. *Porrò*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd Clericus ſive obtulerit, ſive acceptaverit duellum, eſt omnino deponendus. Poterit tamen, peractâ pænitentiâ, Epiſcopus cum eo diſpenſare, ſi tamen mors, vel membri muti-

mutilatio non ſit inde ſecuta: tunc enim cum eſſet irregularis, non poteſt diſpenſari, niſi à Papa.

In 2. cap., quod incipit. *Henricus*, ex Clemente III. ſtatuitur, quòd Clericus evadit irregularis, non ſolùm ſi ipſe per ſe interficiat Adverſarium in duello, ſed etiam ſi eum interficiat per alium, ſcilicet per Pugilem ab eo electum, ut pugnet cum Adverſario, nec excuſat conſuetudo in contrarium. Poterit tamen diſpenſari in retentione Beneficii, non autem in adminiſtratione Ordinum. Videatur D. Thom. 2. 2. quæſt. 40. art. 2., ubi in Corpore ſic ait: *Non competit Clericis occidere, vel effundere ſanguinem, ſed magis eſſe paratos ad propriam ſanguinis effuſionem pro Chriſto, ut imitentur opere, quod gerunt miniſterio. Et propter hoc eſt inſtitutum, ut effundentes ſanguinem etiam ſine peccato ſint irregulares.* Legatur per totum articulum, & quæſt. 95. art. 8. ad 3.

TITULUS XV.

De Sagittariis, unico Capite compræhenſus.

Dictum eſt de Torneamentis, & Duellis, quæ certamina prohibita ſunt, præſertim Clericis utpotè maximè periculoſa: nunc agitur de Sagittariis, ſcilicet de his, qui ſagittis pugnant, & Baliſtris; hæc enim pugna utpotè periculoſa illicita eſt, & Clericis prohibita.

In hoc ergo cap., quod incipit. *Artem*, ex Innocentio III. ſtatuitur, artem illam mortiferam, & odibilem Baliſtrariorum, & Sagittariorum adverſus Chriſtianos, & Catholicos exerceri, ſub anathemate eſſe prohibitam, & de facto ab eodem ſub tali cenſura prohiberi. Legatur S.Thom. 2.2. quæſt.40. art.1. ad 4. ex cujus doctrina elucidantur, quæ in hoc titulo.

TITULUS XVI.

De Adulteriis, & Stupro in 7. cap. diſtinctus.

Poſtquàm in ſuperioribus Titulis actum eſt de homicidio, & diverſis modis, ſeu artibus, ex quibus frequenter ſequitur homicidium, vel voluntarium vel cauſale: nunc ſequitur agendum de Adulteriis, & Stupro; tum quia etiam poſt præceptum, *Non occides*, ſequitur præceptum, *Non mæchaberis*: & licèt nomine mæchiæ compræhendatur omne genus illiciti coitus, ſpecialem tamen deformitatem in hoc genere habent Adulterium, & Stuprum.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 32. quæſt. 4. cap. *Meretrices*, & Cauſa 36. quæſt.1.cap.2., & §. *Cum ergò*.

In 1. cap., quod incipit. *Si ſeduxerit*, ex Exodo cap. 22. ſtatuitur, ſtuprantem Virginem teneri eam dotare, & ducere in Uxorem: ſi autem Pater Puellæ illam ei dare noluerit in Uxorem, ſtuprator nihilominus tenebitur eam dotare ſecundum conditionem Puellæ.

In 2. cap. quod incipit. *Pervenit*, ex Gregorio, ſtatuitur, quòd ſtuprans Virginem per vim; licet ſecundùm leges Civiles capite ſit plectendus, tamen ſecundùm jus Canonicum, cum eo mitiùs agendo, compellendus eſt, ut eam accipiat in uxorem; quam ſi recuſaverit, corporaliter ad arbitrium Judicis caſtigatus, & communione privatus, eſt detrudendus in Monaſterio, ad agendam pænitentiam, nec indè ſine licentia liberandus.

In 3. cap. quod incipit. *Si vir*, ex Concilio Arelatenſi, ſtatuitur, virum ſcientem, uxorem ſuam fuiſſe adulteratam, & tamen cum ea, antè peractam pænitentiam convenientem, eſſe participem talis criminis: ſecus ſi neſciens, aut ſi eam receperit poſt actam pænitentiam. Tamen ſi talis uxor iterum, & ſæpius adulterium commiſerit; non debet de facili eidem reconciliari: ſeverius enim agitur cum relapſis, quàm cum his, qui ſemel ex fragilitate delinquunt.

In

In 4. cap. quod incipit. *Maritis*, ex Concilio Pariſienſi, ſtatuitur, maritos ex ſola ſuſpicione violentâ quidem, non tamen temerariâ, poſſe accuſare uxores de Adulterio apud Judicem, & eis, plus cæteris deferendum eſt in tali materia, tàm in accuſando, quàm in defendendo uxorem in tali crimine, plus enim illi, quàm alii exiſtimantur hoc ſcire.

In 5. cap., quod incipit. *Significaſti*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd ad ſolam mulieris confeſſionem aſſerentis, ſe commiſiſſe adulterium in Eccleſia cum Sacerdote, credendum eſt; unde iſti imponitur pænitentia, & Eccleſia eſt reconcilianda per aſperſionem aquæ benedictæ. Si autem Sacerdos ille à tali muliere nominatus, tale crimen neget perpetraſſe, tamquàm infamatus tenetur ſe purgare: quòd ſi non fecerit, aut in purgatione defecerit, tamquàm convictus per ſuſpenſionem, & depoſitionem graviter eſt puniendus.

In 6. cap., quod incipit. *Intelleximus*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd Conjux non poteſt alterumConjugem impetere de adulterio, ſi & ipſe adulterium commiſiſſe convincatur: nam in criminibus admittitur compenſantio, ſi delicta ſint paria.

In 7. cap., quod incipit. *Tua*, ex eodem ſtatuitur, quòd Conjuges non ſunt ſeparandi quoad Thorum ratione adulterii, ſi ambo fuerunt adulterati: nam paria delicta mutuâ compenſatione delentur, ut ſupra dictum eſt. Videatur D.Th. 2.2. quæſt. 154. art. 6. de Stupro, & art. 8. de Adulterio, & in ſupplemento 3. part. quæſt. 61. de Libello Repudii per tot. quæſt.; in art. enim 6. de ſtupro ſic concludit ex illo Eccleſ. 42., *Super filiam luxurioſam confirma cuſtodiam, nequando faciat te in opprobrium venire inimicis, & ideò manifeſtum eſt, quòd ſtuprum, quod importat illicitam Virginum defloratione m ſub cura parentum exiſtentium, eſt determinata Luxuriæ ſpecies*. Et de adulterio, art. 8. in Corpore ait: *Dicendum, quòd ſicut ipſum nomen ſonat, adulterium eſt acceſſus ad alienum thorum, in quo quidem dupliciter contra caſtitatem, & humanæ generationis bonum aliquis delinquit. 1. quidem in quantum accedit ad mulierem non ſibi matrimonio copulatam, quod requiritur ad bonum prolis propriæ educandæ. Alio modo, quia accedit ad mulierem alteri per matrimonium copulatam, & ſic impedit bonum prolis alienæ. Eadem eſt ratio de muliere coniugata, quæ per adulterium corrumpitur, unde dicitur Eccleſiaſtici 23. omnis mulier relinquens virum ſuum peccabit*.

TITULUS XVII.

De Raptoribus, & Incendiariis, & Violatoribus Eccleſiarum, in 7. Cap. diſtinctus.

CUM ad præceptum Decalogi, *Non mœchaberis*, ſequatur immediatè aliud præceptum, *Non furtum facies*: ideò poſtquàm de adulterio, & ſtupro dictum eſt, ſequitur agendum de furto, ſeù de Raptoribus, Incendiariis, & Violatoribus Eccleſiarum, qui omnes, utpotè injuſtè damnificantes ad damna reſarcienda tenentur.

De hac materia habetur in Decreto Cauſa 14. quæſt. 5., & quæſt. 6., & Cauſa 16. quæſt. 1., & de pœnis diſt. 1. cap. *Vulgaris*. De conſecr. diſt. 5. cap. *Diſcipulos*. De crimine raptus tractatur Cauſa 36. quæſt. 1. per tot. Cauſa 26. quæſt. 2. §. *Sed concedatur*, uſque ad finem quæſtionis.

In 1. cap., quod incipit. *De illis*, ex Concilio Meldenſi ſtatuitur, Raptores, & depopulatores agrorum eſſe excommunicandos à Prælato illius Diœceſis, ubi crimen eſt commiſſum, quæ tamen excommunicatio eſt manifeſtanda proprio eorum Epiſcopo, nè illos recipiat, niſi prius ſatisfecerint Epiſcopo, à quo fuerunt excommunicati, & parti offenſæ.

In 2. cap., quod incipit. *Super eo*, ex Eugenio III. ſtatuitur, quòd manifeſti raptores, vel Eccleſiæ violatores, ſi reſtituant, vel ſatisfecerint, vel ſaltem dè reſtituendo, vel ſatisfaciendo promiſerint, datâ cautione, ad pænitentiam, & ad ſepulturam Eccleſiaſticam admittantur: ſecus

ſecus autem ſi non ſatisfaciant, nec promiſerint ſatiſfacere, cùm poterunt. Tunc enim Clerici eorum ſepulturæ intereſſe non debent; aliàs ab Officio, & Beneficio deponendi ſunt, cum communicent in Sepultura Eccleſiaſtica cum manifeſtè excommunicatis.

In 3. cap., quod incipit. *Excommunicationi*, ex Concilio Lateranenſi ſtatuitur, 1. eſſe excommunicandos omnes, & ſingulos capientes, vel ſpoliantes fideles ex juſta cauſa navigantes. 2. eſſe ipſo facto excommunicatos ſpoliantes eos, qui patiuntur naufragium, niſi Bona naufragantium ablata reſtituant: non enim eſt addenda afflictio afflictis.

In 4. cap. quod incipit. *In Archiepiſcopatu*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd poſſunt Prælati ex Principis Laici delegatione punire Reos de raptu, & de aliis criminibus enormibus, citrà tamen pænam ſanguinis; quæ pæna, ſicut etiam mutilatio membrorum eſt Judici Laico reſervanda, cum Eccleſia pænam ſanguinis non debeat infligere.

In 5. cap. quod incipit. *In literis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Incendiarius Eccleſiæ, ſi in morte verè pæniteat, abſolvendus eſt, & Sepulturæ Eccleſiaſticæ tradendus; cujus tamen hæredes ſunt compellendi per cenſuras ab Epiſcopo, ut tali Eccleſiæ ſatisfaciant de damno illato, juxta tamen facultates defuncti.

In 6. cap. quod incipit. *Cùm Cauſam* ex Lucio III. ſtatuitur, quòd raptus propriè non dicitur, ubi vir mulierem volentem, & jam deſponſatam de futuro de domo Parentum clam adducit, ad effectum contrahendi de præſenti, & matrimonium conſumandi; quo matrimonio conſumato, non poteſt talis uxor ſeparari ad effectum ingrediendi Monaſterium: ſecus autèm ſi matrimonium non fuiſſet conſumatum.

In 7. cap. quod incipit. *Accedens*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd Raptor poteſt contrahere cùm raptâ, dummodo ipſa ſit reſtituta in loco tuto, & libero, ubi voluntarium præſter conſenſum, quod enim primò diſplicuit, poteſt deindè placere. Videatur D. Thom. in 4. ſentent. diſt. 18. q. 2. art. 5. quæſtiun. 1. in corpore, ubi docet quòd Incendiarius Eccleſiæ, & denunciatus eſt excommunicatus; nec poteſt abſolvi niſi à Papa, his verbis: *Si autem eſt excommunicatio major, aut eſt lata à judice, & ſic ille qui tulit, vel ejus Superior poteſt abſolvere, vel lata à jure, & tunc Epiſcopus, vel etiam Sacerdos poteſt abſolvere, exceptis ſex caſibus, quos ſibi juris conditor reſervat, ſcilicet Papa. Primus eſt, cum aliquis injicit manum in Clericum, vel Religioſum. Secundus eſt de illo, qui incendit Eccleſiam, & denunciatus eſt &c.* Legatur etiam 2. 2. q. 154. art. 7. de Raptu, ubi ſic ait: *Aliter dicendum eſt de raptu Puellarum, quæ ſunt aliis deſponſatæ, & aliter de raptu illarum, quæ non ſunt aliis deſponſatæ; illæ enim quæ ſunt aliis deſponſatæ, reſtituendæ ſunt ſuis ſponſis, qui in eas ex ipſa deſponſatione jus habent; illæ autem quæ non ſunt aliis deſponſatæ primò ſunt reſtituendæ patris poteſtati, & tunc de voluntate parentum licitè poſſunt eas in uxores accipere &c.* Videatur per totum articulum.

TITULUS XVIII.

De Furtis, in quinque cap. diſtinctus.

IAm dictum eſt ſupra poſt præceptum, *non mæchaberis*, ſequi præceptum, *non furtum facies*: ideo poſtquàm de Adulteriis, & Stupro actum eſt, & deindè in ſuperiori Titulo de aliquibus ſpeciebus Furti, ſcilicet Rapina, Incendio, & Violatione Eccleſiarum ſit tractatum; meritò nunc de Furtis in genere eſt ſermo.

De hac materia agitur in Decreto locis ſupra citatis in anteriori Titulo, & in Extravag. lib. 5.

In 1. cap. quod incipit. *Qui furantur*, ex libro Exodi cap. 25. ſtatuitur, quòd qui furatur hominem liberum, & eum vendidit; ſi de tali furto convincatur, morte erit puniendus.

In 2. cap. quod incipit. *Fures*, ex Concilio Triburienſi, ſtatuitur, Fures, aut deprædatores, ſi in furando, vel deprædando occiſi fuerint, non eſſe pro eis orandum, nec in loco Sacro ſepeliendos, quia in mortali peccato mortui ſunt: ſecus ſi vulnerati dederunt ſigna pænitentiæ

coram

coram Sacerdote, vel Diacono; tunc ei Sacramenta Eccleſiæ poterunt adminiſtrari.

In 3. cap. quod incipit. *Si quis*, ex ex Pœnitentiali Theodori, ſtatuitur, quòd qui aliquâ neceſſitate, puta famis, aut nuditatis furatus fuerit Cibaria, vel veſtem, tenetur pœnitere tribus hebdomadibus: quòd ſi neceſſitas ſit extrema, is ſumat quantùm ſufficit pro vitæ ſubſtentatione neceſſaria, & immunis erit ab omni pœna: nam in extrema neceſſitate omnia ſunt communia.

In 4. cap., quod incipit. *Qui cum fure*, ex Hieronymo dicitur, non ſolùm committentem furtum, ſed & mandantem, conſulentem, & participantem in furto, etiam abſcondendo, & defendendo, eſſe reum furti: imò etiam non revelantem, ſi conſcius furti à vero Domino interrogetur; nam quilibet tenetur furem indicare, aliàs videtur furto conſentire. Conſentientes autem, & agentes pari pœna puniuntur.

In 5. cap., quod incipit. *Ex literis*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd fur occultus, ſi rem furatam reſtituat, ſi poteſt; aut alio modo ſatisfecerit parti læſæ, peractâ pænitentiâ, aut parte ejus, poterit ad Ordines promoveri: ſecus ſi ſit notorius, aut manifeſtè convictus; tunc enim eſt irregularis propter infamiam. Videatur D. Th. 2. 2. qu. 66. ubi per 9. articulos fusè hanc materiam pertractat,& præcipuè art. 7. ubi inquirens, utrum liceat alicui furari propter neceſſitatem concludit his vèrbis: *Si tamen adeo ſit evidens, & urgens neceſſitas, ut manifeſtum ſit inſtanti neceſſitati de rebus occurrentibus eſſe ſubveniendum, puta cùm imminet perſonæ periculum, & aliter ſubveniri non poteſt, tunc licitè poteſt aliquis ex rebus alienis ſuæ neceſſitati ſubvenire, ſive manifeſtè, ſive occultè ſublatis, nec hoc propriè habet rationem furti, vel rapinæ.* Et in ſolutione ad ſecundùm explicat Decretalem ex 3. capite hujus Tituli, videlicet quòd intelligitur in caſu, in quo non eſt urgens neceſſitas, ſcilicet, quòd quis pænitere debet per tres hebdomadas, furando propter neceſſitatem, & in ſolutione ad 2. ait, *Dicendum, quòd uti re alienâ occultè acceptâ in caſu extremæ neceſſitatis non habet rationem furti, propriè loquendo, quia per talem neceſſitatem efficitur ſuum id, quod quis accipit ad ſuſtentandam propriam vitam.* Et in ſolut. ad 3. *Dicendum quòd in caſu ſimilis neceſſitatis etiam poteſt quis occultè rem alienam accipere, ut ſubveniat proximo ſic indigenti.* Tandem S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 7. conformando ſe capiti quarto hujus Tituli, ait in corpore: *Dicendum, quòd ad reſtitutionem tenetur aliquis non ſolùm ratione rei alienæ, quam accepit, ſed etiam ratione injurioſæ acceptionis, & ideo quicumque eſt cauſa injuſtæ acceptionis, tenetur ad reſtitutionem. Quod quidem contingit dupliciter, directè ſcilicet, & indirectè, directè quidem, quandò inducit aliquis alium ad accipiendum, & hoc quidem tripliciter. Primo quidem modo ex parte acceptionis, movendo ad ipſam acceptionem, quod quidem ſit præcipiendo, conſulendo, conſentiendo expreſſè, & laudando aliquem quaſi ſtrenuum de hoc, quòd aliena accepit. Alio modo ex parte ipſius accipientis, quia ſcilicet ipſum acceptat, vel qualitercumque ei auxilium fert. Tertio modo ex parte rei acceptæ, quia ſcilicet particeps eſt furti, vel rapinæ, vel quaſi ſocius maleficii; indirectè verò, quando aliquis non impedit cùm poſſit, & debeat impedire, vel quia ſubtrahit ſuum auxilium, quo poſſet obſiſtere, vel quia occultat poſt factum, quæ his verſibus comprahenduntur. Juſſio, Conſilium, conſenſus, palpo, recurſus. Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.* Legatur per totum articulum.

TITULUS XIX.

De Uſuris in 19. capita diſtinctus.

Quia Uſura quædam rapina videtur, & quoddam furtum; nam eſt contra omne jus & divinum, & naturale, & poſitivum, undè obligat ad reſtitutionem: hinc poſtquàm actum eſt de Rapinâ, & Furto, meritò ſubnectitur Titulus de Uſuris.

Agitur de hac materia in Decreto diſt. 47. cap. penultimo, & cap. ultimo, diſt. 88. in Palea *ejiciens*. In 6. lib. 5. Titu-

In 5. cap., quod incipit. *Cum Tù*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Uſurarii, qui aliàs habent in bonis, ſunt ab Epiſcopis compellendi per pœnas Lateranenſis Concilii, ut Uſuras reſtituant, etiam quas ante Concilium receperunt: ſi autèm pecunias non habeant, debent poſſeſſiones emptæ, vel alio modo ipſis debitæ vendi, & ex pretio inde recepto debent his, à quibus fuerunt extortæ uſuræ reſtitui. Non enim dimittitur peccatum, niſi reſtituatur injuſtè ablatum: ſi autem nihil omninò habeat uſurarius, unde poſſit reſtituere, & pœniteat, debet abſolvi cùm promiſſione, ut reſtituat, ſi ei fuerit poſſibile;ad impoſſibile enim non obligat lex.

In 6. cap. quod incipit. *In Civitate*, ex eodem ſtatuitur, quòd mercator vendens rem plus quàm valeat propter dilationem ſolutionis,peccat peccato uſuræ, niſi tamen in tempore aſſignato pro ſolutione poſſit dubitari, an talis merces plus, vel minus eſſet valitura. Tunc enim tàm vendens, quàm emens exponunt ſe periculo lucrandi, vel perdendi, & aliàs venditor prò tempore præſenti tales merces vendere nolit. Hujuſmodi tamen contractus eſt ſatis periculoſus in conſcientia.

In 7. cap., quod incipit. *Præterea*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Uſurarius ab Epiſcopo monitus nou deſiſtat ab uſuris; ſi eſt Clericus ab Officio, & Beneficio eſt ſuſpendendus; ſi autem eſt laicus, eſt excommunicandus.

In 8. cap., quod incipit. *Conquaſtus*, ex eodem, ſtatuitur id quod ſtatutum eſt in 1. Cap. ſcilicet fructus rei pignoratæ debere computari in ſortem. Excipitur tamen in caſu, quo res pignorata ſit Fæudalis Eccleſiæ: tunc enim ſi ſit data in pignus eidem Eccleſiæ, fructificat Eccleſiæ, & Fæudatarius pro eo tempore non tenetur ſervitio Eccleſiæ, & hoc ſtatutum eſt in favorem ejuſdem Eccleſiæ.

In 9. cap., quod incipit. *Tua nos*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Hæres Vſurarij, ſivè ſit Filius, ſive extraneus eſt compellendus ab Epiſcopo loci, ut Vſuras à defuncto extortas reſtituat ex bonis ab Vſurario relictis: res enim tranſit ad Hæredem cum onere.

In 10. cap. quod incipit. *Conſuluit*, ex Urbano III. ſtatuitur, quòd in foro animæ Vſurarii mentales ſunt, tàm illi qui mutuant principaliter eo animo, ut aliquid ſupra ſortem recipiant; quàm illi, qui prò dilatâ ſolutione multò carius merces ſuas vendunt, animo lucrandi ſuprà juſtum pretium ratione ſolutionis dilatæ, etiamſi nullum præceſſerit pactum; vel conventio; Uſura enim mentalis conſiſtit in mente, cùm ſcilicet intenditur primò, & principaliter quæſtus ex mutuo, nec aliquis mutuaret, ſi ceſſaret talis intentio.

In 11. cap. quod incipit. *Quàm perniciosum*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd manifeſti Uſurarii, & ſpecialiter illi, qui publicè Vſuris renunciarunt, non ſunt audiendi à Judice, ſi Appellationis beneficio velint ſe tueri à reſtitutione; non enim manifeſtè convictis, aut confeſſis de Vſurâ eſt licitum ſub prætextu Appellationis ſubterfugere reſtitutionem.

In 12. cap. quod incipit. *Poſt miſerabilem*, ex eodem ſtatuitur, quod Judæi exercentes immoderatas Vſuras contra Chriſtianos, ſunt compellendi à Principibus Sæcularibus,ut eas reſtituant: quod etiam fieri debet indirectè à Prælatis Eccleſiaſticis, prohibendo Chriſtianis, nè cùm ipſis communicent. Eſt enim Vſura prohibita tùm lege naturali, tùm divinâ.

In 13. cap. quod incipit. *Tuas*, ex eodem ſtatuitur, quòd Judex tenetur ex officio compellere Vſurarium ad reſtituendas Vſuras; etiamſi Mutuatarius juraverit eas non repetere: nàm tale Juramentum non tenet, cùm ſit contra Juſtitiam.

In 14. cap. quod incipit. *Quia*, ex eodem ſtatuitur, quòd Vſurarius, qui ab aliquibus extorſit Vſuras, ſi contra alium Vſurarium, à quo ſub uſura recepit pecuniam mutuatam, petat uſuras ſolutas ſibi reſtitui, vel fructus computari in ſortem, non eſt à Judice audiendus,niſi ipſe prius reſtituat uſuras ab aliis perceptas: nam fruſtra legis implorat auxilium, qui committit in legem.

In 15. cap. quod incipit. *Cùm in Diœceſi*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi conſtiterit per publicam famam, ſivè per alia ſufficientia argumenta, aliquem eſſe pu-

blicum Uſuratium, damnari poſſe à Judice tamquam manifeſtum Uſurarium ad pœnas ſtatutas à Concilio Lateranenſi contra eos; etiamſi ex timore nullus contra ipſos appareat Accuſator: nam publica fama tenet locum Accuſantis.

In 16. cap. quod incipit. *Salubriter*, ex eodem ſtatuitur, quòd Maritus recipiens à Socero, ideſt Patre ſuæ Uxoris aliquam Poſſeſſionem, vel domum in pignus certæ dotis illi aſſignatæ, toto tempore quo Maritus tale pignus poſſidet, non tenetur fructus talis poſſeſſionis, vel Domus computare in ſortem, ſed poteſt eos reſtituere abſque uſura, quia tale pignus datur ad tempus loco dotis, quæ debet fructificare ad effectum ſuſtinendi onera Matrimonii.

In 17. cap. quod incipit. *Michael*, ex eodem ſtatuitur, quòd qui apud Judicem tamquam Actor agit contrà aliquos Uſurarios, qui ab eo, vel à ſuo Patre, cujus ipſe eſt hæres, extorſerunt Uſuras, non debet audiri, ſi aliàs ipſemet tamquam Uſurarius ab aliis uſuras exegit, ſi eas non reſtituit: non enim qui peccat in legem, implorare debet legis beneficium.

In 18. cap. quod incipit. *Quanto amplius*, ex eodem in Concilio Lateranenſi, ſtatuitur, etiam Judæos eſſe compellendos ad reſtituendas Uſuras extortas à Chriſtianis, & ad ſolvendas Decimas, vel oblationes ex eorum Poſſeſſionibus: nam res empta tranſit ad Emptorem cum ſuo onere.

In 19. cap. quod incipit. *Naviganti*, ex Gregorio IX. ſtatuitur. 1. Quòd ille, qui mutuat pecuniam eunti ultra mare, vel ad nundinas, non poteſt abſque labe Simoniæ aliquid ultra ſortem recipere, licet ſupponat ſe periculo amittendi pecuniam: hoc enim periculum ſemper comitatur actum mutuandi. 2. Statuitur non eſſe Uſuratium eum, qui anticipatâ ſolutione emit merces tali tempore conſignandas, ſi prò eo tempore dubium probabile ſit, præfatas merces fore plus, vel minus valituras: nam in tali caſu exponit ſe periculo lucrandi, vel perdendi. Similiter non eſſe Uſurarium eum, qui nunc compellitur vendere ſuas merces, ſi eas carius vendat, quas non eſſet nunc venditurus, ſed ad aliud tempus differret cùm majori ſuâ utilitate: hæc enim utilitas futura compenſatur cùm aliquâ utilitate præſenti. Videatur D. Thom. 2. 2. qu. 78. de uſura, ubi per quatuor Articulos hanc materiam perlucidè pertractat, & in art. 1. in corpote rationem aſsignat cur Uſura ſit peccatum his verbis: *Accipere uſuram pro pecunia mutuata eſt ſecundùm ſe injuſtum, quia venditur id, quod non eſt, per quod manifeſtè inæqualitas conſtituitur, quæ juſtitiæ contrariatur &c.* Legatur per totam quæſtionem; & præcipuè Articulo 2. in ſolut. ad 7. ubi ait: *Dicendum, quòd ſi aliquis cariùs vendit res ſuas, quàm ſit juſtum pretium, ut de pecuniâ ſolvendâ emptorem expectet, manifeſtè uſura committitur: quia hujuſmodi expectatio pretii habet rationem mutui. Unde, quidquid ultra juſtum pretium pro hujuſmodi expectatione exigitur, eſt quaſi pretium mutui, quod pertinet ad rationem Uſuræ. Similiter etiam ſi quis emptor velit rem emere vilius quàm ſit juſtum pretium, eo quòd pecuniam ante ſolvit, quàm poſſit res tradi ei, eſt peccatum uſuræ, quia etiam iſta anticipatio ſolutionis pecuniæ habet mutui rationem, cujus quoddam pretium eſt, quod diminuitur de juſto pretio rei emptæ. Si verò aliquis de juſto pretio velit diminuere, ut pecuniam prius habeat, non peccat peccato Uſuræ.*

TITULUS XX.

De Crimine Falſi in 10. *capita diſtinctus.*

Poſtquàm de Furto, & Uſura dictum eſt in Superioribus Titulis: nunc eſt agendum de crimine falſi, quod eſt contra octavum Decalogi præceptum ſcilicet *Non loquaris adverſus Fratrem tuum falſum Teſtimonium.*

In 1. cap. quod incipit. *Falſidicus*, ex Auguſtino habetur, quòd Falſidicus, ſive Fallarius Teſtis tribus Perſonis eſt obnoxius, ſcilicet Deo, cujus præſentiam contemnit; Judici, quem mentiendo fallit; & Innocenti, quem falſo teſtimonio

monio lædit. Falſarius autem eſt non ſolùm, qui falſum dicit, ſed & qui veritatem occultat, quia primus nocere deſiderat, & ſecundus prodeſſe non vult, cùm poſſit, & teneatur.

In 2. cap. quod incipit. *Super eo*, ex Lucio III. ſtatuitur, quòd ſententia lata per falſas literas nulla eſt, ac proinde nullatenus debet executioni mandari: immò præſentans Judici falſas literas, eſt detinendus, & debitis pœnis puniendus.

In 3. cap. quod incipit. *Ad audientiam*, ex Urbano III. ſtatuitur, quòd Clericus falſificans Sigillum Principis Laici, ab Epiſcopo eſt puniendus, non quidèm pœna mortis, aut mutilationis membrorum, quia has pœnas Eccleſia non imponit, ſed depoſitione, & degradatione ab Officio, & Beneficio, characteris impreſſione, quo ab aliis dignoſcatur ut Falſarius, & exilio à Provinciâ plectatur.

In 4. cap. quod incipit. *Dura ſæpè*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd qui exiſtit in Curiâ recepturus literas Apoſtolicas, eas debet recipere è manibus ipſius Papæ, vel ſaltem è manibus Miniſtrorum ad tale Officium à Papa deputatorum; & hoc, ut præcludatur omnis occaſio eas falſificandi. Quòd ſi Perſona, quæ tales literas debet recipere, ſit tantæ dignitatis, ut congruum ſit eas recipere per Nuncium; in tali caſu Nuncius recipiat tales literas à Papa, vel à Miniſtro ſpeciali deputato in tali Officio. Contrafacientes autem, ſi Laici ſint, excommunicari debent; ſi Clerici, à beneficio, & Officio ſuſpendi. Si verò de facto aliquis tales literas falſas obtinuerit, ſi infra 20. dies eas non laceraverit, aut eas in Cancellariâ non reſignaverit, ſtatim excommunicationem incurrit, à qua non poſſit abſolvi niſi à ſolo Papa extra mortis articulum: & tunc ſervatis de Jure ſervandis.

In 5. cap. quod incipit. *Licèt*, ex eodem, ſtatuitur, quòd novem modis literas Apoſtolicas contingit falſificari. Primò ſi falſa Bulla literis apponatur. Secundò, ſi filum de verâ Bullâ extrahatur, & per aliud filum immiſſum falſis literis inſeratur. Tertiò, ſi filum ab ea parte, in qua charta plicata, inciſum cùm vera Bulla, falſis literis immittatur ſub eadem plicaturâ cùm filo ſimili reſtauratum. Quartò cùm à ſuperiori parte Bullæ altera pars fili ſub plumbo reſcinditur, & per idem filum literis falſis inſerto, reducitur infra plumbum. Quintò cùm literis bullatis, & redditis, in eis aliquid per raſuram tenuem immutatur. Sextò cùm, ſcripturâ literarum, quibus fuerat appoſita vera Bulla, cùm aqua, vel vino abolitâ, ſeu deletâ, eadem charta cùm calce, & aliis juxtà conſuetum artificium dealbata, de novo reſcribitur. Septimò cùm chartæ, cui erat appoſita vera Bulla totàliter abolitæ, vel abraſæ, alia ſubtiliſſima charta ejuſdem quantitatis ſcripta cùm tenaciſſimo glutino conjungitur. Octavò cùm contra Conſtitutionem noſtram aliquis ſcienter receperit literas Apoſtolicas, non de manu Papæ, vel Miniſtri ejuſdem. Nonò cùm quis accedens ad Bullatorem falſas literas cautè immiſceat, & ponat inter veras, ut de vera Bulla cùm aliis ſigillentur. Falſitatem autem prædictam literarum Apoſtolicarum diligens indagator poterit cognoſcere, vel ex modo dictaminis, vel ex forma ſcripturæ, vel ex qualitate chartæ, vel ex adjunctione filornm, vel ex collatione Bullæ, vel ex motione, & obtuſione, præſertim ſi Bulla non ſit æqualis, ſcilicèt alicubi magis tumida, & alibi magis depreſſa.

In 6. cap. quod incipit. *Quàm gravia*, ex eodem, ſtatuitur, quòd falſæ exiſtimandæ ſunt literæ Papales; quotieſcumque in eis Epiſcopus vocatur *Filius*, vel inferior Epiſcopo vocatur à Papa *Frater*; vel quotieſcumqne uni perſonæ ſcribitur in plurali; tales enim ſunt contra formam dictaminis.

In 7. cap. quod incipit. *Ad Falſariorum*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui literas Papales ſivè per ſe, ſivè per alios falſificant, eo ipſo ſunt excommunicati cùm ſuis fautoribus; & ſi Clerici ſint, Officiis, & Beneficiis privati, & degradati, ſunt Curiæ Sæculari tradendi, per quam degradati legitimè puniantur juxta leges Civiles. Qui verò non falſificavit, ſed uſus eſt literis falſificatis; ſi Clericus eſt, Officiis & Beneficiis omninò privatur, ſi Laicus, excommunicatur.

In 8. cap. quod incipit. *Accedens*, ex eodem, ſtatuitur, quòd non eſt præſumenda falſitas in literis, quæ ſunt reſcriptæ pro ſimplici Juſtitia; quæ de facili impetrantur à Papa. Et ſi fortè etiam de his contingat falſitas, inſcio ipſo Actore, ſi detectâ falſitate, Actor eis non utatur, abſolvitur ab omni pæna: nam pæna non incurritur, ubi non præceſſit culpa.

In 9. cap. quod incipit, *Ex conſcientia*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi in literis Apoſtolicis appareat modica raſura aliquarum literarum in loco tamen non ſuſpecto, nec ſufficienti ad mutandum ſenſum, tales literæ non præſumuntur falſificatæ: non enim attentis circumſtantiis eſt ſufficiens fundamentum dubitandi de falſitate, Videatur D. Th. 2. 2 qu. 70. art. 4. in corpore, ubi ait: *Dicendum, quòd falſum teſtimonium habet triplicem deformitatem. Uno modo ex perjurio, quia teſtes non admittuntur niſi jurati, & ex hoc ſemper eſt peccatum mortale. Alio modo ex violatione Juſtitiæ, & hoc modo eſt peccatum mortale ex ſuo genere, ſicut & qualibet Injuſtitia. Tertio modo ex ipſa falſitate, ſecundùm quod omne mendacium eſt peccatum &c.* Legatur per totam hanc quæſtionem, & præcipuè art. 3. ubi S. Doctor fusè explicat, quinam ſint à teſtimonio repellendi & cùm culpa, & abſque culpa, ex quibus elucidantur, quæ in hoc titulo.

TITULUS XXI.

De Sortilegiis, in tria cap. diſtinctus.

Quia ſupra actum eſt de Furtis, & quandoquè aliqui ad reperienda furta, & dignoſcendos Fures, utuntur Sortilegiis; ideò in præſenti proponitur Tractatus de Sortilegiis.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 26. q. 1. 2. 3. 4. 5. & 6.

In 1. cap. quod incipit. *Ex Tabulis*, ex Pœnitentiali Theodori, ſtatuitur, quòd ad furta requirenda nemo uti debet ſortilegiis, aut divinationibus, & contrafacienti imponenda eſt pœna quadraginta dierum.

In 2. cap. quod incipit. *Ex tuarum*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd Sacerdos, qui ad indagandum furtum factum ſuæ Eccleſiæ, ut illud poſſet recuperare, quemdam Aſtrologum conſuluit, & ambo uſi ſunt inſpectione Aſtrolabii, non invocando Dæmonem, ſed Aſtrorum aſpectus obſervando: quia hoc ex ſimplicitate, & bona fide fecit, mitiùs agendo, debet Sacerdos ſaltem per annum abſtinere à Miniſterio Altaris in pœnam præfati delicti.

In 3. cap. quod incipit. *Eccleſia*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd non ſolùm electiones Canonicæ fieri non debent per ſortes, ſed nec etiam per ſortes ſunt eligendi compromiſſarii: licet enim aliquando ſortes ſint licitæ ad dirimendas lites, non tamen hoc procedit in electionibus Canonicis; & licet Matthias ſortè ad Apoſtolatum fuerit electus, hoc fuit ex ſpeciali divina inſpiratione, & inſtinctu, undè non debet in exemplum trahi: quæ enim ſingularia ſunt, ad conſequentia non ſunt trahenda. Videatur D. Th. 2. 2. q. 95. art. 8. ubi determinat, quòd ſors, cujus eventus expectatur ex ſtellis eſt vana, & falſa, ſi autem à fortuna, eſt vana tantùm ſors diviſoria, ſi verò à Diabolo eſt illicita, & prohibetur ſecundùm Canones, ſed ſi expectatur à Deo, non eſt mala ſecundùm ſe, licet ſit peccatum quadrupliciter, ſcilicet ſi fiat ſine neceſſitate, vel ſine reverentia, vel in terrenis, vel in electionibus Eccleſiaſticis. Legatur per totum articulum, & à quæſtione 92. uſque ad 96. incluſivè, ubi fusè pertractat de Superſtitione, & omnibus ejus ſpeciebus, ex quibus elucidantur, quæ in hoc titulo.

TITULUS XXII.

De Colluſione detegenda, in quatuor capita diſtinctus.

Quia in colluſione committitur falſitas: eſt enim colluſio inter Actorem, & Reum latens, & fraudolenta conventio; ideò poſtquàm actum eſt de Crimine falſi, ſequitur agendum de colluſione.

Tra-

Tractatur de hac materia In Decreto Cauſa 2. q.3. & Cauſa 9. q.3. & Titulo de Pœnis §. *Quæ ſit pœna colluſionis*, & ſupra in Titulo de Accuſationibus.

In 1. cap. quod incipit. *Scripta*, ex Gregorio, ſtatuitur, quòd ſi accidat, quòd Accuſator, poſtquàm accuſavit Reum apud Judicem, non proſequatur accuſationem, ſed cùm Reo amicitias facit, tenetur Judex ex officio de qualitate facinoris inquirere, ne propter colluſionem actoris, facinus Rei remaneat impunitum. Fraus enim nulli debet patrocinari.

In 2. cap. quod incipit. *Crimina*, ex eodem, ſtatuitur idem, quòd ſuperiori cap. dictum eſt.

In 3. cap. quod incipit. *Audivimus*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd illi, qui in cauſa beneficiali colluſionem committunt, privari debent beneficiis. Fraus enim & dolus nulli debet prodeſſe.

In 4. cap. quod incipit. *In tantum*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd ſi Accuſatus obtinuerit à Judice abſolutionem de criminibus ſibi oppoſitis, & fuerit judicatus Innocens per colluſionem accuſantis, aut ſubornationis Judicis, aut Teſtium, debet à Judice ſuperiori de novo ejus cauſa exactiùs examinari, nè delicta per colluſionem remaneant impunita. Videatur D. Thom. 2. 2. q. 64. art.3. ad ſecundùm, ubi ait: *Quòd Accuſator ſi colludat cùm Reo, qui noxius eſt, pœnam incurrit, ex quo patet quòd peccat; unde cùm inducere aliquem ad peccandum ſit peccatum, vel qualitercumque peccati participem eſſe, cùm Apoſtol. dicat, dignos morte eos, qui peccantibus conſentiunt; manifeſtum eſt, quòd etiam Reus peccat cùm adverſario colludendo &c.* Legatur per totum art & c.68.ar.4.ad 2.ait: *Si accuſans ab accuſatione Innocentis deſiſtat propter aliquam colluſionem cùm Adverſario, facit injuriam Reipublicæ, & hoc non poteſt ei remitti ab eo, qui accuſatur, ſed poteſt ei remitti per Principem, qui curam Reipublicæ gerit.*

TITULUS XXIII.

De Delictis Puerorum, in duo capita diſtinctus.

CUm in ſuperioribus Titulis actum ſit de quibuſdam delictis, & dubitari poſſit, an ætas puerilis poſſit illos in talibus excuſare, ideò ſubvectitur præſens Titulus.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 4. qu.3. cap. 1. & Cauſa 15. qu.1. per totum, & Cauſa 22. qu. 6. cap. *Parvuli*, cùm duobus capitibus ſequentibus.

In 1. cap. quod incipit. *Pueris*, ex Gregorio ſtatuitur, quòd Pueri doli capaces in multis peccare poſſunt; licet enim tunc temporis vitia carnis non habeant, poſſunt tamen alia delicta committere, ut furari, mentiri &c. mitius tamen cùm eis eſt agendum in pœnis, quàm cùm adultis propter imperfectionem Judicii.

In 2. cap. quod incipit. *Referente*. ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd Puer non debet à Judice ità ſeverè puniri propter delictum commiſſum, ſicut puniretur adultus. Nec Pater tenetur ex delicto Filii impuberis, ſaltèm ad pœnam pecuniariam.

TITULUS XXIV.

De Clerico Venatore in duo capita diſtinctus.

QUia in ſuperioribus Titulis actum eſt de Delictis genericè ſumptis, ſpectantibus ſcilicet ad tàm Clericos, quàm ad Laicos, in ſequentibus agitur de delictis ſpecialiter ſpectantibus ad Clericos, & primò de Clerico Venatore.

De hac materia habetur in Decreto diſt.86. in cap. *Venatoribus*, cum 5. cap. ſeqq. & diſt. 24. cap. 1. in principio.

In 1. cap. quod incipit. *Epiſcopum*, ex Concilio Aurelianenſi, ſtatuitur, Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, aves ad

ad venandum, aut canes habere non poſſe, & contrafacientes eſſe puniendos pœnâ ſuſpenſionis. Quod tamen intelligitur ex Gloſſa de venatione ſaltuoſa, & clamoroſa, non verò de venatione quietâ, & aliquando ſolâ recreationis causâ.

In 2. cap. quod incipit. *Omnibus*, ex eodem Concilio, ſtatuitur, omnibus Clericis eſſe interdictas venationes, & ſylvaticas vagationes cùm Canibus, & Avibus rapacibus, ſcilicet Falconibus, accipitribus. Hæ enim venationes clamoſæ ſunt,& periculoſæ. Videatur D.Th. 1.p.q. 46. art.1. in corpore ubi ait: *Imperfectiora cedunt in uſum perfectiorum. Plantæ enim utuntur terra ad ſui nutrimentum, Animalia verò plantis, & homines plantis, & Animalibus, undè naturalius homo dominatur animalibus, & propter hoc. Philoſophus dicit 1. politicorum, quòd venatio ſylveſtrium animalium eſt juſta, & naturalis, quia per eam homo vendicat ſibi, quod eſt naturaliter ſuum &c.* ex quibus verbis colligitur, quòd venatio moderata licita eſt Clericis.

TITULUS XXV.

De Clerico percuſſore in quatuor capita diſtinctus.

Quia non leve delictum eſt in Clericis ſævire in Proximum, & illum crudeliter percutere: debet enim Clericus in ſpiritu lenitatis, & charitatis Proximum corrigere juxta illud monitum Salvatoris: *Diſcite à me, quia mitis ſum &c.* ideò poſtquàm dictum eſt de Clerico venatore, eſt agendum de Clerico percuſſore.

Agitur de hac materia in Decreto diſt.45. & diſt. 86. in §. *Similiter*, & in cap. ſeq. & penult. & cap. *non licet*, & Cauſa 1. q. ultima, cap. *ſi quis omnem*.

In 1. cap. quod incipit. *Si quis*, ex Concilio Agathenſi, ſtatuitur, Clericos non debere eſſe percuſſores: undè ſi aliquis Clericus ſæpè percuſſerit, & monitus non ſe emendaverit, eſt ab Epiſcopo deponendus.

In 2. cap. quod incipit. *Præterea*, ex Gregorio, ſtatuitur, quòd Epiſcopus non debet eſſe percuſſor, nec per ſe, nec per alium indebito modo; undè ſi aliquem fuſtibus crudelitèr cædi præcipiat, in pœnam debet duobus menſibus à Celebratione Miſſarum abſtinere: præcipit enim Apoſtolus, Epiſcopum non debere eſſe percuſſorem.

In 3. cap. quod incipit. *Præſentium*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd ſi Præsbyter repertus in conflictu, ex parte tamen eorum qui patiuntur violentiam, lapides projecerit in hoſtes; nullum tamen ex eis percuſſerit; ſed aliqui eorum ab aliis fuerunt occiſi; talis Præsbyter homicida non eſt, cùm ipſe nullum percuſſerit,& alii ſocii defendebant ſe cum moderamine inculpatæ tutelæ: tamèn quià Præsbyter in talibus rebus non debet ſe ingerere, per biennium à Celebratione Miſſarum debet abſtinere.

In 4. cap., quod incipit. *Continentia*, ex Cæleſtino III. ſtatuitur, quòd non debent Clerici ſe immiſcere cum laicis etiam contrà prædones, vel inimicos: nam ſi ex inimicis aliquis fuerit occiſus, licèt non facto, nec conſilio talis Clerici; tamèn Clericus non eſt omninò immunis à pæna, quià dedit operam rei periculoſæ, & illicitæ Clerico: quòd ſi ingrediatur Religionem, poteſt diſpenſari, ut ad ulteriores Ordines aſcendat.

TITULUS XXVI.

De Maledicis, in duo Capita diſtinctus.

Quià in ſuperiori Titulo dictum eſt de Clerico percuſſore, nùnc ſequitur agendum de Clerico maledico. Duplex enim quodammodo eſt percuſſio, ſcilicet quæ fit manu, & alia, quæ fit linguâ.

Agitur de hac materia in Decreto diſt. 25. § *alias ea demum*, & diſt. 46. & Cauſa 24. q. 3. per totum.

In 1. cap., quod incipit. *Innotuit*, ex Clemente III., ſtatuitur, quòd Principi, ſeu Prælato ſuo nullus debet maledice-

dicere, aut in ejus contemptum verba contumelioſa proferre, quod multò magis cavendum eſt de Perſona, & Officio Papæ: contrafaciens debet ſeverè puniri, & pæna illius debet eſſe in exemplum aliorum.

In 2. cap. quod incipit. *Statuimus*, ex Gregorio IX., ſtatuitur, quòd qui præſumpſerit blaſphemiam dicere contrà Deum, aut Sanctos, & præcipuè contrà B. Virginem, ſeptem diebus Dominicis præ foribus Eccleſiæ in manifeſto, dùm aguntur Miſſarum Solemnia, exiſtens, in ultimo die Dominico Pallium, & Calceamenta non habens, corrigiam ligatam circà collum teneat, ſæpeque præcedentibus ſacrificiis, in pane, & aqua jejunet, Eccleſiam non ingreſſurus, niſi abſolutâ pænitentiâ, prò qua etiam obligari poterit àd eleemoſynas Pauperibus erogandas juxta ejus poſſibilitatem: Quas pænitentias ſi acceptare noluerit, & eis ſubjacere, omnino ei interdicatur Eccleſiæ ingreſſus, & in morte Sepulturâ careat Eccleſiaſticâ. Videatur D. Th. 2. 2. q. 76. de Maledictione per totam quæſtionem, & præcipuè art. 3. in corpore ubi ait: *Dicendum quòd Maledictio eſt per quam pronunciatur malum contra aliquem, vel imperando, vel optando. Velle autem, vel imperio movere ad malum alterius ſecundùm ſe repugnat charitati, qua diligimus proximum, volentes bonum ipſius, & ita ſecundùm ſuum genus eſt peccatum mortale, & tantò gravius quantò perſonam, cui maledicimus, magis amare, & revereri tenemur.* Legatur etiam in eadem 2.2. q.13. de Blaſphemia, ubi per quatuor articulos fusè hanc materiam pertractat; & præcipuè att.2. in corpore his verbis concludit: *Blaſphemia opponitur confeſſioni Fidei, & ideo habet in ſe gravitatem infidelitatis, & aggravatur peccatum, ſi ſuperveniat deteſtatio voluntatis, & adhuc magis, ſi prorumpat in verba, ſicut & laus fidei augetur per dilectionem, & confeſſionem. Undè cùm infidelitas ſit maximum peccatum ſecundùm ſuum genus, conſequens eſt, quòd blaſphemia ſit peccatum maximum ad idem genus pertinens.*

TITULUS XXVII.

De Clerico Excommunicato, depoſito, vel interdicto miniſtrante, in 10. cap. diſtinctus.

Quia in ſuperioribus Titulis actum eſt de delictis, ex quibus Clerici quandoque excommunicantur, deponuntur, aut interdicuntur; & cùm quandoque accidat, ut prædicti Clerici hoc non obſtante miniſtrent, contemnendo prædictas cenſuras, ideò videndum eſt, qualiter iſti ſint puniendi.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 11. qu.3. cap. *placuit*, & diſt. 50. cap. penultimo.

In 1. cap. quod incipit. *Si quis Epiſcopus*, ex Canone Apoſtolorum, ſtatuitur, quòd Epiſcopus, aut quicumque alius Clericus, qui juſtè depoſitus ab officio, vel Beneficio, auſus fuerit miniſtrare, debet per excommunicationem ab Eccleſia abſcindi.

In 2. cap. quod incipit. *Si quis Presbyter*, ex Concilio Antiocheno, ſtatuitur, Presbyterum, aut quemcumque alium Clericum degradatum, aut ab officio pro certis criminibus ſuſpenſum, ſi ipſe, hoc non obſtante, per contemptum, & ſuperbiam aliquid de Miniſterio ſibi prohibito agere præſumpſerit, ſi ab Epiſcopo ſuo admonitus non deſtiterit, eſſe excommunicandum; & ſi huic ſententiæ non paruerit, auxilio brachii ſæcularis exilio eſſe damnandum. Qui enim non poteſt ab Epiſcopo, à Sæculari poteſtate, ad inſtantiam tamen Epiſcopi, eſt corrigendus.

In 3. cap. quod incipit. *Clerici*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd Clericus interdictus, vel excommunicatus celebrans, ſi admonitus à ſuo Epiſcopo non deſiſtat, eſt omninò deponendus pro auſu tantæ temeritatis, quæ depoſitio debet eſſe perpetua.

In 4. cap. quod incipit. *Latores*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Presbyteri, qui interdicti, vel excommunicati audent celebrare, debent in perpetuo deponi ab officio Sacerdotali, dummodò non ſit eorum

rum magna multitudo, ſcilicet ſupra quadraginta. Si autem hunc numerum excedant, ne Eccleſiæ careant Miniſtris, illi qui magis peccarunt, dando cauſam delicto, propter quod fuerunt interdicti, vel excommunicati, prædictâ pœnâ debent puniri, alii verò erunt ad arbitrium Epiſcopi ſuſpendendi; nam multitudini in aliqua parte parcendum eſt.

In 5. cap., quod incipit. *Illud*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd Epiſcopus vèl Præsbyter, ſi de facto fuerit excommunicatus à Delegato Papæ, ipſe tamèn non juridicè habuerit talem notitiam, ſed ſolum per famam, ſi celebret, de rigore eſt deponendus, quià in dubio tutior pars eſt eligenda: poteſt tamèn Papa cùm eo miſericorditèr diſpenſare, ſi correctus reſipiſcat.

In 6. cap., quod incipit. *Fraternitati*, ex eodem ſtatuitur, quòd Clericus, qui in Cenſura excommunicationis præſumit celebrare, eſt ab omni Beneficio deponendus, ſeù perpetuò ſpoliandus; nec Epiſcopus habet facultatem eùm eo diſpenſandi, ſed ſolus Papa.

In 7. cap. quod incipit. *Poſtulaſtis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Collatio Beneficij facta Clerico excommunicato irrita eſt, & nulla; & qui talibus Beneficia ſcientèr confert, à Beneficiorum collatione ſuſpenditur: privandus eſt enim in quo peccavit.

In 8. cap. quod incipit. *Propoſuit*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Collatio Beneficij facta ei, qui antè fuerat excommunicatus, ſed tempore collationis obtinuerat Beneficium Abſolutionis, valida eſt, & ſubſiſtens, eùm per abſolutionem tollatur impedimentum.

In 9. cap. quod incipit. *Apoſtolicæ*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd Clericus ſuſpenſus, vel excommunicatus ignoranter, bona fide celebrans, ſi cognitâ cenſurâ, quâ ligatur deinceps non celebret, nulla indiget diſpenſatione ab irregularitate, à qua excuſatur propter ignorantiam probabilem tamen, non affectatam.

In 10. cap. quod incipit. *Si celebrat*, ex eodem ſtatuitur, quòd excommunicatus minori excommunicatione, ſi celebret, licet mortaliter peccet, non tamen incurrit irregularitatem, ſimiliter poteſt eligere, & ea quæ juriſdictionis ſunt exercere; non tamen poteſt eligi, & Sacramenta licitè miniſtrare.

TITULUS XXVIII.

De Clerico non Ordinato miniſtrante, in duo cap. diſtinctus.

IN ſuperiori Titulo viſum eſt quâ pœnâ ſit puniendus Clericus adminiſtrans in Cenſura Ordinem, quem ſuſcepit: nunc ſequitur agendum de Clerico adminiſtrante in Ordine, quem non ſuſcepit, qua ſcilicet pœna ſit puniendus.

In 1. cap. quod incipit. *Si quis baptizaverit*, ex Hormiſda Papa, ſtatuitur, quòd Clericus ſolemniter baptizans ex officio, aut alium actum proprium Parochi exercens in Ordine, quem non habet, debet deponi, & propter ſuam temeritatem nunquàm ordinandus: ſecus autem ſi privatè, & in caſu neceſſitatis baptizet; unicuique enim in caſu neceſſitatis eſt licitum baptizare privatè, etiam Hæretico, dummodò intendat facere, quod facit Eccleſia.

In 2. cap. quod incipit. *Ex literis*, ex Urbano III. ſtatuitur, quòd Diaconus præſumens Miſſam celebrare, ad officium Sacerdotis non poterit promoveri; immo in officio Diaconatus in pœnam ſuſpenditur ad tempus; ſicut in Beneficio retinendo poterit ad tempus diſpenſari.

TITULUS XXIX.

De Clerico per ſaltum promoto, unico cap. compræhenſus.

QUia Clerici non ſolùm miniſtrant aliquandò in Ordinibus non ſuſceptis, ſed etiam aliquandò Ordines per ſaltum ſuſcipiunt, & non gradatim ſicut præcipit Sancta Mater Eccleſia: ideò poſtquàm actum eſt in præcedenti Titulo de pæna illorum, nunc eſt agendum de pæna iſtorum.

Agitur de hâc materia in Decreto diſt. 52. cap. *ſolicitudo.* In

In hoc ergo cap. quod incipit. *Tua litera*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd Clericus, qui ignoranter de Subdiacono, prætermiſſo Diaconatu, fecit ſe promovere in Presbyterum, debet arbitrio Epiſcopi pænitere, & peractâ pænitentiâ de tali ignorantiâ craſsâ, & ſupinâ, debet ab Epiſcopo ordinari in Diaconum; & poſtea poterit idem Epiſcopus ſecùm in Sacerdotio miſericorditer diſpenſare; cùm enim probabiliter dubitatur aliquem ordinem non fuiſſe ſuſceptum, ad cautelam talis ordo debet ſuſcipi, ſaltem ſub conditione: non enim intelligitur iteratum, quod factum eſſe neſcitur. Videatur D.Th. in 4.diſt.25. in expoſitione textus, ubi ſic ait: *Alio modo aliquis eſt malè promotus, quia non promovetur ſicut debet, quod contingit dupliciter. Primò quia furtivè accipit ordinem, ut cùm accipit duos ordines Sacros una die, vel unumquemque ſine licentia Epiſcopi, & pæna talium eſt depoſitio, & tunc ſi fuit ſuper hoc lata excommunicatio, ſolus Papa poteſt cùm eo diſpenſare, ſi autem non fuit, poteſt etiam Epiſcopus diſpenſare, præcipuè in minoribus ordinibus, vel ſi clauſtrum intraverit. Secundò quia prætermittit aliquem ordinem, & tunc ſi malitia facit, debet deponi, quamvis caracterem recipiat, ſi verò ignoranter, debet ſibi imponi pæna ab Epiſcopo, & interim careat executione ordinis, quouſque ordinem prætermiſſum recipiat &c.* ex qua doctrina elucidantur, quæ in hoc, & ſequenti titulo pertractantur.

TITULUS XXX.

De eo, qui furtivè Ordinem ſuſcepit, in tria capita diſtinctus.

Quia interdùm ſuccedit aliquos ſinè Dimiſſoriis, & abſquè prævio examine furtivè ad ordines promoveri, ultrò ingerentes ſe eùm multitudine Ordinandorum, ignorante ipſo Ordinatore: ſequitur in præſenti agendum de iſtorum pæna.

Agitur de hac materia in Decreto diſt.63. cap. *Salonitana*, & Cauſa 9.q.2. *Lugduni*.

In 1. cap. quod incipit. *Veniens*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd Clericus furtivè recipiens Ordinem, ſi contra eos, qui furtivè ordines ſuſcipiunt, ab Epiſcopo ordinante, vel à ſuo Archidiacono, ut moris eſt, antè Ordinationem lata fuerit excommunicatio ipſo facto incurrenda, talis furtivè ordinatus non poterit ab Epiſcopo diſpenſari, ſed tenebitur ingredi Monaſterium ad agendam pænitentiam, quâ pænitentiâ peractâ, poterit à Papa diſpenſari, ut in tali Ordine miniſtret. Si autem talis excommunicatio non fuerit lata, poterit ab Epiſcopo diſpenſari, peractâ tamen condignâ pænitentiâ.

In 2. cap. quod incipit. *Cùm N. Lator*, ex Cæleſtino III. ſtatuitur, quòd Clericus, qui legitimè promotus ad quatuor minores, fecit ſe furtivè promovere in eadem Ordinatione etiam ad Ordinem Subdiaconatus, debet ab Epiſcopo ſuſpendi ab exercitio Subdiaconatus, & compelli intrare Monaſterium ad agendam pænitentiam, quâ peractâ, ſi vita, & mores ejus exegerint, Abbas, ſi voluerit, poterit eum eo diſpenſare, ut in Subdiaconatu miniſtret, & ad alios poſſit promoveri.

In 3. cap. quod incipit. *Innotuit*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Clericus, qui aliàs examinatus, & approbatus ad Ordinem Subdiaconatus, furtivè, & doloſè, poſtquàm fuit promotus ad Subdiaconatum, fecit etiam ſe promovere ad Ordinem Diaconatus contra prohibitionem Epiſcopi Ordinantis, qui ſub pæna excommunicationis latæ ſententiæ inhibuit, ne aliquis Ordinandorum auderet duplicem Ordinem Sacrum aſſumere, talis Clericus in utroque ordine manet ſuſpenſus. Cæterùm ſi ad ſtatum Religionis voluerit tranſire, peractâ pænitentiâ ab Epiſcopo ei aſſignandâ, & ibidem laudabiliter converſatus, proceſſu temporis de licentia Papæ eùm eo poterit diſpenſari, ut in ſuſceptis miniſtret, & ad Sacerdotium promoveatur.

TITULUS XXXI.

De Exceſſibus Prælatorum, & Subditorum in 18. *cap. diſtinctus.*

IN ſuperioribus Titulis actum eſt de exceſſibus in generali, ſcilicet tàm Subditorum, quàm Prælatorum: nunc agitur ſpecialiter de exceſſibus Prælatorum.

Agitur de hac materia in Decreto diſt. 86. per totum, & Cauſa 2. q. 1. per totum. In 6. lib. 5. Titulo 5. in Clemen. lib. 5. Titulo 6.

In 1. cap. quod incipit. *Pervenit*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd Prælati debent abſtinere, ne gravent indebitè Subditos, nec eos irrationabiliter vexent, aut ſine juſta cauſa ſuſpendant, excommunicent, aut eorum Eccleſias interdicto ſubjiciant: debent enim Epiſcopi Presbyteros, & alios Clericos quaſi filios, & fratres cùm charitate tractare, aliàs Epiſcopi, & Prælati contrafacientes graviter debent à Summo Pontifice puniri, ut aliis ſint in exemplum.

In 2. cap. quod incipit. *Ad hæc*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Epiſcopi non poſſunt abſquè juſta, & legitima cauſa Eccleſias aliis ſubjectas ab illorum ſubjectione, & obſequio liberare, à nullo enim Jus ſuum, quod habet ſuper aliquam Eccleſiam, eſt auferendum.

In 3. cap. quod incipit. *Ad aures*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Prælati, ad quos ſpectant collationes Beneficiorum, ea non poſſunt ſibi retinere, ſed alios ab ipſis diſtinctos debent in eis inſtituere: debet enim dari diſtinctio inter dantem, & recipientem, inter Inſtitutorem, & Inſtitutum.

In 4. cap. quod incipit. *Clerici*, ex eodem in Concilio Lateranenſi, ſtatuitur, laborantes abominabili vitio contra naturam; ſi Clerici ſint, eſſe omninò deponendos ab officio, & beneficio, & in Monaſterio detrudendos; ſi Laici, eſſe excommunicandos, & ab Eccleſia ſeparandos.

In 5. cap. quod incipit: *Sanè*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Subditus privilegiatus non tenetur obedire ſuperiori aliquod præcipienti, vel exigenti contra tenorem ſui Privilegii legitimè obtenti à Sede Apoſtolica: in his enim non ſubditur.

In 6. cap. quod incipit. *Illud*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Vicarii Eccleſiarum ab Epiſcopo inſtituti, ſi contra præſtitum juramentum de non ambiendo perſonatum talium Eccleſiarum, de facto talem perſonatum, ſeu proprietatem ſibi uſurpaverint, & de tali crimine fuerint in judicio confeſſi, vel convicti, tamquàm perjuri à tali Diæceſi ſunt ejiciendi.

In 7. cap. quod incipit. *Cùm ad quorumdam*, ex Clemente III. ſtatuitur, quòd Prælati in viſitationibus ſuarum Eccleſiarum non poſſunt exigere procurationes ultra numerum equorum, & perſonarum, qui determinatur à Concilio Lateranenſi: quòd ſi eas excedant, & ad eas ſolvendas compellant ſubditos cenſuris, ſubditi non tenentur obedire, cùm ſit contra id, quod determinavit Concilium, ne nimium gravarentur Eccleſiæ à Viſitatoribus earumdem.

In 8. cap. quod incipit. *Sicut*, ex Cæleſtino III. ſtatuitur, quòd Abbas, ſive quicumque alius Prælatus inferior Epiſcopo non poteſt, ſine Epiſcopi conſenſu, unire Eccleſiam ſui Monaſterii, vel Beneficii alteri Eccleſiæ: ſicut enim ſpectat ad Summum Pontificem unire Epiſcopatus, vel eos dividere, ſi opus fuerit, ita ſpectat ad Ordinarium Eccleſias ſuæ Diæceſis unire, ſeù ſegregare ex cauſa rationabili: unde unio facta ab inferiori, ſinè conſenſu Epiſcopi, non tenet.

In 9. cap. quod incipit. *Quam ſit grave*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd Clericus, qui publicè de ſuo crimine gloriatur, ſi hoc conſtiterit, talis Clericus eſt ab officio, & beneficio ſuſpendendus, omni appellatione remota.

In 10. cap. quod incipit. *Ex literis veſtris*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Prælatus, vel quilibet Clericus, qui mandato, vel conſilio, aut aliquo verbo, directè, vel indirectè ad homicidium concurrerit, etiam ſub ſpecie boni: ſecuto homicidio, Irregularis efficitur; undè remanet ab

Ab-

Abbatis miniſterio ſuſpenſus.

In 11. cap. quod incipit. *Inter dilectos*, ex eodem, ſtatuitur, quòd collatio Beneficii facta alicui indigno, occulto tamen, ſi talem indignitatem ſciat confirmator, debet talem electionem caſſare: conferens autem beneficium ſecundò antè caſſationem primæ collationis, pro ea vice debet privari poteſtate conferendi.

In 12. cap. quod incipit, *Accedentibus*, ex eodem in Concilio Generali Lateranenſi ſtatuitur, Abbates, ſive quoſcumque alios Prælatos inferiores Epiſcopis non poſſe cognoſcere de cauſis Matrimonialibus, nec publicas pœnitentias injungere, nec literas Indulgentiarum concedere, niſi hoc habeant ex ſpeciali conceſſione Papæ, aut legitimâ præſcriptione, quæ dat juriſdictionem: hæc enim de jure communi ſpectant ad Epiſcopos, & unuſquiſque debet eſſe contentus finibus ſuis.

In 13. cap. quod incipit. *Dilectus Filius*, ex Honorio III. ſtatuitur quòd Sacerdos compelli non debet, nec poteſt ad revelanda ea, quæ in confeſſione audivit, quia ea audivit, non ut homo, ſed ut Deus: imo ſi revelaret, eſſet deponendus, & in Monaſterio detrudendus.

In 14. cap. quod incipit. *Dilecta*, ex eodem, ſtatuitur, quòd privati Sacerdotes, ſeu Clerici non poſſunt ex ſe ipſis conſtituere Collegium, & habere ſigillum Collegii, niſi eis in Communitate ab Epiſcopo conſtitutis fuerit ſpecialiter conceſſum. Ad hoc enim requiritur, ut faciant unum corpus, ſeu Societatem ab Epiſcopo approbatam, ſeu à Summo Pontifice.

In 15. cap. quod incipit. *Gravem*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Clericus, qui contra juramentum præſtitum ſuo Epiſcopo negat, Epiſcopum eſſe ſuum Dominum, ipſique negat debitam ſubjectionem, aut Epiſcopum trahit ad Forum Sæculare in cauſa Spirituali, aut dat conſilium Adverſariis ſui Epiſcopi contra ipſum; per ſententiam eſt deponendus, & privandus beneficio, & tamquàm morbida pecus expellendus à Clero, ne ſanas oves inficiat.

In 16. cap. quod incipit. *Nimis*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd Prælati non debent gravare, nec permittere, ut Religioſi contra ſua Privilegia graventur à Parochis ſuarum Diœceſum. Duodecim autem gravamina adducuntur in hac Decretali, quibus Parochi procurant Religioſos injuſtè inquietare. Primò enim prætendunt audire confeſſiones Religioſorum, ipſis invitis, & eis pœnitentias injungere. Secundò eiſdem Euchariſtiam adminiſtrare. Tertiò prohibent Religioſos in propriis Eccleſiis retinere Santiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum. Quartò, compellunt eorum corpora in Eccleſia Parochiali ſepeliri, & ibi exequias celebrari. Quintò ſi aliquis ex ipſis alibi ſepulturam elegerit, debeat primò funus, & oblatio in Eccleſia Parochiali fieri. Sextò negant Religioſis uſum Campanæ. Septimò negant Religioſis Cæmeterium benedictum. Octavò certis tantùm temporibus, ad ipſorum arbitrium, permittunt Religioſos celebrare Divina. Nonò taxant numerum Fratrum in eorum domibus, imo numerum cereorum, lampadarum, & ornamentorum in eorum Eccleſiis; & reſiduos, quandò novi cerei apponuntur, exigunt ab eis. Decimò, non permittunt eos primas Miſſas celebrare, niſi in Eccleſiâ Parochiali. Undecimò, quòd in quotidianis Miſſis, quas celebrant in propriis Eccleſiis, oblationes, quæ à Fidelibus offeruntur, cedant in utilitatem Parochorum. Duodecimò omnia ea, quæ à Fidelibus, Religioſorum Eccleſiis donantur pro ornamentis Altarium, ſibi audent vindicare. Hæc gravamina, quæ ex deteſtabili avaritiâ, ſeu aviditate aliquorum Clericorum fiebant Religioſis, damnat Summus Pontifex in hac Decretali, ſeriò præcipiens univerſis Eccleſiarum Prælatis, ne ea permittant ſub quovis prætextu, & colore.

In 17. cap. quod incipit. *Nimis prava*, ex eodem, ſtatuitur, ne Prælati gravent, aut gravari permittant Religioſos Prædicatores, & Minores in duodecim punctis, quæ in hac Decretali referuntur. Primò ne hujuſmodi Religioſi compellantur ab Epiſcopis accedere ad Synodos ſuas. Secundò ne cogantur ſubjacere Conſtitutionibus Synodalibus eorumdem.

dem. Tertiò nè Capitula, aut ſcrutinia Epiſcopi prætendant tenere in eorum Conventibus prò eorum correctione. Quartò nè exigant juramentum fidelitatis à Miniſtris Monaſteriorum talium Religioſorum. Quintò ne compellant eos ad Proceſſiones ex levi cauſa indictas tàm intra, quàm extra Civitates. Sextò ne ſententiam excommunicationis fulminent in eorum Benefactores. Septimò ne talem ſententiam excommunicationis audeant fulminare in ipſos Religioſos. Octavò ne compellant eos deſerere loca, in quibus Religioſè vivunt, niſi eis in prædictis obediant. Nonò ne præſumant ſententiam excommunicationis ferre, nec in ipſos Religioſos à Populis devotè vocatos in ſuis Civitatibus, nec in eorum receptores. Decimò ne eos cogant Decimas ſolvere de fructibus ex eorum Hortis perceptis. Undecimò nec de eorum domibus, quas inhabitant. Duodecimò ne prætendant pro ſuæ arbitrio voluntatis præficere eis Miniſtros, & Cuſtodes. Ab his gravaminibus præcipit Summus Pontifex Univerſis Eccleſiæ Prælatis, ut abſtineant, ſubditoſque eorum arctius compeſcant.

In 18. cap. quod incipit. *Tanta eſt*, ex eodem ſtatuitur, quòd violans interdictum poſitum à Papa, etiamſi ſit Epiſcopus, ab Officio, & Beneficio eſt ſuſpenſus, & ab omni Juriſdictione ſe privat: peccat enim contemnendo Apoſtolicam Authoritatem, & Petri Claves. Videatur D. Th. 2. 2. qu. 185. ubi per octo Articulos agit de iis, quæ ſpectant ad Prælatos, & Epiſcopos, ex quibus elucidantur, quæ in hoc titulo continentur.

TITULUS XXXII.

De novi Operis Nunciatione, in quatuor cap. diſtinctus.

CUM in Superiori Titulo actum ſit de exceſſibus Prælatorum in genere; nunc ſubiicitur de exceſſibus Prælatorum, & Clericorum in ſpecie, ſcilicet in occaſione novi ædificii, vel Fabricæ Eccleſiæ vel Cappellæ.

In 1. cap. quòd incipit. *Intellexi-mus*. ex Lucio III. ſtatuitur, quòd Eccleſia, vel Cappella ædificata poſt nunciationem, ſeu inhibitionem juridicam factam ab Adverſariis, prætendentibus tale ædificium eſſe in ipſorum præjudicium, eſt deſtruenda expenſis eorum, qui eam ædificarunt, quià ſecundum Canones nulla Eccleſia eſt ædificanda in præjudiciū alterius Eccleſiæ, & ſecundùm Jus civile, quod ędificatur, ſtante juridica inhibitione, deſtruēdum eſt. Jus Civile ſicut non dedignatur Canones Sacros imitari, ità Sacri Canones à Conſtitutionibus Civilibus adjuvantur.

In 2. cap. quod incipit. *Cùm ex injuncto*, ex Innocentio III. ſtatuitur idem, quod in Superiori capite ſtatutum eſt.

In 3. cap. quod incipit. *Significantibus*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd eſt in optione, ſeù arbitrio inhibentis novum opus; eo quòd prætendat eſſe in ſui præjudicium; vel infra tres menſes probare de ſuo præjudicio prætenſo, & interim nihil innovari circa ædificium; vel permittere ædificanti proſequi ædificium, data tamen ab eo cautione de eo demoliendo, ſtatim ac probatū juridicè fuerit de præjudicio prætenſo.

In 4. cap. quod incipit. *Is cui opus*, ex Gregorio IX. ſtatuitur idem, quod ſtatutum eſt cap. præcedenti.

TITULUS XXXIII.

De Privilegiis, & exceſſibus Privilegiatorum, in 33. cap. diſtinctus.

QUia ſuprà actum eſt de exceſſibus Prælatorum, & Subditorum: ſed quia aliquando tàm Prælati, quam Subditi peccant contra Jus commune ſub prætextu alicujus Privilegii, ratione cujus prætendunt ſe eſſe à Jure communi exemptos; ideò hic ponitur Titulus de Privilegiis, & exceſſibus Privilegiatorum.

Agitur de hac materia in Decreto diſt. 3. cap. *Privilegia*. Cauſa 9. qu. 3. cap. *Epiſcopo*. Cauſa 11. qu. 3. cap. *Privilegium*. Cauſa 12. qu. 2. cap. *Qui divinis, & humanis*, & Cauſa 25. qu. 2. per totum. In 6. lib. 5. Titulo 7. In Clementin. lib. 5. Titulo 7. & in extravag. lib. 5.

In 1. cap. quod incipit. *Epiſcopalia*, ex

ex Leone Papa ſtatuitur, quòd dignitas Epiſcopalis ne vileſcat, ſolùm concedenda eſt, & reponenda non in Villis, ſeù Caſtris, ſed in majoribus, & frequentioribus Civitatibus: debet enim tale Privilegium eſſe proportionatum loco, & Perſonis.

In 2. cap. quod incipit. *Sicut*, ex Gregorio Papa, ſtatuitur, quòd Laici etiam privilegiati in Foro Laicali, ſi præjudicium violentèr inferant Eccleſiæ, per authoritatem Eccleſiaſticam ſunt coercendi: hoc enim non eſt agere contra legem, ſed legi facere ſubſidium; ſicut enim Eccleſia non intendit præjudicare laicæ poteſtati, ità non intendit jura ſibi debita non defendere, violentis Malefactoribus contra Eccleſiam viriliter non reſiſtendo. Unuſquiſque enim ſuum jus tenetur defendere.

In 3. cap. quod incipit. *Cùm, & plantare*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quod Religioſi etiam exempti non debent abuti ſuis Privilegiis, nec ea extendere ad non conceſſa. Unde non debent, Primò Eccleſias, aut Decimas à laicis recipere ſine conſenſu Epiſcopi. 2. Non debent admittere ad Divina excommunicatos, aut Interdictos. 3. Non debent in Eccleſiis ſibi non pertinentibus pleno jure inſtituere, vel deſtituere ad nutum, Rectorem, ſeu Cappellanum abſque aſſenſu Epiſcopi. 4. Conceditur Hoſpitalaribus, & Templariis, ut ſemel in anno celebrent in loco interdicto, in propriis tamen Eccleſiis, in quibus tamen non ſunt ſepelienda Corpora Defunctorum, durante Interdicto. 5. Statuitur, Confratres, & oblatos prædictorum Religioſorum, qui in totum non ſe tranſtulerunt ad ſtatum Religionis, poſſe judicari ab Ordinariis.

In 4. cap. quod incipit. *Dilecti*, ex eodem ſtatuitur, quòd Judex tenetur authentica Privilegia à Sede Apoſtolica conceſſa admittere, & ſecundum ea judicare; nam ſuis Privilegiis eſt privandus, qui alienis derogat: Jus enim ſuum unicuique eſt ſervaudum.

In 5. cap. quod incipit. *Ad hæc*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Religioſi etiam privilegiati, non poſſunt ſepelire in Cæmeteriis ſuarum Eccleſiarum eos, qui moriuntur in excommunicatione; unde tenentur eos exhumare: quòd ſi non fecerint, ſuppleat Epiſcopus: nam ad hoc non extenduntur eorum Privilegia.

In 6. cap. quod incipit. *Si de terra*; ex eodem, ſtatuitur, quòd ad præſcribendum contrà Privilegium conceſſum alicui Eccleſiæ, ſeù Religioni, ſufficit tempus 30. annorum: tanto enim tempore præſumitur privilegiatum, non utendo Privilegio, dicto Privilegio renunciare. Ex Innocentio tamen III. ut dicetur, *Accedentibus*, jure novo ſtatutum eſt, ad talem præſcriptionem requiri tempus 40. annorum, quod conceſſum eſt in favorem Eccleſiæ.

In 7. cap. quod incipit. *Porrò*, ex eodem ſtatuitur, quòd Judex tenetur judicare de Privilegiis juxta tenorem verborum: non enim in his debet fieri extenſio, cum ſint contra Jus commune: undè ſtricta in eis debet fieri interpratatio.

In 8. cap. quod incipit. *Recepimus*, ex eodem ſtatuitur, quòd per hoc, quòd aliqua Eccleſia ſolvat annuatim cenſum Romanæ Eccleſiæ, non per hoc eſt judicanda exempta à Juriſdictione Ordinarii: aliquæ enim Eccleſiæ ſolvunt cenſum Romanæ Eccleſiæ in ſignum protectionis, & hæ non ſunt exemptæ à Juriſdictione Epiſcopi; aliæ in ſignum libertatis, & hæ ſunt exemptæ. Vnde inſpicienda ſunt, & conſideranda verba Privilegii, & motivum, ex quo ſolvitur annualis cenſus Romanæ Eccleſiæ.

In 9. cap. quod incipit. *Sanè*, ex eodem ſtatuitur, quòd Privilegium conceſſum uni non poteſt ad alium extendi propter identitatem rationis; quia, ut dictum eſt, eſt ſtricti juris, & non patitur extenſionem ultra proprietatem verborum.

In 10. cap. quod incipit. *Patentibus*, ex Cæleſtino III. ſtatuitur, quòd in Oratoriis privatis, etiam Religioſorum, & exemptorum, Campana publicè haberi non debet: licet enim habeant Privilegium pro Oratorio privato, hoc tamen non extenditur ad poſitionem Campanæ, quâ aliæ Eccleſiæ poſſent turbari; unde ſi hoc faciant, ad Epiſcopum ſpectat eos coercere.

In

In 11. cap. quod incipit. *Tuarum*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd ille Privilegium meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate; unde Hoſpitalarii Sancti Joannis licet exempti, & privilegiati, ſunt ab Epiſcopo coercendi, ſi pro eleemoſynis colligendis mittant laicos, aut Clericos falsò Cruce ſignatos, cùm non ſint ex eorum familia: imò ſi laici ſunt, debent excommunicari; ſi Clerici, debent ſuſpendi ab Officio, & Beneficio. Item debent ſuſpendi, ſi præſumant in Eccleſia polluta celebrare divina ante reconciliationem. Item ſi ſuſpenſi, per Epiſcopos exemptos audeant abſolvi. Item Fratres Privilegiatorum, qui ad eos ſe omninò non transferunt, ſi præſumant Privilegiis gaudere. Ad hæc enim non ſe extendunt Privilegia cis conceſſa; undè tales abuſus debent per Epiſcopos coerceri.

In 12. cap. quod incipit, *Cum olim*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi dubitatur de aliquo Privilegio, cujus Inſtrumentum eſt deperditum, probari poteſt per Teſtes, qui illud perlegerunt, ſi deponunt de tenore verborum, & quod erat ſine aliquo vitio. Teſtibus enim credendum eſt, ſpecialiter ſi ſint de viſu.

In 13. cap., quod incipit. *Ex parte Abbatiſſæ*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſententia lata ab Epiſcopo contra Privilegiatos per Sedem Apoſtolicam, illique immediatè ſubjectos, non tenet, & valet Appellatio. Imò ſtante causâ, poteſt à privilegiatis peti à Sede Apoſtolica innovatio, ſeu confirmatio Privilegii, per quam innovationem non tribuitur Privilegiatis jus novum, ſed antiquum tantùm confirmatur, & roboratur.

In 14. cap., quod incipit. *Cum olim* ex eodem ſtatuitur, quòd aliquâ Eccleſiâ munitâ duplici privilegio exemptionis: puta privilegio ei conceſſo ab Epiſcopo, & alio privilegio conceſſo à Sede Apoſtolica; licèt primum Privilegium non ſubſiſtat in præjudicium Epiſcopi Succeſſoris, ſubſiſtit tamen ſecundum Privilegium conceſſum à Papa, cui omnes Epiſcopi tenentur obedire.

In 15. cap., quod incipit. *Accedentibus*, ex eodem ſtatuitur, quòd ad præſcribendum contra Eccleſiam, ſeu res Eccleſiaſticas, requiritur ad minus ſpatium quadraginta annorum: plus enim requiritur ad præſcribendum contra Eccleſiam, quàm contra rem laicalem, & hoc propter reverentiam Eccleſiæ debitam, & in ejus favorem,

In 16. cap., quod incipit *Cum Cappella*, ex eodem ſtatuitur, quòd qui eſt exemptus per Privilegium Apoſtolicum conceſſum certæ rei, vel loco, non dicitur abſolutè, & ſimpliciter exemptus ubique: unde ſi extra talem locum delinquat, poteſt puniri, non obſtante prædicto Privilegio, quod non extenditur extra locum Privilegii.

In 17. cap., quod incipit. *Ex ore ſedentis*, ex eodem ſtatuitur, quòd per Privilegium exemptionis cõceſſum à Sede Apoſtolica alicui Monaſterio, non intelliguntur exemptæ Cappellæ, ſeu Eccleſiæ rurales tali Monaſterio annexæ, niſi hoc in Privilegio exprimatur: nam aliud judicium eſt de capite, aliud de membris.

In 18. cap., quod incipit. *Ex parte tua*, ex eodem ſtatuitur, quòd per hoc, quod aliqui Clerici, vel Religioſi recipiuntur ſub protectione Sedis Apoſtolicæ, non per hoc intelliguntur exempti à Juriſdictione Epiſcoporum: ſecus ſi à Sede Apoſtolica recipiantur immediatè ſub judicio libertatis; tunc enim intelliguntur exempti à juriſdictione Epiſcoporum.

In 19. cap., quod incipit. *Paſtoralis*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Papa concedat alicui Religioni aliquam Eccleſiam, ut eam in proprios uſus convertat, non propter hoc poſſeſſionem talis Eccleſiæ præfati Religioſi propriâ authoritate recipere debent, ſed authoritate, & conſenſu Diœceſani loci, niſi aliter exprimatur. Privilegia enim non debent extendi, ſed reſtringi, maximè in his, quæ videntur eſſe in præjudicium tertii.

In 20. cap., quod incipit. *Petiſtis*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi ille, in cujus favorem latum eſt interdictum, illud non ſervet, alii illud ſervare non tenentur; nullus enim debet de alterius fletu ridere: ſecùs autem ſi interdictum latum eſt pro culpa illius, qui interdictum non obſervat; in tali enim caſu tenentur etiam alii illud obſervare.

In 21.

In 21. cap., quod incipit. *Quoniam*, ex eodem ſtatuitur, quòd Privilegium conceſſum alicui Monaſterio, ut Monachi illius non poſſint ab Epiſcopo excommunicari, intelligitur de Monachis ibique exiſtentibus, & illis ſubjectis utroque Jure, ſcilicet in Temporalibus, & Spiritualibus: non enim in hoc debet fieri extenſio.

In 22. cap., quod incipit. *Quia*, ex eodem ſtatuitur, quòd Epiſcopus ſi remittat alicui Eccleſiæ Decimas Epiſcopales indefinitè, & abſolutè, præſumitur remiſiſſe non ſolùm Decimas præteritas non ſolutas, ſed etiam futuras: nam indefinita locutio æquivalet univerſali,

In 23. cap., quod incipit. *Antiqua*, ex eodem in Concilio Generali ſtatuitur, Ordinem inter Patriarchales Sedes eſſe talem, ſcilicet præter Romanam Sedem, quæ omnium prima, & Magiſtra eſt, ſecundum locum deberi Sedi Conſtantinopolitanæ, deinde Alexandrinæ, quartum Antiochenæ, quintum Hieroſolymitanæ. Qui quatuor Patriarchæ recipientes Pallium à Romano Pontifice, ipſi tenentur exhibere juramentum fidelitatis, & obedientiæ. Quo accepto, & tali præſtito juramento, poſſunt & ipſi Pallium conferre ſuis Suffraganeis, à quibus in tali collatione Pallii exigere debent juramentum ſubjectionis, & ergà Romanam Sedem juramentum Obedientiæ. Item eiſdem conceditur, ut faciant ubique ante ſe deferre Dominicæ Crucis Vexillum, niſi in Urbe Romana, & ubicumque fuerit præſens Romanus Pontifex, aut Legatus Apoſtolicus utens inſigniis Apoſtolicæ Dignitatis. Tandem eiſdem conceditur, ut ex Provinciis ſibi ſubjectis recipere poſſint Appellationes, ſalvis tamen appellationibus ad Sedem Apoſtolicam interpoſitis, quibus eſt ab omnibus humiliter deferendum.

In 24. cap., quod incipit. *Ut privilegia*, ex eodem in eodem Concilio ſtatuitur, Privilegium conceſſum Religioſis; ut tempore Interdicti poſſint in loco ſacro ſepelire Confratres ſuos, non eſt intelligendum de omnibus Confratribus, qui talibus Religionibus per ſocietatem regularem ſimpliciter aggregantur, ſed de illis, qui vel in Monaſteriis conſtituti aſſumpſerunt Habitum Regularem, vel viventes in Sæculo, mutato habitu, aſſumpſerunt habitum Oblatorum; vel de his, qui retento habitu ſæculari, & in Sæculo viventes, Bona ſua donarunt Religioni, retento ſibi uſufructu, quamdiù vixerint. Hi omnes virtute talis Privilegii ſepeliri poſſunt in loco ſacro tempore interdicti. Similiter ſtatuitur, Privilegium illud eiſdem conceſſum, ut eis advenientibus in aliquo loco interdicto, ſemel in anno poſſint ibi aperiri Eccleſiæ ad celebranda divina, eſſe intelligendum de una tantùm eorum Eccleſia, non de omnibus; aliàs nimiùm vileſceret Eccleſiaſtica diſciplina, & Interdicti ſententia. Certum eſt autem quòd Privilegium meretur amittere, qui permiſsâ ſibi abutitur poteſtate, excedendo fines Privilegii.

In 25. cap., quod incipit. *Quod nonnullis*, ex eodem ſtatuitur, quòd tempore generalis Interdicti, Epiſcopi loci non compræhenduntur in Interdicto, ſi aliàs non fuerunt culpabiles in illa: unde poterunt clàm celebrare.

In 26. cap., quod incipit. *Quanto*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd Privilegia conceſſa ab Apoſtolica Sede non ſunt violanda nec directè, nec indirectè, operando aliquid in fraudem Privilegii, ut ſcilicet Privilegium ſubſiſtat, aut habeat ſuam vim. Hoc enim eſt agere contra vim Privilegii, licet non contra verba: potiùs autem attenditur vis Privilegii, quàm verba.

In 27. cap., quod incipit. *Ex parte tua*, ex eodem ſtatuitur, quòd Clericus, qui ſine tonſura, & habitu in maleficiis, ſeu enormitatibus ſe immiſcuerit cum Sæcularibus, & cum eis fuerit depræhenſus, à Judice Sæculari poterit puniri: amiſit enim Privilegium Clericale.

In 28. cap., quod incipit. *Super ſpecula*, ex eodem ſtatuitur, quòd Pariſiis, & in locis vicinis nullus poteſt nec publicè docere, vel publicè audire Jus Romanorum Imperatorum; non enim in Gallia hujuſmodi leges admittuntur. Inſiſtendum eſt ergo magis Sacræ Paginæ, & Juri Canonico, quàm laicalibus diſciplinis.

In 29. cap., quod incipit. *Quia*,

ex eodem ſtatuitur, quòd innovare Privilegium non eſt novum Jus conferre Privilegiato, ſed antiquum confirmare, & conſervare.

In 30. cap., quod incipit. *In his*, ex eodem ſtatuitur, quòd Privilegium conceſſum Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus de celebrando, ubicumque fuerint, in Altari portatili, intelligi debet abſolutè, & non limitatè; ſcilicet de conſenſu Epiſcoporum; aliàs enim ſi Epiſcopi recuſent hoc permittere, Privilegium illud eſſet illuſorium, & fruſtratorium.

In 31. cap., quod incipit. *Dudùm*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd Privilegium conceſſum de non ſolvendis Decimis Novalium, non compræhendit eas Decimas, quæ tempore conceſſionis Privilegii ab aliis poſſidebantur, niſi de illis fiat expreſſa mentio.

In 32. cap., quod incipit. *Quidam* ex eodem ſtatuitur, quòd Confratres Privilegiatorum, qui ſe aggregant Societati eorum, remanentes in Sæculo, non per hoc ſunt exempti à juribus Epiſcopalibus, niſi totaliter ad eos ſe tranſtulerint; & tunc eorum gaudent Privilegiis.

In 33. cap., quod incipit. *Conſultationi*, ex eodem ſtatuitur, quòd Terra, de qua non extat memoria, quòd aliquandò culta fuerit, redacta per Religioſos noviter ad culturam, perpetuò debet gaudere Privilegio exemptionis de non ſolvendis Decimis de novalibus: nàm ſemel Novale, ſemper eſt Novale. Videatur D. Thom. 1. 2. quæſt. 96. de poteſtate Legis humanæ per totam quæſtionem, & præcipuè art. 1. ad 2. ubi ſic habet: *Sunt enim quædam, quæ ſimpliciter in communi ponuntur, & hæc ſunt leges communes &c. quædam verò ſunt, quæ ſunt communia quantùm ad aliquid, & ſingularia, quantùm ad aliquid, & hujuſmodi dicuntur privilegia, quaſi leges privatæ, quia reſpiciunt ſingulares perſonas &c.*

TITULUS XXXIV.

De Purgatione Canonica, in 16. Cap. diſtinctus.

Quia in præcedentibus Titulis dictum eſt de exceſſibus, ſive delictis tùm Subditorum, tùm Prælatorum; & quia quandoque accidit, Prælatos, vel Subditos ſine culpa remanere gravatos infamiâ, delictis non probatis; unde tales ſic infamati tenentur ſe purgare: ideò in præſenti ſubditur de Purgatione canonica.

Agitur de hac materia in Decreto cauſa 2. quæſt. 5. per totum, & cauſa 15. quæſt. 5.

In 1. cap., quod incipit. *Nobilis*, ex Concilio Triburienſi ſtatuitur, quòd ſi Nobilis, aut ingenuus accuſatus fuerit in Concilio de aliquo crimine, ſi ipſe neget, deficiente accuſatore in probationibus, propter infamiam, debebit ſe purgare juramento cum duodecim hominibus ingenuis; Si autem talis accuſatus fuerit infamis, puta depræhenſus in furto, perjurio, aut falſo teſtimonio, non poterit ſe purgare juramento, quia hoc non eſt ei deferendum, cum præſumatur perjurus, ſed ad arbitrium Judicis alio modo erit purgandus, ſi aliàs non conſtat de crimine, quod ei in Concilio imponitur.

In 2. cap., quod incipit. *Si quis Præsbyter*, ex Concilio Agathenſi ſtatuitur, infamatum per criminis objectionem, tertiò monitum, ſi non ſe correxerit, uſque ad purgationem eſſe ab Officio ſuſpendendum.

In 3. cap., quod incipit. *Moniales*, ex Concilio Meldenſi ſtatuitur, non ſolùm Clericos, ſed etiam Regulares utriuſque ſexus, ſi accuſati fuerint, teneri ſe purgare purgatione Canonicâ juxta propriam ipſorum Regulam.

In 4. cap., quod incipit. *Si quis*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Clericus de aliquo crimine infamatus fuerit, quod juridicè probari non poteſt; ſi ſuſpicio vero ſimilis, & probabilis erit ex inditiis de tali crimine, erit compellendus à Judice ad

ſe

ſe purgandum: ſi autem ſuſpicio ſit temeraria, & improbabilis, talis ſuſpicio eſt reiicienda, ſi autem eſt violenta, & vehementiſſima, hæc ſufficit ad condemnationem.

In 5. cap., quod incipit. *Quoties*, ex Innocentio Papa ſtatuitur, quòd Epiſcopus infamatus de ſimonia, quæ tamen contra ipſum juridicè probari non poteſt, tenebitur ſe purgare juramento, cùm tertia manu ſui Ordinis, & quarrâ Abbatum, & Religioſorum. Quæ purgatio conſiſtet in aſſertione jurata, quam facit Epiſcopus de non commiſiſſe, nec per ſe, nec per alium, ipſo ſciente, tale crimen. Compurgatores ſimiliter jurabunt ſuper Sacra Dei Evangelia, quòd ipſi credunt, cum verum juraſſe.

In 6. cap., quod incipit. *Hos inter alios*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd Clericus publicè infamatus de aliquo crimine, deficientibus Accuſatoribus, & Teſtibus, debet compelli ab Epiſcopo, ut ſe purget à tali infamia, ad quod tenebitur; ſi aliàs non appellaverit ad Superiorem Epiſcopi, cujus judicio ſe ſubmittit.

In 7. cap., quod incipit. *Cum P.*, ex eodem ſtatuitur, quòd Compurgatores, qui aſſumuntur ad aliquem purgandum, debent eſſe Viri honeſti, graves, & bonæ famæ, & benè cognoſcentes vitam, & mores ejus, qui ſe purgat; nec debent à Judice, vel à quocumque alio impediri in tali munere. Reus autem deficiens in purgatione punitur tamquàm convictus, ſaltem præſumptivè, & ejus pœna eſt depoſitio ab Officio, & Beneficio.

In 8. cap., quod incipit. *Ex tuarum*, ex Lucio III. ſtatuitur, quòd ſi Clericus infamatus ſe purgaverit purgatione vulgari à Sacris Canonibus damnata, nulla eſt talis purgatio, unde debet ab Epiſcopo compelli, ut ſe purget purgatione Canonicâ, ſcilicet jurando, ſe non commiſiſſe tale crimen, cum ſeptima, vel ſaltem quintâ manu ſui Ordinis.

In 9. cap., quod incipit. *Conſtitutus*, ex eodem ſtatuitur, quòd ad hoc ut Compurgatores ſint admittendi ab Epiſcopo, ſufficit, ut tales Compurgatores ſint bonæ famæ, nec de aliquo gravi crimine ſuſpecti, aut condemnati.

In 10. cap., quod incipit. *Inter*, ex Innocenrio III. ſtatuitur, primò quòd infamatus de aliquo gravi crimine, ſtatim ſuſpendi poteſt ab Epiſcopo, nedum ab Officio, ſed etiam à Beneficio, donec ſe purgaverit. Secundò ſtatuitur, quòd juxta magnitudinem criminis, de quo eſt infamatio, augendus eſt numerus Compurgatorum. Tertiò ſtatuitur, quòd etiam poſt purgarinnem, ex rationabili cauſa, quis poteſt ſuſpendi ad tempus. Quartò ſtatuitur, quòd deficiens in purgatione, habetur ut convictus.

In 11. cap., quod incipit. *Cum dilectus*, ex eodem ſtatuitur, quòd Compurgatores aſſumendi ab infamato, & admittendi à Judice, debent eſſe fide digni, honeſtæ vitæ, & ſatis informati de vita, & moribus ejus, qui debet ſe purgare.

In 12. cap., quod incipit. *Cum in Juventute*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi infamia orta ſit ex levibus, & improbabilibus conjecturis; deficiente Accuſatore, & Teſtibus, non eſt de neceſſitate indicenda purgatio; poterit tamen indici ad inſtantiam purgandi: ſecus autem ſi infamia orta ſit ex inditiis probabilibus, & gravibus; tunc enim neceſſariò eſt indicenda purgatio.

In 13. cap., quod incipit. *De Teſtibus*, ex eodem ſtatuitur, quòd Compurgatores debent jurare, ſe credere, purgantem verum jurare, unde ipſi jurant de credulitate. Qui autem ſe purgat, jurat de facti veritate.

In 14. cap., quod incipit. *Accedens*, ex eodem ſtatuitur, quòd infamatus ſuper defectu Natalium, & per conſequens ſuſpectus de irregularitate ex tali cauſa, non debet ad Ordines promoveri, niſi prius ſe purgaverit: quia in dubiis tutior pars eſt eligenda.

In 15. cap., quod incipit. *Cum dilectis*, ex eodem ſtatuitur. Primò quòd ſuper crimine notorio, & manifeſtè publico non eſt indicenda purgatio, cum factum ipſum ſe habeat loco Accuſatoris. Secundò ſtatuitur, quòd pendente cauſâ ſuper aliquo crimine coràm Papa, Delegatio ab Ordinario facta ſuper tali crimine non tenet: nam Tribunal ſuperius impedit minus.

G g In 16.

In 16. cap., quod incipit. *Accepimus*, ex eodem ſtatuitur, quòd Prælato infamato de aliquibus criminibus, de quibus debet ſe purgare, non ſufficit, ut in purgatione juret ſe eſſe immunem ab illis criminibus, ſed debet jurare, quòd poſt ſuam promotionem ad Epiſcopatum, vel Prælaturam illa crimina non commiſit.

TITULUS XXXV.

De Purgatione vulgari in tria Capita diſtinctus.

POſtquàm de purgatione Canonicâ dictum eſt, ſequitur aliquid dicendum de purgatione vulgari, quæ purgatio à Vulgo olim erat ſuperſtitiosè introducta, ut purgatio per ferrum candens, aut per aquam ferventem fieret; quę inſtrumenta ſi purgantem ſe, non lædebant, in judicio civili abſolvebatur Reus, tamquàm innocens. Hæc autem purgatio tamquàm ſuperſtitioſa, & illicita eſt reprobata à Sacris Canonibus: eſt enim tentare Deum, qui nullo pacto compelli poteſt ad patranda miracula, etiam in ſignum, & manifeſtationem Innocentiæ.

De hac materia agitur in Decreto Causâ 2. quæſt. 4. cap. *Conſuluiſti*, & aliis in locis.

In 1. cap., quod incipit. *Cura*, ex Cœleſtino III. ſtatuitur, quòd Duella, & aliæ purgationes vulgares, quæ à Vulgo ſuperſtitiosè introductæ fuerunt, ſunt à Sacris Canonibus omninò prohibitæ, utpotè Deum tentantes: imò per eas quandoque Reus, & culpabilis abſolvitur; & innocens à culpa damnatur: nulla enim eſt in eis certitudo.

In 2. cap., quòd incipit. *Significantibus*, ex Innocentio III. ſtatuitur idem, quod in præcedenti capite dictum eſt.

In 3. cap., quod incipit. *Dilecti*, ex Honorio III. ſtatuitur id, quod ſupra in cap. 1. ſtatutum eſt; nempè purgationem vulgarem eſſe omninò illicitam, & à Judice Eccleſiaſtico ſub Cenſura prohibendam, & graviter puniendam. Videatur D.Thom. 2. 2. quæſt. 95. art. 8. ad 3. ubi ſic habet: *Dicendum quòd Judicium ferri candentis, vel aquæ ferventis, ordinatur quidem ad alicujus peccati occulti inquiſitionem per aliquid, quod ab homine fit, & in hoc convenit cum ſortibus, in quantum tamen expectatur aliquis miraculoſus effectus à Deo, excedit communem ſortium rationem; unde hujuſmodi judicium illicitum redditur, tùm quia ordinatur ad occulta judicia, quæ Divino judicio reſervantur, tum etiam quia hujuſmodi judicium non eſt authoritate Divina ſancitum. Unde in decreto Stephani Papę dicitur: Ferri candentis, vel aquæ ferventis examinatione confeſſionem extorqueri à quolibet, Sacri non cenſent Canones &c.*

TITULUS XXXVI.

De Injuriis, & damno dato in 9. cap. diſtinctus.

CUM in ſuperioribus Titulis actum ſit de exceſſibus, ſeu delictis tum Prælatorum, tùm Subditorum: & quia ex his frequenter oriuntur injuriæ, & damna; ideò meritò de iſtis, ſubditur præſens titulus.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 15. quæſt. 1. cap. *Illud*, & Cauſa 23. quæſt. 1. per totum.

In 1. cap., quod incipit. *Si rixati fuerint*, ex Libro Exodi ſtatuitur, quòd ſi quis alium lapide, aut pugno percuſſerit, & ille mortuus non fuerit, ſed jacuerit in lecto, tenebitur percuſſor reſarcire opera illius amiſſa, & expenſas in Medicum: qui enim cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur.

In 2. cap., quod incipit. *Si quis*, ex Libro Exodi ſtatuitur, quòd qui foderit Citernam, & eam non operuerit, ſi Bos, aut Aſinus in eam inciderit, Dominus Citernæ reddet pretium Jumentorum, ſi mortui ſint; caro verò talium Animalium ipſius erit· unuſquiſque enim tenetur ad reſtitutionem ex negligentia culpabili, qualis præſumitur in præſenti caſu.

In 3. cap., quod incipit. *Si Bos*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi aliquis Bos ab heri, vel nudiuſtertius evadat cornu peta, & ejus Dominus ipſum non cuſtodivit, unde

unde alium Bovem occiderit, tenebitur Dominus reddere pretium Bovis mortui ejus Domino, & Cadaver integrum ſibi accipere propter eamdem rationem, ſcilicet ex negligentia notabili, & culpabili.

In 4. cap., quod incipit. *Si læſeris*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi quis immediatè, vel mediatè, ſcilicet ſuo jumento læſerit cujuſpiam agrum, vel vineam, eam damnificando, pro damno æſtimationem reſtituet in pœnam culpæ, aut negligentiæ.

In 5. cap., quod incipit. *Si egreſſus*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi quis accenderit ignem in agro ſuo, & talis ignis damnum attulerit agro vicini, comburendo acervum frugum, aut ſegetes ſtantes in agro, damnum reſtituere tenetur: nàm qui occaſionem damni dat, damnum dediſſe videtur, propter non adhibitam debitam diligentiam.

In 6. cap., quod incipit. *Si quis Domum*, ex Pænitentiali Romano ſtatuitur, quòd ſi quis Domum, vel aream alterius voluntariè incenderit, tenetur reſtituere omnia damna, & per tres menſes pænitere.

In 7. cap., quod incipit. *Olim*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd condemnatio expenſarum pro damno dato ſemper facienda eſt à Judice, taxatione præmiſſa, & Iuramento ſequuto de ſolvenda tali pecunia Creditori: nam expenſæ tantùm reſarciendæ ſunt, quæ fuerunt neceſsariæ, non ſuperfluæ; & ideò per Iudicem, aut per peritos eſt facienda illarum taxatio.

In 8. cap. quod incipit. *In noſtra*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd ſtante Iuramento de non repetendis damnis ſibi ab aliis illatis, poteſt quis de jure prætendere, ut ei reficiantur expenſæ neceſſariæ factæ proptèr talia damna perpeſſa: nam aliud eſt damnum, aliud expenſæ; & ideò unum non extenditur ad aliud.

In 9. cap. quod incipit. *Si culpa tua*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui occaſionem damni dat, damnum dediſſe videtur; undè tenetur damnum alterius reſarcire. Nèc ignorantia excuſat, quia ſcire tenetur ex facto ſuo injuriam poſſe contingere, vel jacturam; & in hoc caſu omnem diligentiam debet adhibere, nè alterius damnum ſequatur: Si autem nihil omiſit faciendum ex parte ſua, ne damnum ſequatur, non eſt ei imputandum, quia ibi non debet eſſe pæna, ubi culpa non præceſſit. Videatur D. Th. 2. 2. qu. 64. per totum Articulum primum, & præcipuè in ſolutione ad 3. ubi ſic ait. *Dicendum, quòd ille qui occidit bovem alterius, peccat quidem, non quia occidit bovem, ſed quia damnificat hominem in re ſua; Vnde non continetur ſub peccato homicidii, ſed ſub peccato furti, vel rapinæ.* Legatur qu. 62. de Reſtitutione per totam Quæſtionem.

TITULUS XXXVII.

De Pœnis, in 13. cap. diſtinctus.

Quia in Superioribus Titulis actum eſt de variis exceſſibus, propter quæ pœnæ à Judice infligi debent: ideò in præſenti proponitur Titulus de Pænis.

De hac materia agitur in Decreto diſt. 23. cap. *Quamquam*, diſt. 81. in multis Capitulis, & Cauſa 12. quæſt. 2. cap. *In antiquis* uſquè ad §. *Verùm id*. Cauſa 16. qu. 1. & 6. quaſi per totum, in 6. lib. 5. Titulo 9. in Clement. lib. 5. Tit. 8. & in extravag. lib. 5.

In 1. cap. quod incipit. *Ea quæ*, ex Concilio Toletano, ſtatuitur, Clericum delinquentem toties debere puniri, quotiès contingit ipſum peccare; undè ſi frequenter peccat, frequenter eſt puniendus: pœna enim correſpondere debet culpæ.

In 2. cap. quod incipit. *Præsbyteri*, ex Concilio Triburienſi, ſtatuitur, pænam pecuniariam, quam recipit Epiſcopus à Reo in pænam delicti, facta compoſitione, non debere ſibi appropriare, ſed in utilitatem Eccleſiæ, aut locorum piorum, aut in Pauperum neceſſitatibus diſtribuere. Cùm enim facta ſit injuria Deo, & Eccleſiæ, iſtis facienda eſt compenſatio.

In 3. cap. quod incipit. *Licet*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd exceſſus Clericorum ſunt puniendi pœna ſpirituali ſecundùm Canones, & non pecuniaria, niſi fortè hæc pœna in Sacris Canonibus ſit impoſita; aut niſi cauſa cognoſcatur ab

eo, qui poteſt in pœnis Canonicis diſpenſare, ut eſt Papa; aut niſi in jure Canonico pro tali crimine non ſit determinata pæna particularis, ſed relicta arbitrio Prælati: tunc ex cauſa rationabili imponi poterit pœna pecuniaria; rarò tamen, & in utilitatem Eccleſiæ.

In 4. cap. quod incipit. *Calumniam*, ex Concilio Turonenſi, ſtatuitur, calumniosè litigantes condemnandos eſſe in expenſis, & ultrà hanc pænam, eſſe condemnandos de calumnia, & pronunciandos tamquam infames.

In 5. cap. quod incipit. *Quod in dubiis*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd non ſolùm ille eſt homicida, qui interficit, ſed etiam ille, qui incitat alium ad interficiendum; unde Sacerdotes, qui gubernant Naves ad pugnam, & qui perſonaliter conflictum exercent, aut horrantur ad pugnandum, ſunt deponendi. Quod tamen ſecundùm Gloſſam intelligendum eſt in bello injuſto; nam in bello juſto, puta contra Turcas, licet non ſit licitum Sacerdoti pugnare, eſt tamen ei licitum hortari ad pugnam.

In 6. cap. quod incipit. *Tuæ diſcretionis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Clerici in latrociniis, vel aliis magnis ſceleribus depræhenſi, debent deponi, & degradati in arctis Monaſteriis ad pænitentiam peragendam detrudi, ut reſipiſcant.

In 7. cap. quod incipit. *Conſtitutus*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi in contractu apponatur pœna contra reſilientes à contractu, ſi utraque pars à contractu reſiliat, utraque pars poteſt exigere pænam à comparte promiſſam; ſicque in tali caſu ſit mutuò compenſatio in pænis.

In 8. cap. quod incipit. *Super his*, ex eodem ſtatuitur, quòd Teſtis ſi in examine vacillaverit, & dictum ſuum variaverit, propter quod fuit detentus, & incarceratus; non propter hoc eſt ipſo jure infamis, niſi convictus fuerit, vel confeſſus de perjurio; nullus enim eſt condemnandus, niſi poſt ſententiam.

In 9. cap. quod incipit. *Suam*, ex eodem ſtatuitur, quòd qui ſe obligavit ſolvere debitum infrà tempus limitatum ſub pænâ taxatâ; ſi de debito illo infrà tale tempus aliquid ſolvat, ſed non totam ſummam, non debet totam pænam ſubire, ſed ſolùm partem correſpondentem parti debiti non ſoluti: nullus enim debet cùm alterius jactura ditari.

In 10. cap. quod incipit. *Ad aures*, ſtatuitur, quòd Clerici occidentes proprium Epiſcopum, ſunt ſpoliandi, tàm ipſi quàm Hæredes omnibus Beneficiis, quæ poſsident, & incapaces ſunt, ut ad eadem reſtituantur, aut nova recipiant.

In 11. cap. quod incipit. *Dilectus*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi aliquis temerè contra Iudicis aſſertionem prorumpat, ſecundùm arbitrium Superioris debet puniri, ne Superioris authoritas vileſcat.

In 12. cap. quod incipit. *In quibuſdam*, ex eodem in Concilio Generali, ſtatuitur, quòd Patroni, Advocati, & Vicedomini Eccleſiarum, ſi uſurpant ſibi de Eccleſiæ Iuriſdictione, aut de ejus Bonis, pluſquàm Iura permittunt; aut ſi proprium Epiſcopum occiderint, amittunt omnia Beneficia, quæ habent, & incapaces ſiunt ad Beneficia Eccleſiaſtica habenda uſque ad quartam generationem.

In 13. cap. quod incipit. *Gravis*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd ſi à Sede Apoſtolica, aut ab Epiſcopo Dominus loci fuerit excommunicatus, ſubditi illius non tenentur ei præſtare fidelitatem: quòd ſi pluries monitus, in tali Cenſura inſordeſcat, & non parverit Eccleſiæ, ſubditi à ſubjectione, & fidelitate ergà eum abſolvuntur. Sic D. Th. 2. 2. qu. 12. art. 2. in Corpore, & in Argumento, ſed contra citat quamdam Decretalem Gregorii VII. ubi ſic habet: *Nos ſanctorū Prædeceſſorum ſtatuta tenentes, eos qui excommunicatis Fidelitate, aut Juramenti Sacramento ſunt adſtricti, Apoſtolicâ authoritate à Sacramento abſolvimus, & ne eis fidelitatem obſervent, omnibus modis prohibemus, quouſque ad ſatisfactionem veniant.* Videatur S. Th. 1. 2. qu. 87. de Reatu pænæ, ubi per octo articulos fusè hanc materiam explicat; ex quo elucidantur quæ in hoc titulo.

TITU-

TITULUS XXXVIII.

De Pœnitentiis, & Remiſſionibus in 16. *capita diſtinctus.*

QUià in Superiori Titulo actum eſt de pœnis, quæ propter delicta imponuntur Reis in Foro judiciali: nùnc ſequitur agendum de pœnis, ſeù Pœnitentiis, quæ imponuntur in foro Pœnitentiali ipſis pœnitentibus: ſed quia hæ pœnitentiæ quandoque ex Indulgentia Superioris Eccleſiaſtici ſolent remitti, vel in totum, vel in partem; ideò ſubnectitur etiam de Remiſſionibus.

Agitur de hac materia in Decreto diſt. 50. cap. *Hi qui Altari*. §. *Sed exemplo*, uſquè ad finem diſtinctionis, & Cauſa 36. qu. 6. & qu. 7. cap. *Si aliquis*, & in Tractat. de Pœnit. per 7. diſt. In 6. lib. 5. Titulo 10. In Clement. lib. 5. Titulo 9. In Extravag. lib. 5.

In 1. cap. quod incipit. *Manifeſta*, ex Alexandro Papa ſtatuitur, quòd Manifeſta peccata non ſunt occultâ correctione, ſed publicâ Pœnitentiâ purganda, & hoc ut ſatisfiat ſcandalo. Clerico autem pœnitentia publica danda non eſt, niſi primò deponatur.

In 2. cap. quod incipit. *Qui Presbyterum*. Ex Concilio Moguntino. Statuitur, Præsbytericidam ſecundùm Canones debere publicè pœnitere ſpatio 12. annorum, & toto tempore vitæ ſuæ Militiæ cingulo carere, & abſque ſpe conjugii manere.

In 3. cap. quod incipit. *Significavit*. ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd qui ſe defendendo, aut ſua, modum exceſſit, mereretur quidem pœnitentiam ſubire, ſed arbitrariam juxta voluntatem Prælati conſiderantis circumſtantias facti, & perſonæ. Mitius enim agitur cum his, qui ex rationabili motivo, vel ex aliqua veluti neceſſitate delinquunt.

In 4. cap. quod incipit. *Quod autem*, ex eodem ſtatuitur, quòd Remiſſiones, ſive Indulgentiæ pœnarum, ſive pœnitentiarum, quæ à Prælatis conceduntur, non proſunt niſi iis, qui ſubditi ſunt talium Prælatorum; ſicut enim Prælatus non poteſt ligare, niſi ſibi ſubditum, ita non poteſt niſi ſibi ſubditum ſolvere; ſicut enim ad ligandum, ità ad ſolvendum requiritur Iuriſdictio.

In 5. cap. quod incipit. *Quod quidam*, ex eodem ſtatuitur, quòd non eſt reſpuenda confeſſio peccatoris, qui accedit ad Confeſſarium cùm animo perſeverandi in peccato mortali. Licet enim talis pœnitens non ſit abſolvendus, eo quòd caret propoſito ſe emendandi; tamen benignè audiendus eſt, & ei conſilium eſt dandum, ut reſipiſcat, & à Deo auxilium petat, ut ei veram contritionem impartiatur, ut poſſit validè confiteri.

In 6. cap. quod incipit. *Licet*, ex eodem ſtatuitur, quòd qui ex Pœnitentiâ ei impoſitâ tenetur jejunare in pane, & aqua, ſi contingat eum non habere panem, poteſt veſci leguminibus, & aliis vilibus cibis: nàm neceſſitas aliquando licitum reddit, quòd alias licitum non eſſet.

In 7. cap. quod incipit. *Quæſitum eſt*, ex Clemente III. ſtatuitur quòd Præsbyteri Græci, qui utuntur Matrimonio in Minoribus Ordinibus contracto, ſi contingat, quòd opprimant Filios ſuos in lecto, vel ſtudioſè negligentes ſint, taliter quòd ſequatur eorum oppreſſio in Cunis, ab Officio Altaris debent perpetuò abſtinere, ſi crimen occultum ſit; ſi autem ſit publicum, debent agere pœnitentiam publicam, ſed non ſolemnem ob reverentiam Ordinis Sacerdotalis: ad ſolemnem autem tenerentur, ſi voluntariè illos occiderent; tunc enim ſuppoſita degradatione traderentur brachio Sæculari, ut ſolemniter pœniterent.

In 8. cap. quod incipit. *Deus qui*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd Pœnitentia à diſcreto Confeſſario, aut Prælato, non tàm ſecundùm quantitatem exceſſus, quam ſecundùm pœnitentis conſtitutionem eſt moderanda, penſatâ etiàm qualitate perſonæ, aliiſque circumſtantiis: hæc enim omnia conſideranda ſunt à Confeſſario, ut prudenter, & utiliter pœnitentias imponat.

In 9. cap. quod incipit. *Officii*, ex eodem ſtatuitur, quòd audiri quidem debet Confeſſio Mulieris conjugatæ, quæ nullum

nullum habens Filium, ſibi alienum partum ſuppoſuit, nec vult hoc Marito detegere; audiri quidèm debet in confeſſione, & ei imponi debet debita pænitentia, cum obligatione tamen ſatisfaciendi veris Hæredibus, eo meliori modo quo poterit, abſque jactura ſuæ famæ: ſicut à ſimili dicitur de Muliere conjugata, quæ concepit, & peperit Filium ex adulterio.

In 10. cap. quod incipit. *Nova*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Abbatiſſa non poteſt nec ſolemniter benedicere proprias Moniales, nec earum confeſſiones audire, aut Evangelium publicè legere in Eccleſia, & prædicare. Ad hoc enim requiritur poteſtas Clavium, quæ poteſtas nullo modo data eſt ſexui Fæminino, ſed Maſculino, ſcilicet Apoſtolis.

In 11. cap. quod incipit. *Quod in te*, ex eodem, ſtatuitur, quòd tempore generalis interdicti non eſt deneganda moribundis pœnitentia, & Viaticum. Secundò ſtatuitur, quòd Clerici, qui ſervarunt interdictum, poſſunt cùm ſilentio in Cæmeterio ſepeliri. Tertiò, ſtatuitur, quòd in Eccleſiis Conventualibus tempore interdicti Clerici, vel Religioſi januis clauſis, non pulſatis Campanis, & ſubmiſſa voce poſſunt officium diurnum perſolvere bini, aut trini, privatim tamen, & non ſolemnitèr. Quartò Crueeſignatis, & Peregrinis tempore interdicti non eſt deneganda pœnitentia, ſicut etiam Viaticum in periculo mortis.

In 12. cap. quod incipit. *Omnis*, ex eodem in Concilio Lateranenſi, ſtatuitur, quemlibet doli capacem teneri ſaltem ſemel in anno confiteri proprio Parocho, vel alteri de ejus aſſenſu. Et ſimiliter ſtatuitur, quemlibet teneri ſaltem in Paſchate recipere Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, niſi legitimè fuerit impeditus.

In 13. cap. quod incipit. *Cùm infirmitas*, ex eodem, ſtatuitur, Medicos ad Infirmos vocatos quam maximè debere monere Infirmum de confeſſione facienda, & præcipuè ſi infirmitas ſit pericuſoſa.

In 14. cap. quod incipit. *Cùm ex eo*, ex eodem in eodem Concilio ſtatuitur. Primò quæſtores eleæmoſynarum non eſſe admittendos, niſi habeant literas Teſtimoniales Papæ, aut Ordinarii. Secundò tales debere eſſe modeſtos, & ab expenſis ſuperfluis alienos. Tertiò in Dedicatione Eccleſiarum Epiſcopos poſſe concedere Indulgentiam unius anni: in Anniverſario autem Dedicationis, & in aliis urgentibus occaſionibus poſſe concedere tantùm Indulgentiam 40. dierum, & non ultra. Alias autem Indulgentias ſolus Papa concedere poteſt.

In 15. cap. quod incipit. *Noſtro*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd Archiepiſcopus poteſt in tota ſua Provincia concedere Indulgenrias ſecundùm formam Concilii Generalis Lateranenſis in proximo ſuperiori capite allatam.

In 16. cap. quod incipit. *Ne pro dilatione*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd non ſolùm Epiſcopi, & alii Majores Prælati, ſed etiam Prælati minores, dummodò ſint exempti, ut Prælati Religionum poſſint ſine licentia ſuorum Superiorum ſibi eligere diſcretum Confeſſorem. Hoc enim Privilegium conceditur eis ratione juriſdictionis Spiritualis. Videatur D.Th. in 4. ſent. diſt. 14. q. 1. art. 5. in corpore ubi ſic ait. *Aliqua pænitentia debet eſſe publica, & ſolemnis propter quatuor. Primò, ut peccatum publicum publicam habeat medicinam. Secundò quia maxima confuſione eſt dignus etiam in hoc mundo, qui graviſſimum ſcelus commiſit. Tertiò ut ſit aliis ad terrorem. Quartò ut ſit ad exemplum pænitendi, ne deſperent, qui in gravibus peccatis detinentur.* Et in ſolutione ad 3. quæſtiuncul. addit, quòd *pænitentia ſolemnis poteſt imponi viris, & mulieribus, ſed non Clericis propter ſcandalum &c.* Legatur per totam quæſt. & in diſt. 15. qu. 1. de ſatisfactione per totam quæſt. ex quibus elucidantur quæ in hoc articulo.

TITULUS XXXIX.

De Sententia excommunicationis, in 60. cap. diſtinctus.

POſtquàm in ſuperiori Titulo dictum eſt de Pœnis, & Pœnitentiis, quæ propter crimina imponuntur Clericis in Foro contentioſo, inter quas pœnas, ſeu Cenſurâs primum locum obtinet Excommunicatio, quæ privat hominem uſu tàm activo, quàm paſſivo Sacramentorum: ideo de excommunicatione in hoc Titulo tractabitur.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 9. q. 1. & 2. & Cauſa 12. q. 9. per totum, & Cauſa 33. qu. 1. 2. & 3. In 6. lib. 5. Titulo 11. In Clementin. lib. 5. titulo 10. In Extravag. lib. 5.

In 1. cap. quod incipit. *Super*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd ſi Clerici ante annos pubertatis ſe ad invicem percuſſerint, incurrunt quidem excommunicationem, ſed ab eâ poſſunt abſolvi à propriis Epiſcopis, quia eos ætas excuſat: ſi autem Clerici etiam in majori ætate conſtituti ſe joco percuſſerint, non odio, invidiâ, aut indignatione, non incidunt in excommunicationem; ſicut nec Magiſter percutiens Diſcipulum, nec Pater Filium zelo diſciplinæ, aut correctionis. Si autem percuſſio facta Clerico ſit ex odio, percutiens eo ipſo incidit in excommunicationem Papæ reſervatam.

In 2. cap. quod incipit. *Monachi*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi contingat, Monachos, vel Canonicos Regulares ad invicem ſe percutere, eorum abſolutio pertinet ad eorum Superiorem, ſcilicet Abbatem; quòd ſi Abbas recuſet eos abſolvere, poterunt abſolvi ab Epiſcopo loci.

In 3. cap. quod incipit. *Si verò*, ex eodem, ſtatuitur. Primò, quòd ſi Oſtiarius percuſſerit, leviter tamen, Clericum volentem violenter ingredi, incurrit quidem excommunicationem, ſed poterit ab Epiſcopo abſolvi. Secundò ſi Officialis animo deliberato manus violentas in Clericum injecerit, talis excommunicatus à Papa erit abſolvendus. Tertiò qui Clericum leviter percutit, vim vi repellendo, non incurrit excommunicationem. Quartò nec ille erit excommunicatus, qui ſtatim Clericum percuſſerit turpiter inventum cùm uxore, matre, ſorore, aut filia; ſecùs autem ſi eum invenerit cùm remotâ, licet conſanguineâ.

In 4. cap. quod incipit. *Si verò*, ex eodem ſtatuitur, quòd percutiens Clericum, probabiliter ignorans talem eſſe Clericum, non incurrit excommunicationem. Tenetur tamen probare juramento hanc ignorantiam; quòd ſi recuſet, habebitur tamquàm excommunicatus.

In 5. cap. quod incipit. *Non dubium eſt*, ex eodem ſtatuitur, quòd percutiens Clericum, vel Religioſum, ſtatim incidit in excommunicationem, à qua abſolvi non poteſt niſi à Papa, excepto mortis articulo; in quo à quolibet Sacerdote abſolvitur.

In 6. cap. quod incipit. *Mulieres*, ex eodem ſtatuitur, quòd Mulieres, quæ incidunt in excommunicationem propter percuſſionem Clerici, abſolvi poſſunt ab Epiſcopo, ſicut etiam impuberes, aut aliæ perſonæ nimis delicatæ complexionis, quibus non eſt facilis acceſſus perſonalis ad Papam, ab eodem abſolvi poſſunt: ſecùs autem qui facilè poſſunt ad Papam recurrere, debent ſaltem ab eo petere facultatem. Quod dicitur de percutiente, intelligitur etiam de mandante, percuſſione tamen ſecutâ.

In 7. cap. qnod incipit. *Porrò*, ex eodem ſtatuitur, quòd prædicta excommunicatio, quæ incurritur per percuſſionem Clerici, licet fuerit occulta, non abſolvitur, niſi per Papam: eſt enim ei reſervata.

In 8. cap. quod incipit. *Nulli*, ex eodem ſtatuitur, quòd etiam Privilegiati tenentur vitare publicum Clerici percuſſorem; Privilegium enim non extenditur ultra fines Privilegii.

In 9. cap. quod incipit. *Parochianos*, ex eodem, ſtatuitur, quòd percutiens publicè Clericum, vel Religioſum, debet ab Epiſcopo denunciari, & declarari publicè excommunicatus, ut ab aliis poſſit vitari: eſt enim excommunicatus

tus vitandus, & non toleratus.

In 10. cap. quod incipit. *Ex tenore*, ex eodem ſtatuitur, quòd excommunicatus, eo quod injecit violentas manus in Clericum, antequàm abſolvatur, tenetur jurare de ſtando mandato Eccleſiæ, vel Epiſcopi, ſcilicet jurando, & promittendo, ſe ultra non percuſſurum aliquem Clericum, vel Monachum, niſi fortè ſe defendendo cùm moderamine inculpatæ tutelæ, vel ex mandato rationabili Prælati, ſcilicet ad correctionem, vel causâ diſciplinæ: in his enim caſibus excommunicatio non incurritur, ut dictum eſt.

In 11. cap. quòd incipit. *De cætero*, ex eodem, ſtatuitur, quòd excommunicatus propter percuſſionem Clerici, ſi ſit impeditus, ne poſſit ad Apoſtolicam Sedem accedere, poterit abſolvi ab Epiſcopo, facto juramento in forma Eccleſiæ, ut dictum eſt, cui ab Epiſcopo debet imponi, ut quamprimùm poterit, adeat Summum Pontificem, mandata illius recepturus,

In 12. cap. quod incipit. *Ad hæc*, ex Urbano III. ſtatuitur, quòd ſi Papa delegat alteri abſolutionem excommunicati propter percuſſionem Clerici, vel Monachi, debet mandare Delegato, ut à tali excommunicato exigat antè abſolutionem juramentum, vel cautionem de parendo mandatis Eccleſiæ.

In 13. cap. quod incipit. *Ea noſcitur*, ex Clemente III. ſtatuitur, quòd excommunicatus propter percuſſionem Clerici, ſive ſit dives, ſivè pauper, Laicus, vel Clericus, debet abſolvi per Papam, ſecus dicendum de Muliere, de ſene, de infirmo, aut mutilato, qui ad Urbem accedere non poſſunt; iſti enim abſolvuntur à propriis Epiſcopis.

In 14. cap. quod incipit. *Cùm non ab homine*, ex eodem ſtatuitur, quòd qui Clericum percuſſerit, eo ipſo eſt excommunicatus; & ſi aliàs percuſſio non fuerit occulta, talis excommunicatus eſt vitandus, etiamſi non præceſſerit denunciatio, vel declaratio per Cedulones. Interficiens autem Clericum, qui contempto habitu Clericali, ſe immiſcet in enormitatibus, excommunicatus non eſt: talis enim Clericus amittit Privilegium Canonis; nàm eo abutitur.

In 15. cap. quod incipit. *Cùm deſideres*, ex eodem, ſtatuitur, quòd non debemus communicare cùm excommunicato propter percuſſionem Clerici, antequàm fuerit abſolutus, etiamſi juraverit ſe ſtare mandatis Eccleſiæ; ſicut cùm eo, de quo eſt fama, quòd ſit excommunicatus propter percuſsiouem Clerici, ſi priùs non ſe purgaverit à tali fama.

In 16. cap. quod incipit, *Veniens*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Clericus, vel Sacerdos ejiciens violenter ab Eccleſia alium Clericum turbantem Divina Officia, non incurrit excommunicationem, ſi hoc faciat zelo Divini honotis, & non paſſione vindictæ; quod etiam eſt dicendum de Laico Miniſtro Eccleſiæ ejiciente ab Eccleſia ejus prophanatorem, etiamſi ſit Clericus.

In 17, cap. quod incipit. *Pervenit*, ex eodem, ſtatuitur, quòd percutiens leviter Clericum, abſolvi poteſt ab Epiſcopo: ſecùs ſi percuſſio ſit gravis, vel enormis, & injuria illata, ſit notabilis ratione circumſtantiarum, quod ab Epiſcopo eſt judicandum.

In 18. cap. quod incipit. *Significavit*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſcienter, & ſpontè participans cùm excommunicato à Papa nominatim, participando cùm eo in crimine criminoſo, eamdem excommunicationem majorem incurrit, nec poteſt abſolvi niſi à Papa: nam participantes in eodem crimine, pari pœna puniuntur.

In 19. cap. quod incipit. *Tua nos*, ex eodem, ſtatuitur, quòd non ſolùm excommunicati propter percuſſionem Clerici, ſed etiam excommunicati tamquàm incendiarii, non ſunt abſolvendi niſi à Papa; poſtquàm tamen conſtiterit eos fuiſſe incendiarios, & pro talibus declaratos.

In 20. cap. quod incipit, *Ad eminentiam*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Legati de Latere facultatem habent à Papa abſolvendi excommunicatos propter percuſſionem Clerici, aut Monachi &c. facto tamen juramento, ut dictum eſt.

In 21. cap. quod incipit. *A nobis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd excommuni-

catio

catio lata verbis generalibus non ligat niſi Subditos excommunicantis; undè ſi Epiſcopus proferat excommunicationem ſub hac forma. *Qui furtum fecerit in Eccleſiâ, ſit ipſo facto excommunicatus*, hæc non ligat, niſi ipſius Subditos, nàm eſt actus juriſdictionis, quæ non extenditur ad alienos.

In 22. cap. quod incipit. *Conquæſti ſunt*, ex eodem, ſtatuitur, quòd effractores Eccleſiarum,& earum ſpoliatores ſunt ipſo facto excommunicati; & pro talibus declarati, non poſſunt abſolvi niſi à Papa.

In 23. cap. quod incipit. *Perpendimus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd percutiens, vel etiam occidens Clericum, qui dimiſſo habitu, & tonſurâ, ſe immiſcuit enormitatibus, non eſt excommunicatus, quia amiſit Privilegium Clericale, eo quòd à ſuo ſtatu apoſtataverit, eò vel maximè, ſi ter admonitus ab Epiſcopo, non reſipuerit.

In 24. cap. quod incipit. *Univerſitatis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Abbas, qui per Laicum præcipit percuti Monachum ſuum ſubditum, etiam cauſâ diſciplinæ, incurrit excommunicationem, tàm ipſe mandans, quàm Laicus executor; quia diſciplina regularis per Laicum imponi non debet, ſed vel per ipſum Abbatem, vel Monachum, vel per Clericum ad id deputatum.

In 25. cap., quod incipit. *In audientia*, ex eodem ſtatuitur, quòd Clericus incedens ut laicus, ſcilicet ſine habitu, & tonſurâ, tertiò ab Epiſcopo monitus, non reſipiſcens, amittit Privilegium Canonis, quia fruſtrà legis implorat auxilium, qui committit in legem.

In 26. cap., quod incipit. *Quod de his*, ex eodem ſtatuitur idem, quod ſupra ſtatutum eſt in cap. 11., ſcilicet excommunicatum propter percuſſionem Clerici, impeditum accedere ad Sedem Apoſtolicam, poſſe ab Epiſcopo abſolvi, cùm hac obligatione, ut ceſſante impedimento, teneatur Papam adire, ſuſcepturus Apoſtolica mandata.

In 27. cap., quod incipit. *Cum pro cauſa*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd excommunicatus propter duplicem cauſam, puta quia Clericum percuſſit, & quia ipſum percuſſit in Eccleſia, ſi pro abſolutione obtinendâ unam tantùm cauſam exprimat, ab excommunicatione propter illam tantùm abſolvitur, non verò ab alia excommunicatione, qua erat innodatus ex alia cauſa, puta quia violavit immunitatem Eccleſiæ.

In 28. cap., quod incipit. *A nobis*, ex eodem ſtatuitur, quòd excommunicatus decedens in excommunicatione, non eſt ſepeliendus in loco ſacro, nec eſt orandum pro ipſo. Si autem ante mortem dederit evidentia ſigna contritionis, eſt poſt mortem abſolvendus ab eo, à quo poterat vivus abſolvi, & ad ſatisfaciendum pro eo, Hæredes ſunt compellendi. Ex quo apparet, quod aliquis in judicio Dei poteſt eſſe abſolutus per contritionem, & in judicio Eccleſiæ ligatus: aliud eſt enim judicium Poli, ſcilicet Dei, qui inſpicit internum; aliud Fori, quod reſpicit externum.

In 29. cap., quod incipit. *Nuper*, ex eodem ſtatuitur, quòd Laicus detinens Clericum, vel Monachum in cuſtodia, vel vinculis; etiamſi ipſum non percutiat, excommunicationem incurrit, quia talis detentio violenta eſt, & contra immunitatem Perſonæ Eccleſiaſticæ. Qui autèm communicat cum excommunicato in crimine, propter quod eſt excommunicatus, eamdem incurrit excommunicationem; nec poteſt abſolvi, niſi facto juramento de ſatisfaciendo: ſi autem non communicavit in crimine, ſed in aliis temporalibus, erit excommunicatus minori excommunicatione nulli reſervatâ.

In 30. cap., quod incipit. *Quod in dubiis*, ex eodem ſtatuitur, quòd cùm excommunicato majori excommunicatione nullus poteſt communicare præter perſonas exceptas, quæ hoc carmine comprætenduntur.

Utile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.

Aliàs qui cum ipſo communicant, incurrunt minorem excommunicationem; ſi tamen non communicent in crimine criminoſo, ut dictum eſt: quia tunc eâdem ligantur majori excommunicatione, ſicut etiam erit excommunicandus majori excommunicatione, communicans cum excommunicato vitando, ſi admonitus non

 deſi-

deſiſtat à tali communicatione. Similiter ſtatuitur, quòd juramentum, quod præſtatur ab excommunicato de ſtando mandatis Eccleſię, non habet vim abſolutionis, ſed abſolutionem neceſſariò præcedit.

In 31. cap., quod incipit. *Inter alia*; ex eodem ſtatuitur, quòd quilibet tenetur vitare nominatim excommunicatum, exceptis illis perſonis, quæ ante excommunicationem erant illi obligatæ ad obſequium, & ſervitutem domeſticam; ut Uxor, Filii, Famuli &c. Alii verò non poſſunt cum excommunicato communicare, niſi urgente neceſſitate. Nullus tamen debet cum eo communicare in crimine; aliàs incurret eamdem excommunicationem.

In 32. cap., quod incipit, *Cùm illorum*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi ſcienter excommunicatus recipiat Ordines in excommunicatione, ſi eſt Clericus Sæcularis, ab Epiſcopo eſt deponendus; ſi verò Regularis, eſt ſuſpenſus ab executione Ordinis. Si autèm non ſcienter, ſed ignoranter ignorantiâ Juris, aut facti circa excommunicationem, fuerit ordinatus, ſi eſt Clericus Sæcularis, diſpenſat cum eo ſolus Papa; ſi Regularis, dummodo talis ignorantia ſit probabilis, & factum non ſit grave, diſpenſat cum eo Abbas, ſeu proprius Prælatus.

In 33. cap., quod incipit. *De monialibus*, ex eodem ſtatuitur, quòd Monialis ſi percutiat aliam Monialem, ſeu Clericum Sæcularem, aut Regularem, ſeu Converſum, incidit quidèm in excommunicationem, ſed ab Epiſcopo loci poterit abſolvi.

In 34. cap., quod incipit. *Si verò*, ex eodem ſtatuitur, quòd ab excommunicatis poteſt exigi, & recipi à creditoribus, quod debent, non enim debet excommunicatus commodum reportare ex crimine, propter quod eſt excommunicatus; unde Creditor poteſt excommunicatum compellere ad ſolvendum: neceſſitas enim, & juſtitia excuſant in tali communicatione.

In 35. cap., quod incipit. *Vt fama tua*, ex eodem ſtatuitur, quòd Prælatus poteſt, imò debet Clericum ſibi ſubditum, aliàs contumacem, & incorrigibilem incarcerare per Miniſtros laicos abſque ſcrupulo excommunicationis: hoc enim fit de licentia, & mandato Judicis Eccleſiaſtici; unde non læditur immunitas perſonæ.

In 36. cap., quod incipit. *Contingit*, ex eodem ſtatuitur, quòd excommunicationem incurrit ille, qui percutit Clericum volentem percuti, etiamſi hoc faciat in ſatisfactionem præcedentis injurię, non enim poteſt Clericus renunciare Privilegio Clericali, cùm non ſit Privilegium conceſſum tali Perſonæ, ut tali, ſed conceſſum Ordini, ſeu ſtatui Clericali.

In 37. cap., quod incipit. *Relatum*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Servus alicujus percutiat Clericum, tenetur regulariter loquendo, recurrere pro abſolutione ad Sedem Apoſtolicam; ſecus ſi hoc fecit ex fraude, ut ſe ſubtrahat à ſervitio Domini; & aliàs Dominus, qui non fuit in culpa talis percuſſionis, pateretur grave damnum ex illius abſentia, in tali enim caſu poterit abſolvi ab Epiſcopo loci.

In 38. cap.; quod incipit. *Sacris*, ex eodem ſtatuitur, quòd qui incurrit excommunicationem, eo quòd communicavit cum excommunicato majori excommunicatione, non cenſetur per hoc abſolutus, ſi talem excommunicatum impugnet: hoc enim non ſufficit, ſed requiritur pro eo actus abſolutionis, nec ſufficit retractatio prioris communicationis.

In 39. cap., quod incipit. *Sicut*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſemel excommunicatus notorius debet vitari quouſq; probet evidenter, & legitimè, ſe fuiſſe abſolutum: nam poſſeſſio ſtat pro excommunicatione.

In 40. cap., quod incipit. *Per tuas*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi excommunicatus ab Epiſcopo appellet ad Metropolitanum, poteſt quidèm à Metropolitano, prævià reviſione cauſæ abſolvi; deberet tamen Metropolitanus ſuo Suffraganeo deferre, ipſum remittens ad eumdem, ut ab ipſo abſolvatur. Si autem crimen, propter quod fuit excommunicatus, eſt manifeſtum, non eſt Reus à Metropolitano audiendus, ſi velit probare, ſe fuiſſe injuſtè excommunicatum: ſecus ſi ſolùm probet, ſententiam fuiſſe nullam.

In 41. cap., quod incipit. *Si aliquan-*

quandò, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Papa ſuis literis aliquem excommunicatum ſalutet;non propter hoc eſt habendus talis excommunicatus pro abſoluto:nam ad hoc requiritur actus poſitivus abſolutiònis.

In 42. cap., quod incipit. *Officij*; ex eodem ſtatuitur, quòd ſi aliquis fuerit excommunicatus à pluribus Prælatis propter diverſas cauſas, & uni tantùm ſatisfactionem dederit, ſi ab eo petat abſolutionem, negari debet; ſi aliàs Epiſcopus ille ſciat, hunc eſſe irretitum pluribus aliis excommunicàtionibus: ſi autem detur abſolutio ab excommunicatione, valebit pro illâ causâ tantùm, remanentibus aliis excommunicationibus, unde cum eo non erit communicandum, quouſque ab omnibus abſolvetur.

In 43. cap., quod incipit. *Reſponſo*, ex eodem ſtatuitur, quòd licitum eſt excommunicatis, & interdictis prædicare Verbum Dei, ſicut etiam miniſtrare Sacramentum Baptiſmi, & Confirmationis tempore Interdicti Generalis, & Pænitentiæ in mortis periculo.

In 44. cap., quod incipit. *Inquiſitioni*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Conjux certò ſciat impedimentum dirimens Matrimonium nulliter contractum, quod revelare nequeat,niſiConfeſſario,non poteſt nec petere debitum, nec reddere, quouſque recipiat diſpenſationem: quòd ſi interim excommunicetur abEpiſcopo,ad effectum ut debitum reddat Marito, debet potius ſuſtinere excommunicationem, quàm mortaliter peccare. Si autem non ſit certa de tali impedimento, ſed ſolùm probabiliter dubitet, quia poſſeſſio ſtat pro Matrimonio, poteſt reddere, ſed non petere. Si autem hoc ſuſpicetur ex levi fundamento, depoſito ſcrupulo, tenetur reddere, & petere poteſt.

In 45. cap., quod incipit. *Contingit*, ex eodem ſtatuitur, quòd Clericus, per hoc quòd incedat ſine habitu, & tonſurâ, non ſtatim amittit Privilegium Clericale, ſed ultra requiritur, quòd ſit ter admonitus ab Epiſcopo; & ſi non reſipuerit, tale privilegium amittit, quia meretur privilegio privari, qui admonitus, Privilegio abutitur.

In 46. cap., quod incipit. *In præſentia*, ex eodem ſtatuitur, quòd non eſt admittendus à Judice ille, qui aliquem denunciat excommunicatum, quem prius charitativè non præmonuit, ut debebat, vel cum eodem communicavit in menſa, & Divinis Officiis: non enim poteſt reprobare mores illius, quem prius probavit.

In 47. cap., quod incipit. *Quantæ*, ex eodem ſtatuitur, quòd non ſolùm injicientes manus violentas in Clericum ſunt excommunicati, ſicut etiam mandantes, ſed etiam qui dolosè permittunt talem percuſſionem, quam poterant prohibere, aut impedire, ſi ex Officio tenebantur; hi enim videntur, conſentire: agens autèm, & conſentiens pari pœna puniuntur.

In 48. cap., quod incipit. *Sacro*, ex eodem in Concilio Generali ſtatuitur, 1. Prælatum non debere Subditum excommunicare, niſi monitione præmiſsâ; excommunicatio enim ferenda eſt in contumacem, & inobedientem. 2. ſtatuitur, Prælatum non debere excommunicare Subditum, niſi ex cauſa gravi, manifeſtâ, & rationabili; & ſi contrafaciat eſt puniendus per ſuſpenſionem per menſem ab ingreſſu Eccleſiæ. 3. Si Prælatus injuſtè excommunicaverit, & talis excommunicatus recurrerit ad Superiorem, conſtito de injuſtitia, abſolvetur à Superiore, & injuſtus excommunicator condemnabitur in expenſis, & aliis pœnis arbitrariis. 4. Si Prælatus prædictus ſuum recognoſcens errorem de ſententia excommunicationis injuſtè latâ, velit talem revocare ſententiam, & ille, in cujus favorem lata eſt ſententia prædicta, ſi illi opponat, appellando ad Superiorem pro manutentione ſententiæ; in hoc caſu excommunicatus, datâ cautione de ſtando mandatis Judicis Superioris, poterit abſolvi: & ſi appellans defecerit in probationibus, condemnabitur in expenſis, & aliis pœnis arbitrariis juxta gravitatem cauſæ, nè ſcilicet crimina remaneant impunita.

In 49. cap., quod incipit. *Noverit*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd omnes Hæretici cujuſcumque Sectæ, eorum fautores, conſiliarii, receptores, & auxiliantes ſunt eo ipſo excommunicati: ſicut etiam omnes violatores Eccleſiaſticæ Libertatis, & eorum edicta, ſtatuta, leges, & de-

& decreta revocantur omninò, & nulla eſſe decernuntur: ſunt enim contra Jus Divinum, & Canonicum,

In 50. cap., quod incipit. *Canonica*, ex eodem ſtatuitur, quòd Fratres Hoſpitalis Hieroſolymitani ſi incidant in excommunicationem propter percuſſionem Clerici, vel alicujus ex Confratribus, poterunt abſolvi per eorum Priorem, niſi percuſſio fuerit graviſſima, & enormis. Tunc enim erit recurrendum ad Sedem Apoſtolicam.

In 51. cap., quod incipit, *Super eo*, ex eodem ſtatuitur, quòd licèt excommunicatus regulariter abſolvi non debeat ſine prævio juramento in forma Eccleſiæ, ut dictum eſt; tamen ſi juramentum ſine ſcandalo haberi non poſſit, attentis circumſtantiis, poterit aliquando abſolvi abſque eo, cum promiſſione tantùm verbali; non enim juramentum eſt de ſubſtantia abſolutionis excommunicati, ſed ſolùm ad cautelam, & aliàs à ſeveritate juris, aliquando penſatis circumſtantiis, detrahendum eſt.

In 52., quod incipit, *Venerabili*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi dubitetur de validitate ſententiæ excommunicationis jam latæ, taliter excommunicatus appellans ad Superiorem, poterit interim abſolvi ab eo ad cautelam, præſtito juramento de ſtando mandatis Eccleſiæ.

In 53. cap., quod incipit. *Gravem*, ex eodem ſtatuitur, quòd monitione præmiſsâ, excommunicandi ſunt Officiales, vel Miniſtri laicæ poteſtatis, qui edicta, vel ſtatuta publicant contra Eccleſiaſticam libertatem.

In 54. cap., quòd incipit. *Cum voluntate*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, 1. quòd ille, qui communicat cum excommunicato cùm intentione eum convertendi, & pro ſalute ſuæ animæ, excommunicationem minorem non incurrit, etiamſi alios ſermones intermiſceat: nam prima voluntas, & principale intentum dat ſpeciem operationi. 2. ſtatuitur, quòd Prædicatores miſſi ad excommunicatos, vel ad Uſurarios, & ad alios ſimiles pro eorum converſione, poſſunt ab eis eleæmoſynas recipere, eò vel maximè ſi non habeant aliundè, undè poſſint ſuſtentari. 3. ſtatuitur, quòd ſi Rectores Eccleſiarum, vel alii Seniores zelo correctionis leviter percutiant Clericos in minoribus conſtitutos, turbantes clamoribus, & inſolentiis Divina Officia, non incurrunt excommunicationem: nec Parentes, aut Magiſtri verberantes causâ diſciplinæ, & correctionis Filios Clericos in minoribus conſtitutos; non enim illos percutiunt ſuadente Diabolo.

In 55. cap., quòd incipit. *Si Concubina*, ex eodem ſtatuitur, quòd communicans cum excommunicato in eodem crimine, propter quod fuit excommunicatus, eâdem excommunicatione ligatur, unde ſi Concubina alicujus Clerici propter concubinatum excommunicetur, Clericus perſevèrans cum ea in tali crimine, eamdem cenſuram incurrit; dicitur enim participans in crimine crimìnoſo; ſecus ſi poſt talem excommunicationem participaret cum ea in locutione, & non in crimine; tunc enim incurreret tantum minorem excommunicationem.

In 56. cap., quod incipit, *Duobus*, ex eodem ſtatuitur, quòd ligatus minori excommunicatione poteſt abſolvere excommunicatum; ſi aliàs talis excommunicatio non ſit ab homine, vel reſervata Superiori: nam minor excommunicatio non privat uſu activo, ſed tantùm paſſivo Sacramentorum.

In 57. cap., quod incipit. *Permittimus*, ex eodem conceditur, quòd Rectores Eccleſiarum tempore Interdicti poſſint celebrare in ſuis Eccleſiis ſemel in ſeptimanâ, excluſis tamen excommunicatis, & interdictis, & Januis clauſis; & hoc ad effectum renovandi Sacramentum pro Infirmis. Notandum tamen ex Gloſſa, quòd hodiè conceſſum eſt ſingulis Clericis celebrare quotidie tempore Interdicti Januis clauſis, excommunicatis, & interdictis excluſis, ut habetur in 6. eodem tit. cap. *fin.* §. *Adjicimus*.

In 58. cap., quod incipit, *Quamvis*, ex eodem ſtatuitur, quòd qui Clericum percuſſit, quamvis tali Clerico plenè ſatisfecerit pro illata injuria; non tamen propter hoc abſolvi poteſt ab Epiſcopo loci, ſed tenetur ad Apoſtolicam Sedem recurrere pro abſolutione; niſi tamen excuſet,

culet, aut mortis articulus, aut infirmitas, inimicitia, puerilis ætas, ſervitus, fragilitas ſexus, impotentia, ſeu canonicum impedimentum; in quibus caſibus poteſt excommunicatus abſolvi ab Epiſcopo, ſed præſtitâ promiſſione juramento firmatâ, ut impedimento ceſſante, ad Apoſtolicam Sedem accedet, mandatum ipſius humiliter ſuſcepturus.

In 59. cap., quòd incipit. *Si quem*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſententia excommunicationis abſolutè, & ſimpliciter lata, intelligitur de excommunicatione majori, quæ ſeparat excommunicatum à communione Fidelium, & non de minori, quæ tantùm privat uſu paſſivo Sacramentorum: nam Verbum *excommunica* ſtat pro famoſiori ſignificato.

In 60 cap., quod incipit. *Pueris*, ex eodem ſtatuitur, quòd Pueri ſive ante annos pubertatis, ſive poſt, in ætate tamen puerili conſtituti, ſi percuſſerint Clericum, poterunt abſolvi à proprio Epiſcopo abſque obligatione veniendi Romam, cùm ad majorem ætatem pervenerint. Et hoc, quia propter defectum ætatis, in qua fuit commiſſus exceſſus, rigor juris eſt manſuetudine temperandus. Videatur D. Thom. in ſupplemento 3. par. quæſt. 21. de excommunicatione uſque ad 24. incluſivè, ubi fusè hanc materiam pertractat, & in 4. ſententiarum diſt. 18. quæſt. 2., ubi per 4. articulos omnia, quæ in hoc titulo continentur, elucidantur.

TITULUS XL.

De Verborum Significatione, in 33. Cap. diſtinctus.

CUM in hoc quinto libro Decretalium adductæ ſint diverſæ Conſtitutiones Pontificiæ circa Judices, Judicia, Clericos, Matrimonia, & Crimina: ſed quia in his, & aliis Apoſtolicis diſpoſitionibus, & Decretis aliquandò contingit, oriri dubia circa ſignificationem verborum; ideò in fine libri ponitur præſens Titulus.

Agitur de hac materia in 6. lib. 5. Titulo 12. In Clementin. lib. 5. Titulo 11. In Extrav. Joannis XXII. Tit. 24.

In 1. cap. quod incipit. *Innovante*, ex Hieronymo ſuper Oſeam dicitur, quòd Novale eſt ager nunc primùm ad culturam redactus.

In 2. cap. quod incipit. *Nàm ſi Rex &c.* ex eodem Hieronymo ſuper Danielem, dicitur, quòd more Scripturæ Pater, non ſolùm vocatur proximus Pater, ex quo Filius eſt genitus, ſed etiam Avus, Peravus, Abbavus, & omnes alii Aſcendentes; undè Chriſtus dictus eſt Filius David, quia ſecundùm carnem natus eſt ex ejus progenie: ſicut ergò Deſcendentes dicuntur Filii; ità aſcendentes in eâdem lineâ dicuntur Parentes.

In 3. cap. quod incipit. *Nàm & ego*, ex eodem in Parabolis dicitur, quòd Salomon vocat ſe Unigenitum coram Matre ſua, quia licet alium habuerit Fratrem conceptum à matre ex adulterio David, tamen quia ſtatim natus, ſinè nomine quaſi numquàm fuiſſet, è vita deceſſit, ideo ſe Unigenitum dicit, ut Scriptura ait; non enim videtur fuiſſe, quod non duravit.

In 4. cap. quod incipit. *Quod dicitur*, ex eodem ſuper Matthæum oſtenditur, illud adverbium, *Antequàm*, non ſemper eſſe accipiendum pro implicatione à contrario ſenſu, ſed aliquandò ad oſtenſionem rei non factæ; & ita dicente Evangeliſtâ: *Antequàm convenirent*, non ſequitur, ut poſtea convenirent, ſed ſcriptura, quod factum non fuit, oſtendit.

In 5. cap. quod incipit. *Ioſeph*, ex eodem Hieronymo in Matthæum dicitur, verba illa Matthæi, ſcilicet, *Joſeph non cognovit Mariam, donec peperit Filium ſuum Primogenitum*; non eſſe intelligenda à contrario ſenſu, ſcilicet Mariam fuiſſe à Joſeph cognitam poſt ejus partum: nam ly *Donec* explicatur pro eo, quod factum non eſt, ut dictum eſt de ly *Antequàm*; & illud nomen *Primogenitus* non ſemper ſumitur pro eo, qui habet Fratres ſubſequentes, ſed aliquandò in Sacra Scriptura accipitur pro eo, qui eſt primò natus, licet alios non habeat Fratres.

In 6. cap. quod incipit. *Intelligentia*, ex Hilario dicitur, quòd verba Divina

vinæ Scripturæ interpretanda ſunt aliquando non ſecundùm ſenſum grammaticalem, ſed ſecundùm intentionem proferentis, ſeu Spiritus Sancti dictantis; Verba enim accomodanda ſunt intentioni dicentis, non intentio dicentis eſt accomocanda verbis.

In 7. cap. quod incipit. *Nihil*, ex Auguſtino ſuper Matthæum, dicitur, quòd diverſitas narrationis non nocet, dummodò in ſubſtantia rei narratæ ſit convenientia: unde Evangeliſtæ licet diſconveniant in accidentalibus circa operationes proprias Domini, conveniunt tamen in ſubſtantiâ factorum.

In 8. cap. quod incipit. *Propterea*, ex Gregorio, ſtatuitur, quòd in interprætatione Decretalium Romanorum Pontificum, non verbum ex verbo, ſed ſenſum ex ſenſu transferre debemus, quia plerumque dùm proprietas verborum attenditur, ſenſus veritatis amittitur.

In 9. cap. quod incipit. *Quamvis*, ex Iſidoro dicitur, quòd hoc nomen, *Præpoſitus*, licet generaliter ſumptum ſe extendat ad omnes, qui aliis præſunt, propriè tamen, & ſecundùm uſum loquendi eos ſolùm Præpoſitos dicimus, qui quamdam curam Prioratus gerunt ſuper alios: undè in interprætatione verborum attendendus eſt uſus loquendi.

In 10. cap. quod incipit. *Forum*, ex Iſidoro dicitur, *Forum*, nuncupari à fando, eſt enim locus exercendarum litium. Forum autem ex tribus conſtat, ſcilicet Causâ, Lege, & Judicio. Causa, quæ à caſu dicitur, eſt materia, & origo negotii, quod dùm proponitur, cauſa eſt; dùm diſcutitur, Judicium; dum finitur, Juſtitia appellatur. In quolibet autem negotio ad Forum ſpectante quatuor Perſonæ deſiderantur; ſcilicet Actor, Reus, Judex, & Teſtis, non quidèm unus, ſed multiplex. Quæ omnia nomina habent propriam ſignificationem juxta officii qualitatem.

In 11. cap. quod incipit. *Pactum*, ex eodem dicitur, quòd *Pactum* dicitur quaſi ex pace factum: eſt enim Pactum conveniens inter partes ſcriptura, legibus, ac moribus comprobata, qua partes concordant.

In 12. cap. quod incipit. *Jus dictum*, ex eodem oſtenditur, quod *Ius* dictum eſt à jure poſſidendo. Illud autem jure poſſidetur, quod juſtè poſſidetur; illud juſtè poſſidetur, quod benè: illud autem malè poſſidetur, quandò quis poſſidet quod ſuum non eſt; vel ſi ſit proprium, eo malè utitur.

In 13. cap. quod incipit. *Cauſa*, ex Paſchali Papa, ſtatuitur, quòd nomine Oblationis intelligitur omne id, quod à Fidelibus dono traditur Eccleſiæ, ſuper quæ bona oblata Eccleſiæ, nullum jus habere poſſunt Sæculares; incorporantur enim inter bona Eccleſiarum.

In 14. cap. quod incipit. *Quæſivit*, ex Alexandro III. ſtatuitur, quòd unus tantùm Sacerdos cùm uno Clerico, imo ipſe ſolus in caſu neceſſitatis poteſt Sacramentum extremæ Unctionis Infirmo miniſtrare. Similiter decernitur, quòd anno biſeſtili, in quo celebratur Feſtum S. Matthiæ die 25. Februarii, ejus vigilia eſt celebranda die immediatè antecedenti, niſi fortè eſſet dies Dominica, in qua conſuetudo Eccleſiæ in ſignum lætitiæ Reſurrectionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, non permittit commune jejunium.

In 15. cap. quod incipit. *In his*, ex Cœleſtino III. ſtatuitur, quòd per hoc verbum, *Statuo*, aut per hoc verbum, *Præcipio*, à Superiore prolatum in aliquâ causâ, aut negotio, fertur de facto diffinitiva ſententia. Hujuſmodi enim verba ſignificant Internam Judicis ſententiam jàm ſtabilitam, & reſolutam in tali negotio.

In 16. cap. quod incipit. *Olim*, ex Innocentio III. ſtatuitur, quòd verba Privilegii ſunt latiſſimè interpretanda, quantùm verborum ſignificatio permittit; & ſpecialiter in Privilegiis attendenda eſt intentio concedentis.

In 17. cap. quod incipit. *Cùm in partibus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Nomine interdicti generalis non ſolùm venit interdictum, quod eſt latum in Provinciam, vel Regnum, ſed etiam quod eſt latum in Civitatem aliquam, vel Villam, aut Caſtrum, tale interdictum dicitur generale, quia compræhendit omnes illius Villæ, vel Caſtri, & diſtinguitur à perſonali.

In

In 18. cap. quod incipit. *Cùm tibi*, ex eodem, ſtatuitur, quòd nomine Clericorum veniunt non ſolùm ſimplices Clerici, ſed etiam Canonici Eccleſiarum Cathedralium, & ſpecialitèr in favorabilibus, & in his, quæ conformantur juri communi.

In 19. cap. quod incipit. *Cùm Clerici*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Clericus jurans fidelitatem, & obedientiam ſuo Epiſcopo, & Eccleſiæ, ex vi talis juramenti tenetur obedire Epiſcopo principaliter tamquàm capiti, & Capitulo Eccleſiæ Cathedralis, non verò toti Clero illius Diœceſis: nomine enim Eccleſiæ alicujus Diœceſis intelligitur Epiſcopus, & Capitulum Eccleſiæ Cathedralis, ſtat enim Eccleſia pro famoſiori ſignificato.

Iu 20. cap. quod incipit. *Quærenti*, ex eodem, ſtatuitur, quòd nomine Cenſuræ Eccleſiaſticæ intelligitur ſententia excommunicationis, aut ſuſpenſionis, aut interdicti, quàm Judex debet ferre contra contumaces, attentis circumſtantiis rerum, & perſonarum, & qualitate delicti.

In 21. cap. quod incipit. *Quid per Novale*, ex eodem, ſtatuitur, quòd nomine Novalium veniunt illæ terræ, de quarum culturâ non extat memoria, & quæ priùs modicum, aut nullum fructum afferebant; unde meritò de his conceſſum eſt Privilegium aliquibus de non ſolvendis Decimis, etiamſi ad culturam reducantur propriâ induſtriâ, & labore.

In 22. cap. quod incipit. *Venerabili*, ex eodem, ſtatuitur, quòd quandò per Privilegium Apoſtolicum conceditur aliqua Eccleſia, quæ aliàs erat ſubdita Epiſcopo, & conceditur alicui Religioni, cùm hac clauſula, ſcilicet ſalva juriſdictione Eccleſiæ, per Eccleſiam Matricem non intelligitur Eccleſia Romana, ſed Cathedralis illius Diœceſis: undè per illam clauſulam non eximitur à ſubjectione, & obedientia Epiſcopi, niſi aliter exprimatur.

In 23. cap. quod incipit. *Ex parte*, ex eodem, ſtatuitur, quòd excommunicatus, vel interdictus pro crimine manifeſto debet ſatisfacere Eccleſiæ, antequàm abſolvatur: dicitur autem crimen manifeſtum, de quo conſtat vel per confeſſionem Rei, vel per legitimam probationem, vel per rei evidentiam. Si autem crimen ſit dubium, poterit abſolvi ab excommunicatione latâ, præſtitâ tamen priùs cautione de ſtando mandatis Eccleſiæ.

In 24. cap. quod incipit. *Cùm olim*, ex eodem, ſtatuitur idem, quòd ſupra in præcedenti capite.

In 25. cap. quod incipit. *Abbate*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Privilegii verba ſunt taliter interpretanda, ut aliquid ſcilicet operentur in favorem Privilegiati. Si ſint in præjudicium Tertii, vel contra jus commune, in tali caſu verba obſcura Privilegii debent à Judice interpretari in ſenſu ſtricto, & rigoroſo: ſecùs autem ſi non ſint in præjudicium Tertii, vel contra jus commune: tunc enim verba Privilegii ſunt ampliativè explicanda.

In 26. cap. quod incipit. *Super*, ex eodem, ſtatuitur. Primò, quòd nomine manifeſti Hæretici intelligitur ille, qui vel publicè prædicat aliquod, quòd eſt immediatè contra Fidem Catholicam; vel qui errorem hæreticalem publicè pertinaciter defendit; vel qui hæreſim publicè profitetur, aut de hæreſi fuit in judicio convictus. Secundò ſtatuitur, quòd illa Pedagia, guidagia, aut tributa, ſeu onera ſunt prohibita imponi Perſonis Eccleſiaſticis, quæ ſcilicet imponuntur abſquè Romani Pontificis licentiâ, vel niſi adſit conſuetudo inenarrabilis, & centenaria. Tertiò ſtatuitur, quòd cauſæ miſerabilium Perſonarum, ſcilicet Viduarum, Pupillorum, & Orphanorum pertinent ad Forum Eccleſiaſticum, ſi tales Perſonę ad Judicem Eccleſiaſticum recurrant.

In 27. cap. quod incipit. *Novimus*. ex eodem, ſtatuitur, quòd ut Clericus tradatur Curiæ Sæculari, debet priùs propter aliquod grave, & enorme delictum, jam confeſſus, vel convictus à Judice Eccleſiaſtico degradari coram laicâ poteſtate, cui deindè, ſic ſpoliatus omni Privilegio Clericali, traditur puniendus, pro quo tamen Eccleſia tamquàm pia Mater efficaciter intercedit, ut punia-

tur

tur citra mortis periculum. Si autem talem Clericum nolit Judex Eccleſiaſticus conſignare Laico Foro, eum in perpetuum carcerem ad agendam pœnitentiam includet pane doloris, & aquæ anguſtiâ ſuſtentandum, ut commiſſa defleat, & flenda ulterius non committat.

In 28. cap. quod incipit. *Dilecto*, ex Honorio III. ſtatuitur, quòd quotieſcumque Papa aliquid concedit in favorem alicujus, quod eſt in præjudicium Tertii, illud ſtrictè eſt interpretandum; & vel maximè ſi id, quod indulgetur, ſit contra Jus commune.

In 29. cap. quod incipit. *Cùm inter*, ex eodem ſtatuitur, quòd nomine oblationis venit omne id, quod Eccleſiæ offertur; vel offeratur in miſſa, vel extrà, vel in Eccleſia, vel extra. Eſt enim oblatio nomen generale ſignificans omne id, quod quocumque titulo traditur Eccleſiæ.

In 30. cap. quod incipit. *Ex parte*, ex eodem ſtatuitur, quòd illa Clauſula, *Tempore mota litis*, ſignificat quando primò apud Iudicem lis eſt conteſtata inter partes: tunc enim primò eſt inceptum Iudicium.

In 31. cap. quòd incipit. *Ex parte veſtra*, ex eodem ſtatuitur, quòd Conſtitutio Legati de ſolvendâ tertiâ Mortuariorum Epiſcopo, eſt interpretanda de his tantùm mortuariis, in quibus talis tertia pars ei debetur: unde non intelligitur de his, quæ legantur pro ornatu Altarium, vel fabricæ Eccleſiæ, aut prò Eccleſiæ luminaribus, aut prò Miſſis, ſed præcisè de his, quæ ſpectant ad Funeralia, vel Sepulturam.

In 32. cap. quod incipit. *Tua nobis*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Papa concedat alicui Epiſcopo ex rationabili, & juſtâ cauſa Privilegium percipiendi fructus Beneficiorum vacantium in ſua Diœceſi, percipere poteſt, & debet fructus etiàm Præbendarum, & Beneficiorum majorum; nàm etiàm hæc veniunt nomine Beneficiorum: locutio enim indefinita generaliter eſt interpretanda.

In 33. cap. quod incipit. *Tranſmiſſa*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd numerus Canonicorum in Eccleſiis debet correſpondere facultatibus illius: unde ſi augeantur redditus, debet augeri numerus Canonicorum; ſi verò diminuantur, debet eorum numerus moderari. Verbum autèm, *Moderari*, interpretandum eſt prò diminui, non pro augeri.

TITULUS XLI.

De Regulis Juris, in 11. capita diſtinctus.

Quià in Superioribus multa adducta ſunt Iura ſpecialia prò caſibus determinatis, & particularibus, quæ Iura applicari non poſſunt indefinitè ad omnes caſus occurrentes: ideò congruum fuit in fine hujus Operis quaſdam Regulas communes, & generales ſtatuere, ex quarum noritia plures caſus decidi poſſunt.

Agitur de hac materia in 6. in fine, ſcilicet libri, ubi ſtatuuntur 88. Regulæ Juris Canonici, quæ ſunt quædam Univerſalia principia, quibus regulatur, & dirigitur Jus Pontificium, ſive Judex Eccleſiaſticus in ſuo judicio.

In 1. cap. quod incipit. *Omnis*, ex Joanne Chriſoſtomo. Ponitur prima Regula, quæ talis eſt. *Omnis res per quaſcumque Cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur; Omnis enim obligatio, quæ libero voluntatis actu contrahitur, libero voluntatis actu diſſolvitur*. Intelligenda tamen eſt hæc Regula de obligatione temporali, non verò Spirituali, ut de obligatione Sacramentorum, v.g. Baptiſmi, & Matrimonii, quæ Sacramenta liberè contrahuntur, ſed contractu diſſolui non poſſunt; ſunt enim ex ſuâ ratione indiſſolubilia.

In 2. cap. quod incipit. *Eſtote*, ex Beda in homilia deſumitur ſecunda Regula, quæ talis eſt: *Dubia in meliorem partem ſunt interpratanda ſcilicet in partem benigniorem*. Quæ Regula intelligenda eſt de occultis, & de his quæ manifeſta non ſunt. De his enim judicat Deus, & non homo, qui plerùmque in ſuis judiciis decipitur; unde dicitur: *Nolite judicare, & non judicabimini*. De manifeſtis autem licet judicare juxta illud: *ex fructibus eorum cognoſcetis eos*.

In

In 3. cap. quod incipit. *Qui ſcandalizaverit*, ex eodem deſumitur tertia Regula ſcilicet. *Propter ſcandalum evitandum veritas non eſt omittenda. Non enim ſunt facienda mala, ut veniant bona.* Quod tamen eſt intelligendum de his, quæ ab intrinſeco mala ſunt. De his autem quæ ſolùm ſunt mala, quià prohibita jure poſitivo, permitti poſſunt ad evitandum ſcandalum, quod reverà ſcandalum non eſt Phariſaicum, ſed puſillorum.

In 4. cap. quod incipit. *Quod non eſt*, ex eodem deſumitur quarta Regula ſcilicet. *Proptèr neceſſitatem illicitum efficitur licitum.* Communiter enim dicitur, quod *Neceſſitas legem non habet*; ideſt non ſubditur legi, quod probat Beda exemplo Machabæorum, qui non obſtante præcepto de ſanctificando Sabbato, in die Sabbatorum præliabantur.

In 5. cap. quòd incipit. *Quod latenter*, ex Gregorio VII. habetur quinta Regula, ſcilicet: *Illicitè factum obligationem non inducit*: nàm ea, quæ fiunt contra jus, & æquitatem, firmitatem habere non debent, ſunt enim à principio infecta.

In 6. cap. quod incipit. *Cùm in contemplatione*, ex eodem deſumitur ſexta Regula, ſcilicet: *Tormenta, indiciis non præcedentibus, inferenda non ſunt.* Non enim Cauſa à Quæſtionibus eſt inchoanda, ſed ab indiciis, & probationibus, quibus poſtea accedunt tormenta ad conſequendam confeſſionem Rei, vel ſaltem ad purganda indicia, ſi aliàs ſit Innocens.

In 7. cap. quod incipit. *Quæ multoties*, ex Stephano Papa deſumitur ſeptima Regula, ſcilicet: *Quotieſcumque injuſtè læditur res, vel Perſona Deo ſacrata, Sacrilegium committitur*: quia ea, quæ ſunt Deo ſacrata, nefas eſt violare, cùm in eis violetur divina Majeſtas, quæ ſummâ eſt digna reverentiâ, & honore.

In 8. cap. quod incipit. *Qui ex timore*, ex Auguſtino deſumitùr octava Regula, ſcilicet: *Qui facit aliter quam debet, facere non dicitur.* Exemplicat Auguſtinus in eo, qui obſervat præceptum coactè, & ex timore ſervili: Hujuſmodi enim obſervantia non dicitur meritoria apud Deum, qui hominis intuetur Cor: ſecus ſi obſervet ex timore filiali, qui bonus eſt, & ſtat cùm Charitate. Cæterum qui invitus Deo ſervit, & ejus præcepta cuſtodit, & rem perdit, & meritum: Opera ergò legitimè facienda ſunt, & ex Charitate, quòd tamen intelligitur de operibus meritoriis in ordine ad vitam æternam, non verò de operibus bonis moraliter bonitate naturali, quæ poſſunt eſſe talia, etiam abſque charitate.

In 9. cap. quod incipit. *Deſleat*, ex eodem deſumitur nona Regula, ſcilicet. *Committens unum peccatum mortale, Reus eſt omnium quoàd vitam æternam: quia offendens in uno, factus eſt omnium Reus.* Unum enim peccatum mortale reddit hominem Deo inimicum, & dignum pœna æterna propter infinitam gravitatem offenſæ.

In 10. cap. quod incipit. *Quamvis*, ex Gregorio deſumitur decima Regula, ſcilicet. *Ignorantia non excuſat Prælatum in peccatis Subditorum*: quia tenetur Prælatus, ſivè Paſtor curam habere de Ovibus ſuis; & ideò ſi Lupus Oves comedit, & ipſe neſciat, nullam excuſationem habebit apud Deum. Hoc tamen intelligitur de ignorantia culpabili, non de inculpabili.

In 11. cap. quod incipit. *Indignum eſt*, ex Lucio III. deſumitur undecima Regula, ſcilicet. *Prò Spiritualibus Homagium non præſtatur*: quià indignum eſt prò re Spirituali facere aliquam pactionem, obligationem, vel Juramentum de re temporali; hoc enim eſſet Simoniacum, ut dictum eſt ſupra Titulo de Pactis, & Titulo de Simonia.

Finis Libri Quinti Decretalium.

ELENCHUS
Titulorum Quadragintà, & unius, Quinti Libri Decretalium.

Titulus I. *De Accuſationibus, Inquiſitionibus, & Denunciatiotionibus in cap. 27. diſtinctus.* pag. 192.
Titulus II. *De Calumniatoribus in 2. cap. diſtinctus.* pag. 195.
Titulus III. *De Simonia, & nè aliquid prò Spiritualibus exigatur, vel promittatur in 46. cap. diſtinctus.* pag. 196.
Titulus IV. *Nè Prælati vices ſuas, vel Eccleſias ſub annuo Cenſu concedant in 4. cap. diſtinctus.* pag. 200.
Titulus V. *De Magiſtris, & nè aliquid exigatur pro licentia docendi in cap. 5. diſtinctus.* pag. 201.
Titulus VI. *De Judeis, & Saracenis, & eorum Servis in capita 19. diſtinctus.* pag. 202.
Titulus VII. *De Hæreticis in cap. 16. diſtinctus.* pag. 203.
Titulus VIII. *De Schiſmaticis, & Ordinatis ab eis, in cap. duo diſtinctus.* pag. 206.
Titulus IX. *De Apoſtatis, & Reiterantibus Baptiſma in cap. ſex diſtinctus.* pag. 207.
Titulus X. *De his, qui Filios occciderunt in cap. 3. diſtinctus.* pag. 208.
Titulus XI. *De Infantibus, & languidis expoſitis unico capite comprehenſus.* pag. 208.
Titulus XII. *De Homicidio Voluntario, vel Caſuali in cap. 25. diſtinctus.* pag. 209.
Titulus XIII. *De Torneamentis in 2. cap. diſtinctus.* pag. 212.
Titulus XIV. *De Clericis pugnantibus in Duello in 2. capita diſtinctus.* pag. 212.
Titulus XV. *De Sagittariis unico cap. comprehenſus.* pag. 213.
Titulus XVI. *De Adulteriis, & ſtupro in 7. cap. diſtinctus.* pag. 213.
Titulus XVII. *De Raptoribus, & Incendiariis, & Violatoribus Eccleſiarum in 7. cap. diſtinctus.* pag. 214.
Titulus XVIII. *De Furtis in 5. cap. diſtinctus.* pag. 215.
Titulus XIX. *De Uſuris in 19. cap. diſtinctus.* pag. 216.
Titulus XX. *De Crimine Falſi in 9. cap. diſtinctus.* pag. 218.
Titulus XXI. *De Sortilegiis in 3. cap. diſtinctus.* pag. 220.
Titulus XXII. *De Colluſione detegenda in 4. cap. diſtinctus.* pag. 220.
Titulus XXIII. *De delictis Puerorum in 2. cap. diſtinctus.* pag. 221.
Titulus XXIV. *De Clerico Venatore in 2. cap. diſtinctus.* pag. 221.

Titulus XXV. *De Clerico Percuſſore in 4. cap. diſtinctus.* pag. 222.
Titulus XXVI. *De Maledicis in 2. cap. diſtinctus.* pag. 222.
Titulus XXVII. *De Clerico Excommunicato, Depoſito, vel Interdicto miniſtrante in 10. cap. diſtinctus.* pag. 223.
Titulus XXVIII. *De Clerico non Ordinato Miniſtrante in 2. cap. diſtinctus.* pag. 224.
Titulus XXIX. *De Clerico per ſaltum promoto unico capite comprehenſus.* pag. 224.
Titulus XXX. *De eo, qui furtivè Ordinem ſuſcepit in 3. capita diſtinctus.* pag. 225.
Titulus XXXI. *De exceſſibus Prælatorum, & Subditorum in 18. cap. diſtinctus.* pag. 226.
Titulus XXXII. *De novi Operis Nunciatione in 4. capita diſtinctus.* pag. 228.
Titulus XXXIII. *De Privilegiis, & exceſſibus Privilegiatorum in 3. cap. diſtinctus.* pag. 228.
Titulus XXXIV. *De Purgatione Canonica in 16. cap. diſtinctus.* pag. 232.
Titulus XXXV. *De Purgatione Vulgari in 3. cap. diſtinctus.* pag. 234.
Titulus XXXVI. *De Injuriis, & damno dato in 9. cap. diſtinctus.* pag. 234.
Titulus XXXVII. *De Pœnis in 13. cap. diſtinctus.* pag. 235.
Titulus XXXVIII. *De Pænitentiis, & Remiſſionibus in 16. cap. diſtinctus.* pag. 237.
Titulus XXXIX. *De Sententia Excommunicationis in 60. capita diſtinctus.* pag. 239.
Titulus XL. *De Verborum Significatione in 33. cap. diſtinctus.* pag. 245.
Titulus XLI. *De Regulis Juris in 11. cap. diſtinctus.* pag. 248.

SUMMARIUM
LIBRI SEXTI
DECRETALIUM
D. BONIFACII PAPÆ VIII.

CUM poſt egregium opus Collectionis Epiſtolarum Decretalium, quæ juſſu Gregorii IX. anno 1235. per S. Raymundum de Pennafort Ordinis Prædicatorum, in unum volumen collectæ, in quinque libros ſub propriis titulis fuerunt diſtinctæ, multæ, & diverſæ aliæ Pontificiæ Decretales fuerint per Succeſſores ejuſdem Gregorii pro varietate temporum editæ, ac promulgatæ uſquè ad tempus Bonifacii VIII. anno 1296. Prædictus D. Bonifacius à pluribus requiſitus, (ut ipſemet fatetur in proœmio hujus Operis ad Doctores, & Scholares Bononienſes) in unum volumen redigi, tùm præfatas Pontificias Epiſtolas, quæ ſparſim ibant, & non parùm ambiguitatis, & obſcuritatis præ ſe ferebant, tùm etiam proprias, quas ipſe confecerat in magno numero, pro bono communi, & in utilitatem Studioſorum, nec non Tribunalium, juſſit per tres Doctiſſimos Viros in utroque Jure peritiſſimos, ſcilicet Gulielmum Archiepiſcopum Ebrudunen. Berengarium Epiſcopum Bituren. & Magiſtrum Riccardum de Senis tunc temporis Vice-Cancellarium, & poſtea S. R. E. Cardinalem, recenſeri: quapropter, aliquibus ex ipſis tamquam ſuperfluis penitus rejectis, aliis tamquàm inter ſe, & Juri communi contrariis in aliqua parte emendatis, ac dilucidatis, aliis tamquàm particularibus, & non ad jus commune ſpectantibus, declaratis, aliis tandem in meliorem formam redactis, in unum collegit volumen, quod ſextum Decretalium vocari voluit, & exemplo voluminis Gregorii IX. in quinque libros diviſit ſub eiſdem fermè Titulis, non quidèm omnibus, ſed principalioribus, ac potioribus. Has ergo Decretales tùm proprias, tùm ſuorum Anteceſſorum ſub his Titulis diſtribuit.

Primus ergo Liber hujus voluminis, in quo agitur de Summa Trinitate, & Fide Catholica, de Conſtitutionibus, de Conſuetudine, de Reſcriptis, de Electione &c. continet Titulos 22.

Secundus Liber, in quo agitur de Judiciis, & de his, quæ ad Judicia ſpectant, continet Titulos 15.

Tertius Liber, in quo agitur de Vita, & Honeſtate Clericorum, continet Titulos 24.

Quartus Liber, in quo agitur de Sponſalibus, & Matrimoniis continet Titulos 3.

Quintus Liber, in quo agitur de Accuſationibus, Inquiſitionibus, & Denunciationibus, deque Cenſuris, & aliis pœnis, continet Titulos 12. Quibus in calce libri adduntur ex eodem Bonifacio Regulæ Juris Canonici num. 88. Sicque omnes Tituli hujus voluminis ſunt num. 76. Epiſtolæ autem Decretales hìc inſertæ, ſunt 358. Nàm in 1. libro recenſentur 133. In 2. 47. In 3. 94. In 4. tantùm quinque, In 5. 79. ex quibus coaleſcit numerus jam dictus. Cui numero Decretalium ſi addantur Regulæ Juris, ſcilicet 88. reſultant capitula 446. His ergo ſuppoſitis ſit.

LI-

LIBER PRIMUS.

TITULUS PRIMUS.

De Summa Trinitate, & Fide Catholica, unicum caput comprehendens.

IN hoc ergo cap. quod incipit. *Fideli; ac devota Profeſſione*, ex Gregorio X. in Generali Concilio Lugdunenſi, ſtatuitur, Spiritum Sanctum procedere nedum à Patre,& Filio,ſed ab eis proceſſiſſe æternaliter,ideſt ab ęterno,& ab eis proceſſiſſe non tamquàm à duobus, ſed tamquàm ab uno principio, & unicâ ſpiratione. Quòd enim Spiritus Sanctus procedat nedum à Patre, ſed etiam à Filio, contra Græcos jam reſolutum fuerat in aliis Conciliis, ut dictum eſt in decreto Gratiani de Conſecrat. diſt.5. cap. ultimo, & penultimo. In hoc ergo Concilio Lugdunenſi ex Gregorio X. ſtatuitur,Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio æternaliter, & non tamquàm a duobus, ſed ab uno tantùm principio, & unicâ tantùm ſpiratione contra eos, qui negabant, talem proceſſionem Spiritus Sancti fuiſſe ab æterno, & contra alios aſſerentes eſſe a Patre, & Filio tamquàm à duobus principiis, & duabus ſpirationibus.

Ratio autem quare Spiritus Sanctus non in tempore, ſed ab æterno procedat a Patre, & Filio, evidenter aſſignatur à Theologis: quia omne quod eſt in Deo, æternum eſt; nihil enim Deo poteſt advenire de novo in tempore: cùm ergo Proceſſio Spiritus Sancti à Patre, & Filio ſit in Deo, neceſſe eſt dicere, talem proceſſionem fuiſſe ante omne tempus, ſcilicet ab æterno; aliàs daretur mutatio in Deo. Sic D. Th. 1. p. qu.36. art. 3. ad 2. ubi ſic ait: *Sicut generatio Filii eſt coæterna generanti (unde non prius fuit Pater, quàm gigneret Filium) ita proceſſio Spiritus Sancti eſt coæterna ſuo principio, unde non fuit prius Filius genitus, quàm Spiritus Sanctus procederet, ſed utrumque æternum eſt.*

Quòd autem talis ſpiratio æterna Spiritus Sancti ſit à Patre, & Filio tamquàm ab uno principio, & unicâ ſpiratione, probatur ab eiſdem Theologis,& præcipuè à D. Th. 1. p. q. 36 art. 4. in corpore, quia licet Pater, & Filius ſint duæ Perſonæ, ſive duo ſuppoſita, unicam tamen habent virtutem ſpirativam, ſicut & unicam voluntatem; nomina autem ſubſtantiva, quale eſt principium, non multiplicantur,niſi multiplicatâ formâ; ſicut adjectiva non multiplicantur, niſi multiplicatis ſuppoſitis, ut dicitur in Logicis. Sicut ergo Pater, Filius, & Spiritus Sanctus dicuntur unum principium productionis Creaturarum; quia licet ſint tres Perſonæ, habent tamen eamdem potentiam, & virtutem creandi, quæ eſt veluti ratio, & forma creandi: ità Pater, & Filius, quia eâdem virtute ſpirativâ gaudent in ordine ad producendum Spiritum Sanctum, eo quòd ipſum producant amore reciproco, qui in utroque eſt unus, & idem; ideo neceſſe eſt dicere, quòd producant Spiritum Sanctum per modum unius principii, & non duorum, nec per duas ſpirationes, ſed per unam dumtaxat, quapropter S. Tho. loco nuper citato ſic concludit, *ſicut igitur Pater, & Filius ſunt unus Deus propter unitatem formæ ſignificatæ per hoc nomen Deus, ita ſunt unum principium Spiritus Sancti propter unitatem proprietatis ſignificatæ in hoc nomine principium.*

Utramque ergo hanc veritatem tamquam Catholicam firmat Gregorius X. toto approbante Concilio, damnando, & reprobando contrarium ſentientes. Hoc enim ſemper tenuit, & firmiter tenet, prædicat, profitetur, & docet Sacroſancta Romana Eccleſia omnium Fidelium Mater, & Magiſtra.

TITULUS II.

De Conſtitutionibus, in duo capita diſtinctus.

POſtquàm in 1. Titulo hujus operis actum eſt de Summa Trinitate, & Fide-

Fide Catholica, ſtatuendo, Spiritum Sanctum procedere æternaliter à Patre, & Filio tamquàm ab uno principio unicâ, & eâdem ſpiratione, proponitur præſens Titulus de Conſtitutionibus.

Agitur de hac materia in primo libro Decretalium tit. 2.

In 1. cap. quod incipit. *Licet*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd in caſu, quo Summus Pontifex novam Conſtitutionem faciat contrariam alteri Conſtitutioni editæ à ſuis Prædeceſſoribus, præſumitur eam revocare, etiamſi non exprimat, nec de ea ſpecialem faciat mentionem, quia ſupponitur, Summum Pontificem omnia jura, & Canonicas Conſtitutiones in ſcrinio pectoris ſui habere; undè edendo contrariam Conſtitutionem, ſeu legem, cenſetur revocare antiquam; non enim in eo præſumitur ignorantia Juris. Secùs autem dicendum de conſuetudinibus, & Statutis particularibus locorum, rationabilibus tamen,& benè fundatis:has enim conſuetudines,&Statuta per contrariam, & novam legem non cenſetur revocare, ſi non exprimat, quia nullus videtur revocare, quod ignorat. Papa autem præſumitur ignorare conſuetudines, & ſtatuta particularia, quæ conſiſtunt in factounde ſi de eis non fiat ſpecialis mentio, de eis non intelligitur nova Conſtitutio. Sed adverte, quòd hoc aſſertum non contrariatur priori propoſitioni, videlicet, quòd Pontifex Jura omnia in ſcrinio ſui pectoris cenſetur habere, quia intelligitur per interpretationem, ut explicat Francus ex Gloſſa num.6. quatenus Summus Pontifex habet facultatem omnia Jura interpretandi.Vel intelligitur per authoritatem,ut explicat Gomez num.99. Videatur Paſſerinus num.6. & ſeq. pag.7.

In 2. cap. quod incipit. *Ut animarum*, ex eodem, ſtatuitur. Primò quòd Statuta Epiſcoporum, vel quorumcumque habentium poteſtatem ſtatuendi, non ligant probabiliter ignorantes, qui ſcilicet poſſunt prætendere juſtam cauſam ignorantiæ, niſi eorum ignorantia fuerit craſſa, & ſupina, aut affectata: hæ enim ignorantiæ videntur culpabiles, & aliquo modo voluntariæ, ſaltèm in cauſa; quia unuſquiſque Subditus tenetur ſcire Statuta edita, & ſufficienter promulgata à ſuo legitimo Superiore;unde qui allegat ignorantiam debet eam probare ſufficienter. Ignorantia autem quæ non ligat, & excuſat à peccato eſt ignorantia invincibilis, & eſt illa, quæ morali diligentia tolli, vel ſuperari non poteſt, ideſt quòd adhibitâ diligenti inquiſitione, ignorantia illa depelli, & veritatis cognitio acquiri non poteſt, ſic communiter Caſuiſtæ, & hæc poteſt eſſe vel juris,vel facti. Secundò ſtatuitur, quòd Statutum Epiſcopi non ligat ejus Subditum exiſtentem extra talis Epiſcopi Diæceſim. Non enim Epiſcopus authoritatem habet extra proprium Territorium, ad differentiam Papæ, qui in toto Orbe habet plenitudinem poteſtatis. Temporalis indirectè, Spiritualis verò directè; habet enim plenitudinem poteſtatis temporalis indirectè, quatenus finis poteſtatis temporalis ordinatur ad finem poteſtatis Spiritualis; habet verò plenitudinem poteſtatis Spiritualis directè, quatenus eſt legitimum caput in Spiritualibus à Chriſto Domino inſtitutum in perſona Petri, ejuſque Succeſſorum per illa verba *Paſce Oves meas*, *Tu es Petrus &c*. Legatur D. Thom. 1.2.q.90. uſque ad 108. ubi tractatum aggreditur, & clariſſimè proſequitur de Legibus.

TITULUS III.

De Reſcriptis, in 15. cap. diſtinctus.

Viſo in ſuperiori Titulo de Conſtitutionibus: quia parùm eſt Jura, & Conſtitutiones condere, niſi ſint Miniſtri, & Judices delegati, qui eas executioni mandent, reddendo unicuique jus ſuum quod ut in plurimum fit per Reſcriptum, mandando Judicibus ordinariis, vel delegando extraordinarios per reſcripta Judicis Supremi: ideò poſt Titulum de Conſtitutionibus ponitur præſens Titulus de Reſcriptis.

Agitur de hac materia in Decreto Cauſa 25. q.1.& 2.per totum,& inDecretal. lib. 1. Tit.3. In Clemen.lib.1. Tit.2.

In 1. cap. quod incipit. *Ipſo Jure*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd Reſcriptum impetratum ab excommunicato eſt

ipſo

ipſo jure nullum, ſicut etiam eſt ipſo jure nullum totum id, quod factum eſt vigore talis Reſcripti: nam deſtructo fundamento, ruit omne, quod in eo fundatur; hoc autem verum eſt univerſaliter, exceptâ tamen causâ ipſius excommunicationis, vel Appellationis; nàm excommunicatus prætendens probare fuiſſe injuſtè excommunicatum, recurrendo ad eumdem Judicem, vel ad Superiorem appellando, debet audiri, & poteſt validè Reſcriptum obtinere: in aliis autem cauſis excommunicatus non eſt audiendus, niſi in ſui accuſatione: acta enim illius valida non ſunt.

In 2. cap., quod incipit. *Cum in multis*, ex Innocentio IV. ſtatuitur, quòd per illam Clauſulam, *Quidam alii*, quæ frequenter apponitur in Reſcriptis Pontificiis, non poſſunt conveniri in judicio ultra tres, vel quatuor, tùm quia infinitas, ſeu magna multitudo reprobatur à jure; tùm quia daretur locus fraudi, ſi impetranti Reſcriptum concederetur, ut libetè poſſet variare alias, & alias numerando perſonas. Igitur Cajus impetrans Reſcriptum à Papa, ſcilicet quòd Petrus, & quidam alii eum injuriaverunt, & proindè Papa committit Judici delegato, ut formet Proceſſum &c. tenetur impetrans in primo citatorio nominare Petrum, qui offendit, & tres, aut quatuor alios complices ejuſdem delicti, contra quos ſi non probet, non poteſt alios, & alios nominare, nè detur proceſſus in infinitum, & nè Judex defraudetur.

In 3. cap., quod incipit. *Diſpendia*, ex eodem ſtatuitur, Actorem non poſſe contra eumdem Reum impetrare ſuper pluribus perſonalibus literas diverſas ad diverſos Judices, ſub pœna nullitatis talium literarum, & ſub pœna nullitatis Proceſſus, nec non ſub pœna expenſarum, quæ Reo erunt ab Actore reſtituendæ. Et hoc idem valet in Reo reconveniente Actorem literis impetratis ad diverſum Judicem, niſi in caſu, quo Reus det exceptionem Judici impetrato ab Actore; tunc enim poterit petere alium Judicem non ſuſpectum. Motivum hujus Conſtitutionis fuit in Summo Pontifice providere, quantùm fieri poteſt, ut lites quamprimùm terminentur, & minori partium diſpendio; quod utique evenit, ſi ab eodem Judice queſtiones perſonales contra Reum terminentur, & non recurratur ad plures.

In 4. cap., quod incipit. *Cum aliquibus*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd in Eccleſia habente numerum Canonicorum determinatum per ſtatutum Capituli, & confirmatum juramento, vel authoritate Apoſtolicâ cum Clauſula Decreti irritantis, ſi ad inſtantiam Capituli concedit Summus Pontifex per reſcriptum, ut poſſit, hoc non obſtante, recipi alius Canonicus ſupra numerum; ſi talis receptio pertinet ad Canonicos, præfatus, qui recipitur, dicitur receptus authoritate ordinariâ, non authoritate Apoſtolicâ: ſecus ſi receptio pertinet ad alios, quàm ad Canonicos; tunc enim diceretur receptus authoritate Apoſtolicâ, & gauderet Privilegio primæ vacantis Prębendæ, quo Privilegio non gauderet, ſi diceretur receptus authoritate ordinariâ. Ratio eſt, quia in primo caſu Reſcriptum Papæ eſt ſolùm diſpenſativum, & excitativum facultatis, quæ aliàs reſidet apud Canonicos. In ſecundo autem caſu non ſolùm eſt diſpenſativum, ſed collativum Canonicatus; undè dicitur receptus authoritate Apoſtolicâ.

In 5. cap., quod incipit. *Si gratioſè*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi à Papa alicui noviter proviſo de aliquo Beneficio, gratioſè concedatur, ut poſſit ſimul retinere Beneficia, quæ antè habebat uſque ad beneplacitum ipſius Pontificis, mortuo tali Pontifice, ea Beneficia ampliùs retinere non poteſt; per mortem enim dicitur illius beneplacitum extinctum: ſecùs autem ſi concedatur, quòd ea retineat ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ; nam per mortem unius Pontificis Sedes Apoſtolica non moritur: in hoc ergo caſu durat Privilegiũ, uſque dùm ab aliquo Pontifice revocetur.

In 6. cap., quod incipit. *Suſceptum*, ex eodem ſtatuitur, quòd cum vacatio Beneficii per mortem Beneficiati ſit diverſa à vacatione Beneficii per renunciationem; ideò literæ impetratæ à Sede Apoſtolica in favorem reſignantis exequi non poſſunt in caſu, quo Beneficiatus antè reſignationem moriatur: undè ſi alius poſt mortem Beneficiati impetret tale Beneficium, exprimendo, quòd vacavit per

mor-

mortem, iſte in tali caſu eſt præferendus, quia expreſſit veram cauſam vacationis.

In 7. cap., quod incipit. *Gratia*, ex eodem ſtatuitur, quòd Gratia facta à Sede Apoſtolica alicui, cui ad ejus inſtantiam confert aliquod Beneficium, eſt valida, etiamſi in ſupplicatione non exprimat aliud Beneficium, quod jam obtinuit ab Epiſcopo, ipſo tamen abſente, & neſciente ſumptâ poſſeſſione per Procuratorem. Licèt enim ad valorem gratiæ factæ à Papa neceſſe ſit exprimere in ſupplici libello quodlibet Beneficium etiam exiguum, aliàs gratiâ collationis eſſet ſubreptitia; tamen in præſenti caſu excuſatur Orator ob ignorantiam, neſciens ſe fuiſſe priùs promotum ab Epiſcopo. Valet igitur collatio facta ab Epiſcopo; & ſi talia Beneficia ſint ſimul compatibilia, poterit utrumque retinere: ſi autem ſint incompatibilia, ut ſi utrumque ſit Beneficium Curatum, aut utrumque obligans ad reſidentiam, erit in optione Proviſi unum acceptare, & aliud reſignare; ſecùs ſi unum ſit Curatum, vel Reſidentiæ, & aliud ſimplex: tunc enim utrumque poterit retinere.

In 8. cap., quod incipit. *Quamvis*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Papa reſtituat aliquem ad gratiam priùs factam, ſed poſtea ab eodem revocatam, non præſumitur velle per talem reſtitutionem præjudicare juri alterius, qui ante talem reſtitutionem obtinuit ſimilem gratiam, niſi hoc exprimat in Decreto, vel Reſcripto Reſtitutionis gratiæ. Et ratio eſt, quia gratia reſtitutionis abſolutè prolata non intelligitur facta in præjudicium alterius, qui habet jus ad rem. Exemplum eſt in duobus, qui habuerunt Reſcripta à Papa pro expectativâ alicujus Beneficii vacaturi. Primo fuit à Papa gratia revocata, & facta ſecundo, poſtea eidem primo gratia reſtituta; ſi vacet deinde Beneficium, iſte ſecundus eſt præferendus primo, quia licèt primus, fuerit prior tempore in gratiâ obtinendâ, tamen quia talis gratia fuit revocata, deſumitur ejus jus à tempore reſtitutionis, in quo ille primus eſt poſterior; unde ſecundus eſt præferendus. Hodie tamen rationabiliter per Concilium Tridentinum hæ expectativæ ſunt ſublatæ.

In 9. cap., quod incipit. *Si eo tempore*, ex eodem ſtatuitur, quòd literæ, quæ obtinentur à Papa in favorem alicujus, ut ſcilicet provideatur de Beneficio vacaturo ſive Curato, ſive non Curato; ſi tempore, quo obtinentur tales literæ, Clericus, in cujus favorem obtinentur, non ſit in ætate requiſita ad Beneficium Curatum, in ætate ſcilicet 25. annorum, etiam ſi tale Beneficium poſtea vacaverit, cùm ipſe ſit in ætate prædicta; præfatus Clericus non poterit provideri de Beneficio Curato, quia inſpicitur tempus datæ prędictarum literarum, non tempus vacationis: poterit tamen provideri de Beneficio ſimplici, ad quod ſufficit ætas 14. annorum; & hoc quia utile per inutile non vitiatur ex Regulis Juris, quæ regula ſic intelligitur, quia res, quæ ſit, debet perſiſtere, & valere eo meliori modo, quo eſt poſſibile. Igitur ſi aliquod factum non poteſt valere, nec perſiſtere in totum, & aliàs poteſt valere, & perſiſtere quoad partem, valebit quoad partem, quæ dicitur utilis, & corruet quoad id, quod eſt inutile, & illicitum.

In 10. cap., quod incipit. *Si propter*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi alicui Epiſcopo mole debitorum gravato fuerit facta gratia à Papa, ut ipſe ad ſolvenda debita percipiat fructus, ſive redditus primi anni omnium Beneficiorum, qui infra quinquennium vacaverint in ſua Diœceſi: ſi tales fructus primi anni ex alio Privilegio, vel conſuetudine, vel ſtatuto fuerint antea addicti Fabricę Eccleſię, aut Hoſpitali &c. Talis gratia facta Epiſcopo non debet pręjudicare anteriori Privilegio facto in favorem Fabricæ, vel Hoſpitalis, ſed utrumque Privilegium perſiſtit; ita ut fructus primi anni debeantur Epiſcopo, fructus verò ſecundi anni debeantur Fabricæ, vel Hoſpitali: nàm gratia à Papa conceſſa præſumitur facta abſque præjudicio tertii, niſi oppoſitum exprimatur.

In 11. cap., quod incipit. *Statutum*, ex eodem ſtatuitur 1., quòd cauſæ quæ delegantur à Sede Apoſtolica, delegari non debent niſi Perſonis in Dignitate; vel Perſonatu exiſtentibus, ut Prælatis, Archipræsbyteris, vel ſaltem Canonicis Eccleſiæ Cathedralis, qui tales cauſas cogno-

cognoſcere debent in Civitatibus, vel locis inſignibus, ubi poſſit commodè copia peritorum haberi; aliàs Proceſſus erit invalidus, & ſententia nulla. 2. ſtatuitur, quòd ſi Actor, & Reus ſunt ejuſdem Diœceſis, cauſa committi non debet alicui exiſtenti extra illam, niſi ex legitima cauſa, puta ſi cauſa ſit contra Epiſcopum, aut Univerſitatem &c. Si autem Actor, & Reus ſint diverſarum Diœceſum, Actor tenetur impetrare Delegatum extra Diœceſim Rei, qui tamen Reus trahi non poteſt extra ſuam Diœceſim ultra unam Dietam à finibus illius. 3. ſtatuitur, quòd Delegatus non poteſt partes citare, nec cauſam cognoſcere extra locum commiſſionis ſine expreſſo partium conſenſu, nec cauſam ſubdelegare, niſi Perſonis ſupra nominatis, ſcilicet in Dignitate, vel Perſonatu exiſtentibus, vel Canonicis Eccleſiæ Cathedralis. 4. ſtatuitur, quòd Delegatus nihil poteſt recipere, niſi eſculenta, & poculenta liberè oblata, in moderatâ tamen quantitate, quæ poſſunt paucis conſumi diebus, ſicut etiam moderatas expenſas, ſi pro utilitate, & neceſſitate cauſæ contingat cum extra domicilium pergere. 5. ſtatuitur, quòd Delegatus abſque neceſſitate non debet aſſumere Aſſeſſorem in cauſa ſibi commiſſâ, quem ſi aſſumat abſque urgenti neceſſitate, de ſuo illi provideat; ſtante autem neceſſitate, & indigentia, Aſſeſſorem aſſumat non ſuſpectum partibus, à quibus illi moderatum ſalarium pro ſuo labore aſſignetur. 6. ſtatuitur, quòd ad Delegatum ſpectat taxare expenſas faciendas à partibus pro Notariis Cauſę, ſimiliter expenſas pro Aſſeſſoribus in caſu indigentiæ; ipſe autem Delegatus in talibus expenſis participare non debet. 7. tandem ſtatuitur, quòd geſta contra hanc Decretalem ſunt ipſo jure nulla, cùm omnia illa compræhendantur ſub Decreto irritante.

In 12. cap., quod incipit. *Tibi qui*, ex eodem ſtatuitur, quòd in caſu quo Papa duobus in eadem Eccleſia ſimilem gratiam faciat, puta de Canonicatu vacaturo, talis Canonicatus, ſeu Præbenda debetur primo impetranti literas Apoſtolicas; etiamſi poſterior impetrans fuerit primus in præſentatione literarum, & receptione in Canonicum; nàm attendenda eſt primitas datæ, quæ prævalet prioritati præſentationis, & acceptationis: unde Præbenda, cùm vacaverit, eſt danda Canonico, qui fuit primus in impetratione, licèt poſterior in præſentatione; ſeù acceptatione: nàm prior tempore in datâ reſcripti eſt potior jure. Hoc tamen intelligitur, dummodo ille, qui fuit prior in impetratione expreſſerit in petitione cauſam vacationis, nempe mortem, non expreſſam à ſuo concurrente.

In 13. cap., quod incipit. *Si pro te*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi unus primò impetravit à Papa gratiam, puta Canonicatum, ſeu Præbendam, ſub conditione tamen, puta accedente conſenſu Epiſcopi, ſeu Capituli; deinde alius impetravit ab eodem eamdem gratiam in eadem Eccleſia abſolutè, & abſque aliqua conditione, iſte ſecundus debet præferri primo, ſi primus non purificavit conditionem, niſi poſt impetrationem ſecundi: & ratio eſt, quia gratia abſolutè facta, ſtatim habet ſuam vim à tempore datæ, ut dictum eſt; gratia verò conditionata non habet vim, niſi purificatâ conditione: undè gratia conditionata ſuſpendit effectum uſquequò adimpleatur conditio; ſecus autem dicendum de gratiâ abſolutâ.

In 14. cap., quod incipit. *Duobus*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi à Sede Apoſtolica fuerunt proviſi duo de eodem Canonicatu, vel Præbendâ vacante, vel vacatura in eadem Eccleſia Cathedrali, & ambo Reſcripta fuerunt ſub eadem data, primus eorum, qui literas præſentavit, eſt alteri præferendus; quia licèt ſit ſimul in impetratione, eſt tamen prior in præſentatione. In caſu autem quòd uterque ſimul præſentat ſuas literas, dabitur optio Epiſcopo, & Canonicis, ad quos de jure communi ſpectat providere circa Canonicatus, ad eligendum ex illis duobus, quem maluerint; dummodò Reſcripta Papæ pro utroque ſint omninò eadem: nàm ſi in uno reſcripto datur uni Jus Canoniæ, & præcipitur Canonicis, ut talem recipiant, & inſtallent; in alio autem Reſcripto non datur alteri Jus Canoniæ, ſed committitur Canonicis, ut eum eligant in Canonicum, & recipiant; in hoc caſu licèt Re-

ſcripta ſint ſub eâdem datâ, eſt præferendus primus huic ſecundo, quia primo gratia per Reſcriptum eſt facta; ſecundo verò eſt facienda. Gratia autem facta prævalet faciendæ.

In cap. 15., quod incipit. *Quia*, ex eodem ſtatuitur, quòd non ſunt concedendæ à Sede Apoſtolica Diſpenſationes Clericis, aut Beneficiatis non reſidentibus, aut non intervenientibus propriæ Eccleſiæ, ut ſcil cet poſſint lucrari fructus ſuorum Beneficiorum; undè prædictus Pontifex revocat omnes ſimiles Diſpenſationes à ſe, & à ſuis Prædeceſſoribus conceſſas ſub quovis prætextu, & colore; tales enim indulgentiæ præbent Clericis materiam vagandi, & abducendi ſe à cultu Divinorum; undè non ſunt concedendæ.

TITULUS IV.

De Conſuetudine, in 4. cap. diſtinctus.

POſtquàm actum eſt in Titulis proximè ſuperioribus de jure ſcripto, ſcilicet de Reſcriptis, & Conſtitutionibus; nunc eſt agendum de jure non ſcripto, ſcilicet de Conſuetudine, quæ quandò eſt legitimè introducta, & præſcriptione formata, habet vim legis.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 1. tit. 4.

In 1. cap., quod incipit. *Conſuetudinem*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd nullus in eâdem Eccleſia abſque ſpeciali diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ poteſt obtinere duas Dignitates, aut duos Perſonatus, aut Perſonatum, & Officium, aut Dignitatem, & inſimul Perſonarum, non obſtante quacumque conſuetudine, etiam immemorabili talis Eccleſiæ, etiam juramento firmata; nam talis conſuetudo eſt corruptela, & abuſus; procedit enim ex infecta radice cupiditatis, & ambitionis, cùm detrimento divini cultus, undè omninò reprobanda eſt, etiamſi fuerit jurata; nam juramentum non eſt vinculum iniquitatis. Quid autem ſit Dignitas, quid Perſonatus, quid Officium, dicitur ex Gloſſa: quòd Dignitas eſt præeminentia cum juriſdictione ſupra alios, ut Abbatia, Epiſcopatus &c. Perſonatus eſt præeminentia abſque juriſdictione, ut Decanatus, vel Primiceriatus: Officium verò eſt pura Adminiſtratio ſinè præeminentia, & juriſdictione, ut Sacriſta.

In 2. cap., quod incipit. *Non putamus*, ex eodem ſtatuitur, quòd non obſtante qualibet conſuetudine, etiàm immemorabili, non eſt valida Appellatio ab Officiali Epiſcopi ad ipſum Epiſcopum: quod tamen eſt intelligendum de Officiali principali ipſius Epiſcopi, non de Officiali minùs principali, ſeu delegato in aliquâ causâ, aut Foraneo. Et ratio eſt, quia Officialis principalis ipſius Epiſcopi procedit authoritate Ordinaria, & conſtituit idem Tribunal, ſive Conſiſtorium, ut dicunt Canoniſtæ, cum ipſo Epiſcopo; profert enim ſententiam nomine ipſius. De ſubſtantia autem Appellationis eſt, ut ſit ab inferiori ad Superiorem provocatio: in caſu autem noſtro eſſet provocatio ad idem Tribunal, undè non ſalvat eſſentiam Appellationis, quâcumque conſuetudine non obſtante: non enim conſuetudo induci poteſt contra eſſentias rerum.

In 3. cap., quod incipit. *Non eſt*, ex eodem ſtatuitur, quòd valet conſuetudo præſcripta, quòd Epiſcopus in inquirendo, puniendo, & corrigendo Subditorum exceſſus non teneatur requirere Conſilium Capituli: licèt enim in aliquibus Diœceſibus fuerit aliquando talis conſuetudo, ut Epiſcopi in puniendis Subditis tenerentur conſilium Canonicorum ſuæ Eccleſiæ requirere, pro majori cautela, & ſecuritate Judicii; hoc tamen non erat de ſubſtantia, quia Juriſdictio ſupra Subditos reſidet in ſolo Epiſcopo, non in Capitulo; undè Epiſcopus, etiam ſtante tali conſuetudine, non tenebatur ſequi Conſilium Capituli, ſed ſecundùm proprium judicium ſententiam proferre; undè multò magis poteſt Epiſcopus ſolus procedere in puniendo Subditos, ſi ex conſuetudine hoc habet, ut non teneatur petere Conſilium Capituli. Aliqua tamen ſunt, quæ Prælatus non poteſt efficere ſine conſenſu Capituli, ut ædificatio, vel reſtauratio Eccleſiæ Cathedralis, ut dictum eſt ſupra Tit. de his, quæ fiunt à Prælato cum conſenſu Capituli.

In 4. cap., quod incipit. *Cum in tua*

tus, ex eodem ſtatuitur, quòd Reſcriptum Apoſtolicum, quo Papa mandat, aliquem provideri de primâ Præbendâ Canonicali vacaturâ in aliqua Cathedrali Eccleſia, non præjudicat conſuetudini rationabili illius Eccleſiæ, ut ſcilicet detur optio Canonicis antiquioribus ſuccedendi in Præbendis ſucceſſivè vacaturis; undè quando prima Præbenda vacaverit, non obſtante Reſcripto Papæ, talis Præbenda poterit optari aCanonico antiquiori; & ſi ipſe nolit optare, ab aliis optari poterit juxtà Conſuetudinem talis Eccleſiæ, cujus optioni tempus aſſignatur 20. dierum, intrà quod ſpatium ſi nullus ex antiquis Canonicis illam optet, concedenda erit novo Canonico, cui, ſi illam òptaverint alii, aſſignabitur Præbenda, quæ vacabit illius, qui optavit. Si autem talis Præbenda vacet in Curia Romana tamquàm affecta Apoſtolicæ Sedi, danda erit novo Canonico ex vi Reſcripti Apoſtolici. Collatio enim Beneficiorum in Curia vacantium ſpectat ad Papam, privativè quoad alios. Legatur S. Thom. 1. 2. quæſt. 97. art. 3. in Corpore, ubi ait: *Dicendum, quòd omnis lex proficiſcitur à ratione, & voluntate Legiſlatoris. Lex quidem Divina, & naturalis à rationabili Dei voluntate, lex autem humana à voluntate hominis ratione regulata. Sicut autem ratio, & voluntas hominis manifeſtantur verbo in rebus agendis, itâ etiam manifeſtantur facto, hoc enim unuſquiſque eligere videtur ut bonum, quod opere implet. Manifeſtum eſt autem, quòd verbo humano poteſt, & mutari lex, & etiam exponi, inquantum manifeſtat interiorem motum, & conceptum rationis humanæ; unde etiam & per actus maximè multiplicatos, qui conſuetudinem efficiunt, mutari poteſt lex, & exponi, & etiam aliquid cauſari, quod legis virtutem habeat, inquantum ſcilicet per exteriores actus multiplicatos interior voluntatis motus, & rationis conceptus efficaciſſimè declaratur. Cum enim aliquid multoties fit, videtur ex deliberato rationis judicio provenire; & ſecundùm hoc conſuetudo & habet vim legis, & legem abolet, & eſt legum interpratratrix.*

TITULUS V.

De Poſtulatione Prælatorum, unico capite comprehenſus.

Actum eſt in ſuperioribus Titulis de Jure ſcripto, & non ſcripto, ſed parum eſſet jura eſſe condita, niſi eſſent Magiſtratus, ſive Prælati, qui jura tuerentur: ideò poſtquàm de juribus actum eſt, ſequitur agendum in ſequentibus de Prælatis, ſeu Judicibus, qui præfata jura adminiſtrent. Prælati autem tribus modis aſſumi poſſunt, ſcilicet vel per Poſtulationem, vel per electionem, vel per tranſlationem. Nunc primò agitur de poſtulatione, de qua materia etiam agitur lib. 1. Decretal. Tit. 5. Eſt autem Poſtulatio petitio gratiæ, qua poſtulantes concorditer petunt à Superiore dari ſibi Prælatum, qui aliàs eligi non poteſt propter aliquem defectum Perſonæ, vel ætatis, ut ſi ab Electoribus poſtuletur à Papa dari ſibi aliquem in Epiſcopum, qui non ſit legitimus, vel annum 30. ætatis, non compleverit. Papa enim gratiosè admittendo talem poſtulationem, ipſum diſpenſando, ad eorum inſtantiam concedit ipſum in Epiſcopum. Differt autem Poſtulatio ab Electione: quia Poſtulatio innititur gratiæ, & poteſt à Superiore non admitti: Electio verò innititur juſtitiæ; & Electio abſque juſta cauſa reſcindi non poteſt.

In hoc ergò cap., quod incipit: *Perpetuò*; ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd Poſtulatio facta ſub his formis: *Poſtulo eligendo, vel Poſtulo eligendum, vel Poſtulo in eligendum*, eſt ipſo jure nulla; ſicut etiam electio facta ſub his formis: *Eligo poſtulando, vel eligo poſtulandum, vel eligo in poſtulandum*, cùm tales modi incertitudinem præſeferant, confundendo ſcilicet poſtulationem cum electione, & electionem cum poſtulatione. Cum autem poſtulatio, & electio eſſentialiter differant, non poſſunt ſimul confundi. Si autem probabiliter dubitetur, an quis poſſit eligi; puta quia dubitatur, an habeat legitimam ætatem, vel ſit legitimus, & tunc poſtulatus ſub hac forma: *Eligo, & poſtu-*

lo talem, prout poteſt meliùs de jure valere; & in tali caſu ſi quis poſtulatus fuerit, aut electus, & infra tempus conſenſus determinaverit eligere viam electionis, reſpuendo viam poſtulationis; aut determinaverit eligere viam Poſtulationis, reſpuendo viam electionis, ex vi talis determinationis valebit Electio, vel poſtulatio, aliàs erit nulla, cùm in incertum vagetur.

TITULUS VI.

De Electione, & Electi Poteſtate, in 47. cap. diſtinctus.

DIctum eſt in ſuperiori Titulo de primò modo inſtituendi Prælatos, ſcilicet de Poſtulatione: in præſenti agitur de ſecundò modo, ſcilicet de eorum electione, & de eorum poteſtate antè confirmationem, vel antè conſecrationem, ſi ſint Epiſcopi.

Agitur de hac materia in 1. lib. Decretal. Titulo 6.

In 1. cap. quod incipit. *Statuimus*, ex Innocentio IV. ſtatuitur in Concilio Generali Lugdunenſi, quòd ſi aliquis ſe opponat electioni aut poſtulationi, ſeu proviſioni jàm factæ ab his, ad quos ſpectat, & appellaverit ad Papam, tenetur tàm opponens, quàm defendens electionem, comparere infra menſem à die oppoſitionis ad Sedem Apoſtolicam, ſivè per ſe, ſive per Procuratores ſuos, ut cauſa reſolvatur: quòd ſi opponens contra formam electionis non probaverit, opponens condemnabitur in expenſis; ſi autem oppoſitio ſit contra Perſonam Electi, & opponens deficiat in probatione, talis opponens erit ſuſpendendus à fructibus Beneficii per triennium; perpetuò autem privandus, ſi non obſtante tali ſuſpenſione, prædictos fructus receperit; quam tamen pœnam non ſuſtinebit, ſi legitimè probaverit, ſe in tali oppoſitione calumnioſum non fuiſſe.

In 2. cap. quod incipit. *In Electionibus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in electionibus vota conditionalia, vel alternativa, aut incerta ipſo jure nulla ſunt, quia non ſunt vota certa, & determinata, ſicut neceſſariò requiruntur ad electionem certam, & determinatam, undè ſi in aliqua electione in ſcrutinio aliqui ex eligentibus elegerint ſub hac forma: *Eligo Petrum, ſi fuerit hic &c. vel eligo Petrum, vel Ioannem, vel eligo illum, cui conſenſerit Antonius*, omnia vota nulla ſunt, & habentur ac ſi non fuiſſent poſita: undè ſi ex votis certis adſit numerus ſufficiens ad electionem, publicabitur Electio, nulla habita ratione de prædictis votis nullis, & incertis, quæ non computantur in numero; ſunt enim nulla.

In 3. cap. quod incipit. *Ubi periculum*, ex Gregorio X. in Generali Concilio Lugdunenſi, ſtatuitur. Primò electionem Romani Pontificis Sede vacante faciendam eſſe à Cardinalibus præſentibus, & intereſſentibus in Conclavi juxtà formam Statutam in Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. ut habetur cap. *licet*, de vitanda diſcordia, eodem Titulo, ubi ſtatuitur, electum in Romanum Pontificem debere habere ex tribus ſaltem duas partes, nulla habitâ ratione tertiæ partis reclamantis. Secundò ſtatuitur, electionem Romani Pontificis eſſe faciendam in Civitate, ubi reſidens Summus Pontifex cùm Romana Curia, deceſſit. Tertiò ſtatuitur, quòd ſi obierit Romanus Pontifex extrà Civitatem, ubi ſua reſidet Curia, electio fieri debet in Civitate in cujus Territorio, ſeu diſtrictu idem Pontifex obiit, ſi aliàs talis Civitas non ſit interdicta, aut contra Eccleſiam Romanam in aperto rebellis. Quartò ſtatuitur, quòd mortuo Romano Pontifice, Cardinales præſentes in loco electionis debent expectare per decem dies Cardinales abſentes, quibus decem diebus elapſis debent intrare Conclave ad finem eligendi Pontificem. 5. Statuitur, Conclave pro electione Pontificis fieri debere in Palatio Pontificio, quod Conclave debet eſſe undiquè clauſum, itaut nulli ad eoſdem Cardinales aditus pateat, nec facultas ſecretè loquendi cùm eis, nec ipſis aliquos ad ſe venientes admittere, niſi eos, qui de voluntate omnium Cardinalium ibi præſentium, pro his tantùm, quæ ad præſens negotium electionis pertinent, forsàn vocarentur. Sextò ſtatui-

ſtatui-

ſtatuitur, in tali Conclavi unam tantùm debere eſſe feneſtram, per quam eiſdem Cardinalibus ad victum commodè neceſſaria miniſtrentur, ſed per eam nulli ad ipſos patere poſſit ingreſſus: qui tamen victus Cardinalium moderatus debet eſſe; itaut ſi infra tres primos dies non eligant, uno tantùm ferculo ſint contenti; & ſi poſt alios quinque dies non elegerint, pane, & aqua puniantur. Septimò ſtatuitur, pro ſecuritate Conclavis eſſe eligendos in Cuſtodes aliquos Principes, & Dominos Temporales, quibus demandanda eſt fidelis cuſtodia prædicti Conclavis, recepto ab eiſdem juramento ſolemni fidelitatis, & obedientiæ erga Romanam Eccleſiam, cujus cuſtodiæ deputati ſunt. Ultimò tandem ſtatuitur, per omnes Orbis Chriſtiani partes, audito ſtatim Romani Pontificis obitu, eſſe publicas, & privatas ad Deum preces, & orationes fundendas pro celeri, & concordi Romani Pontificis electione, pro omnibus Cardinalibus eligentibus, ut depoſito omni humano reſpectu, odio, amore, aut qualibet alia paſſione, ſolùm Deum, & Eccleſiæ utilitatem præ oculis habentes, eligant tali dignitate dignum, & idoneum.

In 4. cap. quod incipit. *Ut circa*, ex eodem in eodem Concilio, ſtatuitur, appellantes contra Electiones, Poſtulationes, vel Proviſiones factas, vel faciendas, teneri omnia, quæ objicere intendunt contra formam, vel Perſonas, ſivè eligentium, ſinè electi exprimere in libello Appellationis, & jurare, ſe credere, illa vera eſſe, & ea ſe poſſe probare; & ſuper non expreſſis eos non eſſe audiendos, niſi aliquid de novo emergat, quod à principio ignorabatur. Similiter ſtatuitur, Conſtitutionem Innocentii IV. contra non probantes ea, quæ objiciunt electioni, Poſtulationi, aut Proviſioni, remanere in ſuo robore, ſcilicet eſſe condemnandos in expenſis; & ſi ſint Clerici ſuſpendendos à fructibus Beneficii illius Eccleſiæ per triennium.

In 5. cap. quod incipit. *Avaritiæ*, ex eodem in eodem Concilio, ſtatuitur, quòd electus ante confirmationem nullatenùs ſe debet immiſcere, nec per ſe, nec per alium in adminiſtratione, nec in totum, nec in partem ſub quocumque prætextu, aut colore, ſub pœna privationis illius Juris, quod acquiſivit ex vi electionis: nàm licet talis electus ex vi ſuæ electionis acquirat jus ad rem; tamen jus in re habetur ex confirmatione, & poſſeſſione.

In 6. cap. quod incipit. *Quàm ſit*, ex eodem in eodem Concilio, ſtatuitur, Electores, facta electione, debere quantocyus præſentare electionem electo, cui datur tempus unius menſis, ut poſſit præſtare conſenſum; quòd ſi infra menſem non aſſentiatur, amittit jus ac quiſitum ex vi ſuæ electionis; & Electores alterum poterunt eligere. Dato conſenſu ab electo, tenetur electus petere confirmationem ſaltem infra tres menſes, quam ſi infra tale tempus non petierit, irrita erit electio & Electores alterum poterunt eligere.

In 7. cap. quod incipit. *Perpetuò*, ex eodem in eodem Concilio, ſtatuitur, conſentientem, vel nominantem in ſcrutinio ſcienter indignum, non eſſe eo ipſo privatum jure eligendi, niſi ex illo conſenſu, aut nominatione, cùm conſenſu, & nominatione aliorum fuerit ſecuta electio: licet enim graviter peccet, quia ſcienter conſenſit in indignum, non incurrit tamen pœnam privationis vocis, niſi ſecuto effectu, ſcilicet electione: pœnæ enim Eccleſiaſticæ regulariter non dicuntur incurri, niſi effectu ſecuto; nàm pœnæ ſunt potiùs reſtringendæ, quàm ampliandæ.

In 8. cap. quod incipit. *Nulli*, ex eodem in eodem Concilio, ſtatuitur, eligentes, vel conſentientes unanimiter in electum, factà electione, non poſſe ſe opponere electioni, agendo contrà Perſonam electam, opponendo quòd ſit indignus: niſi in caſu, quo poſt electionem electus ſe manifeſtaverit indignum, aliquem exceſſum operando, vel ejus anteriores exceſſus fuerint, tempore electionis, Electoribus ignoti. In his enim caſibus poſſunt Electores opponere propriæ electioni, & petere, ne Confirmator electionem confirmet.

In 9. cap. quod incipit. *Si quandò*, ex eodem in eodem Concilio, ſtatuitur, duabus electionibus factis, in quarum unà pars duplò major eligentium eligit unum, alia pars duplò minor elegit alium, non

non poſſe partem duplò minorem opponere parti duplò majori ad attenuanda eorum vota, dicendo, ipſos, licet in minori numero, eſſe tamen majoris authoritatis, & electum ab ipſis eſſe digniorem, ac proindè eorum electionem eſſe confirmandam, utpotè factam à ſaniori parte. Statuitur ergo per hanc Conſtitutionem, talem oppoſitionem non valere: valere autem oppoſitionem, ſi minor pars opponat, eos qui elegerunt in majori numero admiſiſſe inter eos ſcienter excommunicatum, aut elegiſſe ſcienter indignum, nàm ex vi hujus oppoſitionis, ſi probetur, remanent tales eligentes, licet in majori numero, privati eo ipſo jure eligendi, nec valet eorum electio.

In 10. cap. quod incipit. *Quamvis*, ex eodem in eodem Concilio, ſtatuitur, Appellationes, quæ fiunt in cauſa electionis Epiſcoporum, & Majorum, puta Archiepiſcoporum, Patriarcharum &c. devolvere cauſas ad Sedem Apoſtolicam, ad quam ſpectat de jure judicare de hujuſmodi appellationibus in prædictis cauſis majoribus. Requiritur tamen, appellationes hujuſmodi dari in ſcriptis, & expreſsâ rationabili, & probabili causâ, aliàs admittendæ non ſunt. Similiter ſtatuitur, Appellantes poſſe renunciare appellationi, antequàm appellatio ſit præſentata Sedi Apoſtolicæ; ſecùs poſt præſentationem. Talis autem renunciatio Appellationis debet eſſe abſquè pravitate, & violenria, puta Simoniâ aut metu gravi à parte cõtrariâ incuſſo: in quâ causâ ſpectat procedere ad Judicem, à quo fuit appellatum, remittendo tamen Proceſſum Sedi Apoſtolicæ, ut diffinitivè pronunciet.

In 11. cap. quod incipit. *Si fortè*, ex eodem in eodem Concilio, ſtatuitur, quòd ſi inter ea, quæ obiiciuntur promovendo ad dignitatem, fuerit evidens defectus ſcientiæ, vel Perſonæ; puta quòd ſit illiteratus, aut illegitimus, Judex debet primò iſta examinare, & ſi ea repererit falſa, debet opponentem repellere à proſecutione negotii, & punire, ac ſi in omnibus defeciſſet: quia deficiens in uno, non meretur fidem, & ſit omnium Reus.

In 12. cap. quod incipit. *Sciant cuncti*, ex eodem in eodem Concilio, ſtatuitur, eſſe ipſo facto excommunicatos omnes, & ſingulos Dominos Temporales, qui vexant, aut gravant, vel moleſtant Eccleſiaſticas Perſonas, aut eorum Conſanguineos, vel Eccleſias, & earum bona, eo quòd tales Eccleſiaſtici non elegerunt ad dignitatem aliquem ab ipſis propoſitum. Et ratio eſt, quia Electio, & ſpecialiter Eccleſiaſtica debet eſſe libera, & omninò immunis à coactione, aliàs violentiam inferens, aut poſt electionem moleſtans Electores, aut eorum Conſanguineos, vel Eccleſias, aut earum Bona, incidit ipſo facto in excommunicationem, à qua abſolvi non poteſt, niſi reſarcito damno.

In 13. cap. quod incipit. *Generali*, ex eodem in eodem Concilio, ſtatuitur, pœnâ excommunicationis ipſo facto incurrenda contra Principes, Reges, aut quaſcumque alias Perſonas Laicas uſurpantes de novo ſub prætextu Regaliæ adminiſtrationem, ſeu receptionem fructuum Eccleſiaſticorum tempore Eccleſiæ vacantis, intuitu defenſionis, aut cujuſlibet alterius Tituli. Itèm eadem excommunicatio fertur contra Clericos talium Eccleſiarum, qui hoc fieri procurant: contra verò Clericos, qui huic attentato non reſiſtunt, ut debent, ſtatuitur pœna, nè de fructibus, ſeu proventibus talium Eccleſiarum ullatenùs gaudere poſſint. Tandem ſtatuitur, quòd tales Principes, ſeu Domini Laici, qui ab ipſarum Eccleſiarum, vel locorum piorum fundatione, tale jus ſibi reſervarunt, vel ex antiqua conſuetudine, titulo Præſcriptionis hoc jus ſibi hucuſquè vendicarunt, in tali adminiſtratione ab omni abuſu abſtineant; itaut ea, quæ non pertinent ad fructus, ſeu proventus provenientes vacationis tempore, nullatenùs uſurpent, nec ea Bona Eccleſiaſtica, de quibus tali tempore cuſtodiam habent, dilabi permittant, ſed in bono ſtatu conſervent.

In 14. cap. quod incipit. *Licet Canon*, ex eodem in eodem Concilio ſtatuitur, promovendum ad regimen Parochialis Eccleſiæ debere eſſe idoneum moribus, ſcientia, & ætate; itaùt ſaltem attingat annum 25., aliàs talem promotionem eſſe omninò irritam, & nullam. Similiter ſtatui-

tuitur, talem promotum ad hujuſmodi Eccleſiam Parochialem, ſi non ſit Sacerdos, teneri ſaltem infrà annum promoveri ad Sacerdotium ſub pœnâ privationis, ſimùlque teneri ad Reſidentiam perſonalem in ſua Eccleſia; niſi ex aliqua rationabili cauſa per ſuum Ordinarium per aliquod breve tempus diſpenſetur.

In 15. cap. quod incipit. *Nemo deinceps*, ex eodem, in eodem Concilio, ſtatuitur, vacante aliquâ Eccleſiâ Parochiali poſſe Epiſcopum, ad quem ſpectat illius Collatio, dare talem Eccleſiam Parochialem in Commendam, ſcilicet in cuſtodiam per ſex menſes, & non ultrà; Hoc enim eſt tempus, quo Epiſcopus tenetur providere de Rectore Eccleſiis Parochialibus; debet autem qui taliter eligitur ab Epiſcopo in Commendatarium, ſeu Cuſtodem præfatæ Eccleſiæ, eſſe actu Sacerdos, & idoneus ad hujuſmodi munus Parochiale, & in tali Eccleſia reſidere; unde non poteſt duas Eccleſias Parochiales retinere in Commendam. Per hoc autem quòd ſit Commendatarius, non acquirit titulum in tali Eccleſia; unde poteſt ad nutum Epiſcopi removeri.

In 16. cap. quod incipit. *Cupientes*, ex Nicolao III. aliàs IV. ſtatuitur, quòd factâ electione Prælati, tenentur Electores infrà octo dies, ex quo commodè poſſunt, electionem electo præſentare, ad effectum, ut præbeat conſenſum electioni de ſe factæ, ad quem conſenſum præſtandum Electus habet tempus unius menſis, infrà quod ſi non aſſentiatur, dummodo tamen non ſit rationabiliter impeditus, amittit Ius per electionem quæſitum. Præſtito igitur conſenſu ab electo, debet infra tempus unius Menſis peti confirmatio à Sede Apoſtolica, vel ab ipſo Electo, vel ab ejus Procuratore, perſonaliter comparente in Curia Romana, cùm omnibus actis, & munimentis ſpectantibus ad præfatam electionem, ut Papa ſufficienter inſtructus de his, quæ acta ſunt, poſſit confirmare, vel infirmare talem electionem, ſi talis electio fuerit litigioſa, & rationes in oppoſitum convincant. Si autem infra menſem electio non fuerit præſentata Papæ, adhùc conceduntur 20. dies ad id præſtandum: quòd ſi non fecerint, ſtatuitur tempus 15. dierum ad probandum, impedimentum fuiſſe legitimum. Quòd ſi non probetur, remanet electus privatus Iure ſibi quæſito per talem electionem, & electio devolvitur ad eligentes. Cujus autem expenſis omnia iſta fieri debeant, ſtatuit Summus Pontifex, eas fieri debere expenſis Capituli, ſi electio facta eſt in concordiâ; ſecus ſi in diſcordiâ; tunc enim expenſæ fieri debent ex parte opponentium, maximè ſi non probent intentum; Opponens enim electioni, & deficiens in probatione condemnari debet in expenſis. Cæterùm hæc Decretalis, licet ſuo tempore fuit valde utilis, adhoc, ut quàmprimùm Eccleſiæ Cathedrales providerentur de Paſtore, tamen modo non eſt amplius in uſu, quia Papa reſervavit ſibi proviſionem Epiſcopatuum, nec Papa his eſt ſubjectus Canonicis Regulis; undè poteſt differre proviſionem Epiſcopatuum pro libito ſui arbitrii.

In 17. cap. quod incipit. *Fundamenta*, ex eodem ſtatuitur, quòd nullus Imperator, Rex, Princeps, aùt alius, qui ſit notabilis præeminentiæ, aut poteſtatis poteſt aſſumi in perpetuum, vel ad tempus in Senatorem, vel Rectorem Urbis Romanæ; & hoc ad evitandum omne periculum gravaminis, ſeditionis, rebellionis erga Summum Pontificem, & Eccleſiam, quæ ex donatione Conſtantini in Urbe Romà omni gaudere debet libertate, & poteſtate. Inſuper ſtatuitur, quòd nullus eſt aſſumendus in Senatorem Urbis, niſi ad annum, ſi tamen aliter per diſpenſationem non diſponat Summus Pontifex. Tandèm imponitur pœna excommunicationis reſervatæ ipſi Summo Pontifici contrà nominantes, eligentes, auxilium, aut favorem præſtantes hujuſmodi Principibus jam dictis ad effectum, ut ſint Senatores Urbis, & contra eoſdem acceptantes, aut uſurpantes, ſeu invadentes præfatum Gubernium, ſeu Rectoriam, à qua excommunicatione abſolvi non poſſint niſi à Romano Pontifice, extrà mortis articulum.

In 18. cap. quod incipit. *Quamquam*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd in caſu, quo Canonici Cathedralis Eccleſiæ in electione ſui Epiſcopi omnes peccavetint

verint in materiâ, eligendo ſcienter indignum, aut peccaverint in forma, eligendo contrà formam ſtatutam in Concilio Generali: ſicque in primo caſu ſint ipſo Jure privati voce prò illa electione, & in ſecundo caſu ſint voce privandi per ſententiam; in his caſibus electio devolvitur ad Sedem Apoſtolicam; ſecus autèm ſi ſint privati voce propter ipſorum negligentiam, quià non elegerunt infrà tempus ſtatutum: ſcilicet trium menſium; in hoc enim caſu electio devolvitur ad immediatum Superiorem, ut jam ſtatutum fuit per Concilium.

In cap. 19. quod incipit. *Is qui contra*, ex eodem ſtatuitur, quòd cùm in cap. *Ut circa*, in Decretalibus Tit. de Electione, ſtatutum ſit, Opponentem electioni jam factæ, ſeù Appellantem teneri jurare coràm Judice, ad quem appellat, omnia à ſe oppoſita electioni, vel contrà formam, vel contrà Perſonam electam, & expreſſa in Inſtrumento Appellationis eſſe vera, & ea probare poſſe; non ſatisfacit talis opponens, ſeù appellans, ſi juret diſiunctivè, hoc pacto ſcilicet. *Juro omnia illa eſſe vera, aut ſaltem aliqua eſſe vera, quæ ſufficiunt ad infirmandam electionem, & ea me exhibeo probare*, Per hoc enim juramentum diſiunctivè factum, non ſatisfit præfato Decreto, quod loquitur abſolutè, & non diſiunctivè.

In cap. 20. quod incipit. *Qui contra*, ex eodem ſtatuitur, quòd qui intendit ſe opponere alicui Perſonæ, nè eligatur, adducendo, quòd ſit indignus, & inhabilis ad talem Dignitatem, ſeù Prælaturam, omninò ſervare debet Conſtitutionem. *Ut circà &c.* ſcilicet ut in Inſtrumento Appellationis exprimat omnia, quæ tali Perſonæ opponit, & juret omnia illa eſſe vera, & ab eo probari poſſe; aliàs talis appellatio non admittitur.

In 21. cap. quòd incipit. *Sicùt*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſicut in electione per ſcrutinium, factâ collatione numeri ad numerum, & invento quòd aliquis eſt electus à majori parte, debet pronunciari, vel declarari electio per unum ex ſcrutatoribus, qui dicit. *Ego vice omnium electorum eligo talem &c.* Ita hoc debet etiam ſervari, cùm electio Prælati ſit per Compromiſſum, ſcilicet ut unus ex Compromiſſariis tali modo electionem jam factam ab aliis publicè pronunciet, & declaret: aliàs tali declaratione deficiente nulla erit electio ex non ſervatâ forma Canonica.

In 22. cap. quod incipit. *Statutum*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſtatutum illud Gregorii X. *Licet Canon*, ſupra eodem titulo, ubi decernit, & ſtatuit, promotum ad Parochialem Eccleſiam, ſi non ſit Sacerdos, teneri infrà annum ad ſuſcipiendum Ordinem Sacerdotalem, aliàs ipſo facto abſque alia declaratione remanet privatus tali Eccleſia, & Jure quæſito: Hoc, iniquam, Decretum dicitur in præſenti Decretali, non eſſe intelligendum de promotis ad Eccleſiam Parochialem Collegiatam, in qua debet ſervari ſtatutum antiquum cap. *Cùm in cunctis*, eodem Titulo *in antiquo*, ubi ſtatuitur, in hujuſmodi Eccleſiis Collegiatis promotum ad Parochiale Beneficium unitum Dignitati, ſi infrà annum non promoveri ſe faciat ad Sacerdotium, eſſe monendum à Superiori, & ſi tenuat, eſſe per Superiorem amovendum. Ratio eſt, quia Decretalis Gregorii, *Licet Canon*, loquitur de Eccleſiis Parochialibus ſimplicibus; & cum ſit Decretum pœnale non debet extendi ad Parochiales Eccleſias Collegiatas: Jura enim pœnalia non ſunt extendenda..

In 23. cap. quod incipit. *Si cui*, ex eodem ſtatuitur, quòd in caſu, quo aliquis in electione per compromiſſum habuerit plura vota, quàm alii, non tamen exceſſerint medietatem Votorum, talis Electio nulla eſt, quià eſt contrà formam ſtatutam in Concilio Generali Lateranenſi pro electione Canonicâ, in quo determinatur legitimè electum, ſivè in ſcrutinio, ſive in compromiſſo debere excedere medietatem omnium Votorum; unde non ſufficit, talem habuiſſe plura vota, quàm alii, ſi ultra medietatem non fuerit electus: nàm tunc dicitur electus, quandò eſt electus à majori parte.

In 24. cap. quod incipit. *Quorumdam*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Canonici Cathedralis Eccleſiæ conveniant ad eligendum Prælatum, & in diſcordia elegerint in Prælatum aliquem ex Religioſis men-

mendicantibus; prædictus Religioſus, etiam obtentâ licentiâ à ſuo Superiore, non debet tali electioni conſentire. Similiter ſi Religioſus Ordinis non mendicantis habuerit in tali Electione extrà Religionem plura vota, quàm alii concurrentes, non excedentia tamen medietatem omnium votorum eligentium; talis ſimiliter non debet præbere conſenſum ſuæ electioni, etiamſi à ſuo Superiore licentiam obtinuit. Et utrumque ſtatuit Papa ad removendos in Religioſis quoſcumque Ambitionis, & cupiditatis ſtimulos, ſi qui eſſent.

In 25. cap. quod incipit. *Ut quis duas*, ex eodem ſtatuitur, quòd in caſu, quo quis dupliei electione fuerit ad duas Eccleſias electus, non poteſt utramque electionem proſequi, ſivè utrique electioni conſentire, etiamſi proteſtetur, unâ tantùm dignitate eſſe contentum, ſed neceſſe eſt, ut uni aſſentiatur, eamque proſequatur, petendo confirmationem: quam ſi non obtinuerit, non poterit ad aliam redire: nàm illi renunciavit.

In 26. cap. quod incipit. *Si electio*, ex eodem ſtatuitur, quòd in caſu, quo electus non conſentiat ſuæ electioni, aut ſi poſt conſenſum præſtitum renunciet, vel moriatur, aut à Superiore juſtis de cauſis talis electio non confirmetur, ſeù caſſeturi in tali caſu Jus alterum eligendi in integrum revertitur ad eoſdem Electores, qui gaudere poterunt ſpatio temporis à jure permiſſi ad eligendum; dummodo circà id ipſimet Electores non proceſſerint dolo, aut fraude: nàm dolus, & fraus nulli patrocinatur.

In 27. cap. quod incipit. *Si Religioſus*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Religioſus in aliqua Religione profeſſus aſſenſum præbuerit alicui electioni de ſe factæ extrà ſuam Religionem abſque conſenſu, & licentiâ petitâ, & acceptâ à ſuo Superiore, talis conſenſus erit nullus, & in pœnam ſuæ præſumptionis talis electio eo ipſo redditur omninò invalida; quia Religioſus per Profeſſionem ſolemnem, ex vi voti Obedientiæ, non eſt ſui Juris, ſcilicet non habet nec velle, nec nolle, cùm ejus arbitrium pendere debeat à Voluntate ſui Superioris, qui abſque conſenſu Capituli conferre poterit talem licentiam ſuo ſubdito acceptandi Dignitatem extrà Ordinem.

In 28. cap. quod incipit. *Nullus Religioſus*, ex eodem ſtatuitur, quòd nullus Religioſus poteſt eligi ad dignitatem Abbatialem, vel Prioralem, niſi ſit expreſsè profeſſus in tali Religione, in qua eligitur Abbas, vel Prior: non enim fieri poteſt caput, ſeu Prælatus in aliqua Religione, niſi illi primò ſit incorporatus, quod fit per expreſſam Profeſſionem. Ad dignitatem autem Epiſcopalem Religioſus poteſt eligi, etiamſi non ſit expreſsè profeſſus.

In 29. cap. quod incipit. *Cùm expediat*, ex eodem ſtatuitur, quòd forma electionis, quæ traditur cap. *Cùm dilectus* Titulo de Electione in Decretalibus, quæ forma conſiſtit in electione per compromiſſum, non eſt ſublata, nec reprobata per cap. *Quia propter*, ibidem eodem Titulo ubi traditur, quòd triplici via poteſt procedi ad Electionem Canonicam, ſcilicet per ſcrutinium, per compromiſſum, & per communem inſpirationem. Compromiſſarii autem tenentur ſervare in electione eam formam, quæ illis aſſignata eſt à compromittentibus; aliàs talis electio per compromiſſum eſſet nulla, cùm mandatarii, vel Compromiſſarii excedere non debeant fines, mandati, ſeu compromiſſi.

In 30. cap. quod incipit. *Cùm non deceat*, ex eodem ſtatuitur, quòd Canonici, vel alii Præbendati alicujus Eccleſiæ, ſi recurrant ad inſtruendam Sedem Apoſtolicam in terminis Decretalis, *Cupientes* in materia Electionis factæ, vel faciendæ, exponendo, vel defendendo electionem pro conſervandis juribus ſuæ Eccleſiæ, debent toto tempore, quo pro tali negotio ſunt abſentes, gaudere fructibus ſuarum Præbendarum, ac ſi fuiſſent præſentes, ſeu reſidentes in propria Eccleſia, cùm abſentes ſint prò utilitate illius. Diſtributiones tamen quotidianas non lucrantur, quia hæ tantùm conceduntur illis, qui interſunt Choro; abſentibus verò in ſolo caſu infirmitatis, & non aliter.

In 31. cap. quod incipit. *Ab eo*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi aliqui opponant contra Perſonam electam in Superiorem, vel Prælatum, evidentem defectum ſcientiæ,

tiæ, vel morum, aut Natalium, & deindè tales opponentes, vel appellantes pænitentiâ ducti velint recedere à tali oppoſitione, vel Appellatione, hoc non eſt illis concedendum, ſed debent cauſam proſequi, aliàs erunt puniendi tamquàm deficientes in probatione.

In 32. cap. quod incipit. *Ex eo quod ad electionem*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi inter Canonicos ſit Canonicus impubes, talis non eſt vocandus ad electionem ſui Epiſcopi, eo quòd careat voce propter defectum diſcretionis, ratione pupillaris ætatis: undè conqueri non debet, ſi habeatur tamquam contemptus. Similitèr ſtatuitur in electione Prælati Regularis, non habere vocem Religioſos non profeſſos, nec Converſos.

In 33. cap. quod incipit. *Si poſtquàm*, ex eodem ſtatuitur, quòd factâ electione Prælati in Cathedrali, vel Regulari Eccleſia, ſi aliquis ex electoribus, ex cauſa probabili, appellet in ſcriptis ad Apoſtolicam Sedem, & pendente tali Appellatione prædicta electio confirmetur ab Ordinario, talis confirmatio non tenet, ſed tenetur electus, ſicùt etiam appellantes, perſonaliter accedere ad Curiam Romanam, & ibi proſequi negotium uſquè ad terminationem Cauſæ, juxtà Decretalem, *Cupientes*, ex Nicolao III. ſuperiùs poſitam num. 16.

In 34. cap. quod incipit. *Cum ex eo*, ex eodem ſtatuitur, quòd Epiſcopi, & eorum Superiores, ſcilicet Archiepiſcopi, Patriarchæ &c. valent diſpenſare cum promoto ad Eccleſiam Parochialem, ut cauſâ ſtudii per ſeptennium differat promoveri ad Sacerdotium; dummodò tamen infrà annum receperit Ordinem ſubdiaconatus ſub pœna amiſſionis Beneficii; Diaconatum autèm, & Præsbyteratum completo ſeptennio ſui ſtudii recepturus; aliàs ipſo Jure privatur tali Beneficio.

In 35. cap. quod incipit. *Commiſſa*, ex eodem, ſtatuitur, 1. quòd illa Decretalis, qua dicitur, quòd qui eſt promotus ad Eccleſiam Parochialem, tenetur ſub pæna privationis promoveri infrà annum ad Sacerdotium, intelligenda eſt de anno completo. 2. ſtatuitur, quòd ſi talis promotus ad Eccleſiam Parochialem in toto illo primo anno, ad quem tenetur promoveri ad Sacerdotium, fuerit legitimè impeditus, nec poſſet Præsbyteratum ſuſcipere, in tali caſu Eccleſiâ illâ non eſt privandus: nàm impedito non currit tempus, dummodò tamen ſuſceperit illos Ordines, quos poterit. 3. ſtatuitur, quòd ille non Sacerdos, qui facit ſe promoveri ad Eccleſiam Parochialem abſquè animo recipiendi Præsbyteratum infrà annum, ſed ſolùm lucrandi fructus talis Beneficii illius primi anni, non poteſt fructus illos licitè recipere, ſed tenetur Eccleſiæ reſtituere, nàm fraus nulli debet patrocinari. 4. ſtatuitur, quòd talis promotus ad Eccleſiam Parochialem, ſi eam acceptavit bona fide, ſcilicet cùm animo recipiendi Præsbyteratum infrà annum, ſed poſteà ex aliqua rationabili cauſa mutavit ſententiam, & non fecit ſe promoveri, in iſto caſu poteſt tutâ conſcientiâ retinere fructus perceptos illius primi anni, cùm fuerit Poſſeſſor bonæ fidei.

In 36. cap. quod incipit. *Si Abbatum*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Abbas exemptus, ſcilicèt immediatè ſubjectus Sedi Apoſtolicæ poteſt à Canonicis Eccleſiæ Cathedralis eligi in Epiſcopum, ſed acceptare non poteſt, ſinè licentia Papæ, aut ſinè licentia Legati de latere, ſi ſit in ejus Provincia: præfatus enim Legatus de latere ſicut poteſt confirmare electionem Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum in ſua Provincia, ità poteſt dare eis licentiam acceptandi: ſecus dicendum de aliis Legatis, qui non ſunt de latere; niſi tamen ſit eis talis facultas ſpecialiter demandata.

In 37. cap. quod incipit. *Si compromiſſarius*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Compromiſſarius, in quem Electores tranſtulerunt poteſtatem eligendi Prælatum, non eligat infrà tempus à Iure ſtatutum, ſcilicet infrà tres menſes, electio illa devolvitur ad Superiorem, & Electores ſibi imputent, ſi ſe compromiſerunt in Compromiſſarium negligentem. Si autem elegerit infrà tempus, ſed indignum, in tali caſu electio redit ad compromittètes, niſi tamen iſti ratam habuerint talem electionem indigni; in quo caſu etiam ipſi ſunt privati voce prò illa vice, & electio devolvitur ad Superiorem. Et non ſolum com-

compromiſſarius; & compromittentes ſunt in tali caſu pro illa vice privati voce eligendi, ſed etiam ſuſpenſi à fructibus ſuorum Beneficiorum per triennium in illa Eccleſia,quæ per electionem indigni dicitur offenſa:in talem tamen ſuſpenſionem non cadit Epiſcopus, ſi ſit compromiſſarius, & eligat indignum, aut ſi electio indigni ſit pro Beneficiis inferioribus. Eamdem pœnam ſuſpenſionis à fructibus Beneficii in Eccleſiâ offenſâ incurrit ille, qui ſe opponit electioni Epiſcopi quo ad Perſonam, & deficit in probatione.

In 38. cap. quod incipit. *Procurator*, ex eodem, ſtatuitur, ut Procurator ad appellandum contra formam electionis, vel contra Perſonam electam non debet admitti tamquàm idoneus, niſi in ejus Procuratorio, ſcilicet libello appellationis ſint ſingulariter, & clarè expoſita motiva appellationis, habeatquè ſpeciale mandatum ad jurandum nomine eorum, quorum Procurator exiſtit, quòd ipſi credunt, expreſſa hujuſmodi, vera eſſe, & ſe poſſe illa probare.

In 39. cap. quod incipit. *Si confirmationem*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi contingat, confirmationem electionis eſſe invalidam, vel propter defectum juriſdictionis in confirmante, vel propter defectum ſolemnitatum juris,quæ fuerunt omiſſæ: non propter hoc electio eſt infirmanda, ſed confirmari poterit cùm debitis juris ſolemnitatibus à legitimo confirmatore; utile enim per inutile non vitiatur, ut dicitur in Regulis Juris.

In cap. 40. quod incipit. *Quia ſæpe*, ex eodem, ſtatuitur, quòd vacante Eccleſiâ Cathedrali, vel Collegiatâ, Bona à Prælato relicta, vel tempore vacationis obvenientia, nullatenùs dividi poſſunt inter Canonicos, aut Electores, ſed debent reſervari fideliter Prælato ſucceſſori, vel integralitèr applicari in utilitatem Eccleſiæ. Contrafacientes autem eo ipſo incurrunt ſuſpenſionem ab Officio, & Beneficiis, non obſtante quacumque conſuetudine, præſcriptione, & indulto etiam Apoſtolico, quod præſenti ſtatuto revocatur.

In cap. 41. quod incipit. *Conſtitutio*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Conſtitutio Gregorii in Concilio Lugdunenſi ſupra poſita num. 4. quæ incipit, *Ut circa*, qua ſtatuitur, ut qui appellat in causâ electionis debeat exprimere ſingulariter omnia, quæ opponit, & jurare credere ea eſſe vera, & poſſe probare; quòd ſcilicet talis Conſtitutio non eſt intelligenda de Appellante in Judicio; nàm in Judicio appellans tenetur ſervare jura antiqua; ſed ſolùm eſt ſervanda ab Appellante extra Judicium, ubi eſt majus periculum fraudis, & calumniæ. Appellans autem in Judicio habet, undè ejus dicta juridicè conſtare poſſint abſquè tali expreſſione, & juramento. Correctio autem legum antiquarum admitti non debet, niſi ſit expreſſa.

In cap. 42. quod incipit. *Is cui*, ex eodem,ſtatuitur,quòd habens plenam adminiſtrationem Cathedralis Eccleſiæ tàm in ſpiritualibus, quàm in temporalibus poteſt quidèm exercere juriſdictionalia: Sacramentalia,ſeu Pontificalia autem non poteſt exercere,niſi ſit conſecratus in Epiſcopum:nam per jus,quod confertur adminiſtrandi, confertur juriſdictio, ſed non poteſtas Ordinis Epiſcopalis, quæ ſupponitur ad actus Sacramentales Epiſcopi. Unde in tali caſu Adminiſtrator debet facere exercere actus Ordinis Epiſcopalis per alium,qui ſit Epiſcopus.

In cap. 43., quod incipit. *Indemnitatibus*, ex eodem ſtatuitur, 1. quòd in electione Abbatiſſæ, vel Prioriſſæ non poſſunt vocem activam habere Moniales, niſi ſint expreſsè, vel tacitè profeſſæ, & expleverint annum duodecimum ætatis: Perſona autem eligenda debet eſſe expreſsè profeſſa, & explere annum trigeſimum ætatis. 2. ſtatuitur, quòd ſi electio Abbatiſſæ facta ſit in diſcordia, ſed una pars eligentium ſit duplò major aliâ, & hæc inferior ſe opponat electioni, appellando vel circa formam, vel circa Perſonam electam, Superior non debet admittere talem Appellationem; poterit tamen ex ſuo officio certiorari de ſervatâ formâ electionis, & de dignitate Perſonæ, ſicque procedere ad confirmationem Perſonæ electæ, ſi nihil inveniatur obſtans, aut formæ, aut Perſonæ. 3. ſtatuitur, quòd ſi electio facta ſit in diſcordia, tali-

ter quòd una pars excedat quidèm medietatem votorum, ſed non ſit duplò major; publicato ſcrutinio, antequàm procedatur ad alios actus, ſi aliquæ ex minori parte accedere velint ſuis votis ad partem majorem, & complere numerum duplò majorem, tunc electa, erit, non obſtante Appellatione, confirmanda, & benedicenda. Ex officio tamen Superior debebit inquirere de forma electionis, & de idoneitate electæ. 4. ſtatuitur, quòd ſi electio fuerit facta à majori parte Capituli, ſed non pertingente ad duplò majorem, ſive per electionem, ſive per acceſſum: ſi minor pars ſe opponat, & appellet, in tali caſu Superior ante confirmationem ſine ſtrepitu, & figurâ Judicii, de veritate talium oppoſitionum debet inquirere. Interim tali ſic electæ poterit concedi pura adminiſtratio Monaſterii, non tamen Juriſdictio, & Superioritas, niſi poſt Confirmationem, & Benedictionem. 5. ſtatuitur, quòd ſi aliqua fuerit electa à majori parte Capituli, nullum jus acquirit, nec ad eam aliæ poſſunt accedere ad complendum numerum, cùm ex vi electionis non ſit validè electa: quod enim à principio non ſubſiſtit, nec per acceſſum convaleſcit. 6. ſtatuitur, quòd ſi electio Abbatiſſæ, aut Prioriſſæ fiat per compromiſſum, cùm ſcilicet omnes Vocales compromittunt in aliquasMoniales; ipſis conferendo jus eligendi nomine omnium; & iſtæ eligant aliquam,cui electioni, ſi ſe opponat major pars Capituli, non tamen duplò major, & appellet in formà, admittenda eſt talis Appellatio, & differenda eſt confirmatio à Superiore; interim tamen danda ei eſt adminiſtratio, quæ ei danda non eſt, ſi Appellatio procedat à parte duplò majori: ſecùs ſi Appellatio ſit facta à minori parte Capituli; tunc enim Superior procedere debet ad Confirmationem, ex conjectis tamen priùs rationibus, quæ afferuntur in oppoſitum. 7. ſtatuitur, quòd ponentes, vel nutrientes diſcordiam in electione Monialium ipſo jure ſunt excommunicati. 8. ſtatuit Pontifex, quòd non intendit per hanc Conſtitutionem de electione Monialium aliquo pacto mutare jus commune circa electiones Virorum. Multa enim ſtatuuntur in hoc capite pro electionibus Monialium, quæ non militant pro electione Virorum etiam Religioſorum; ut quòd electiones Monialium confirmentur non obſtante Appellatione, ſicut etiam quòd Monialis electa adminiſtret ante confirmationem, & plura alia pro Monialibus, quæ in electionibus Virorum locum non habent: ſunt enim ſpecialia pro ſolis electionibus Monialium.

In cap. 44., quod incipit. *Provida*, ex eodem ſtatuitur, quòd in caſu,quo Appellans in cauſa electionis Epiſcopi ad Curiam Romanam, receſſerit ab appellatione, non poteſt Archiepiſcopus confirmare electionem, & conſecrare electum, niſi priùs juridicè inquirat, an in tali ceſſione appellationis intervenerit pravitas Simoniæ; quia tunc prædicta cauſa ſpectat ad Sedem Apoſtolicam, cui remittenda ſunt acta facta per talem Archiepiſcopum: ſi autem conſtat in prædicta ceſſione appellationis nullam extitiſſe pravitatem, poterit Archiepiſcopus confirmare electionem, & electum conſecrare: quòd ſi faciat, non adhibitâ dictâ inquiſitione de pravitate, nulla erit confirmatio, & in pœnam eo ipſo remanet ſuſpenſus per annum à confirmatione, & conſecratione Epiſcoporum.

In cap. 45., quod incipit. *Si eo tempore*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi causâ vacationis alicujus Eccleſiæ Cathedralis, Papa aliqua præceperit, inter quæ ſibi reſervet proviſionem præfatæ Eccleſiæ, prohibendo Canonicis, ne ipſi eligant; & antequàm pervenerit tale mandatum Apoſtolicum, Canonici legitimè elegerint Epiſcopum, utendo proprio jure, talis electio non eſt vitiata; omnia tamen alia, quæ reſervationem ſequuntur, ut Confirmatio electionis, vel Conſecratio ipſo jure ſunt nulla, undè electus tenetur in tali caſu recurrere ad Apoſtolicam Sedem pro Confirmatione, & Conſecratione.

In cap. 46., quod incipit. *Si quis*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi aliquis juſto impedimento detentus in electionis negotio nequeat perſonaliter intereſſe, poterit, nedùm unum, ut dicitur in Concilio Generali Lateranenſi, ſed plures Procurato-

rato-

ratores deſtinare in ſolidum, & non aliter; & tunc melior erit conditio primi occupantis: ſi autem ambo inſimul concurrant, obſervanda eſt, quæ ſit prima eorum inſtitutio: ſi verò eodem tempore ambo ſint inſtituti, admittetur ille, quem capitulum, vel pars major elegerit. Si autem nullus ipſorum in ſolidum fuit deputatus, nullus erit admittendus propter carentiam debitæ facultatis. Procurator autem ad eligendum pro abſente, ſi ſit de corpore Capituli, puta Canonicus ejuſdem Cathedralis, non poteſt unam Perſonam eligere nomine ſuo, & aliam nomine ejus, cujus eſt Procurator, niſi ab eo habeat ſpeciale mandatum. Si autèm ſit caſus, quòd nullus ex Capitulo velit eſſe Procurator abſentis, & aliàs Canonici nequeant admittere Procuratorem extraneum, non poterit abſens per literas exprimere votum ſuum, cùm in ſcrutinio cujuſlibet votum debeat ſecretò, & ſigillatim exprimi.

In cap. 47. quod incipit. *Quoniam*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Superior non debet eſſe nimis celer, & feſtinus in confirmandis electionibus, præſertim quandò fiunt in diſcordiâ: undè ſi facta ſit electio Epiſcopi à Canonicis, aliquibus eorum opponentibus, & appellantibus à tali electione, vel ſi duo fuerunt electi, non debet Superior procedere ad confirmationem electi, vel unius ex duobus electis, niſi vocatis nominaliter opponentibus, vel vocato nominaliter coelecto, & illis aſſignato termino peremptorio ad dicendum, quare electus non ſit confirmandus. Quod etiam fieri debet, etiamſi electio facta fuerit in concordiâ; niſi quòd citatio in hoc caſu non ſit perſonaliter, ſed in terminis generalibus, citando omnes, & ſingulos, quorum intereſt ad dicendum, quarè electio non ſit confirmanda, poſitâ citatione iſtâ ad valvas Eccleſiæ, de cujus electionis confirmatione tractatur, & aſſignato termino peremptorio, quo elapſo, ſi nullus opponat, Superior procedet ad Confirmationem. Si Superior hæc omittat, confirmatio non tenet. Legatur D. Th. 2. 2. q. 63. art. 2. in corpore, ubi ſtatuit, quandonàm detur acceptio perſonarum in diſpenſatione Spiritualium, & conſequenter dat regulam certam pro electionibus, & poſtulationibus ſervandam his verbis; *Dicendum, quòd acceptio perſonarum eſt peccatum, inquantùm contrariatur Juſtitiæ; quantò autem in majoribus aliquis Juſtitiam transgreditur, tantò gravius peccat; unde cùm Spiritualia ſint temporalibus potiora, gravius peccatum eſt, perſonas accipere in diſpenſatione Spiritualium, quàm in diſpenſatione temporalium; & quia perſonarum acceptio eſt, cùm aliquid perſonæ attribuitur præter proportionem dignitatis ipſius: conſiderare oportet, quòd dignitas alicujus perſonæ poteſt attendi dupliciter. Uno modo ſimpliciter, & ſecundùm ſe, & ſic majoris dignitatis eſt ille, qui magis abundat, in Spiritualibus gratiæ donis. Alio modo per comparationem ad bonum commune; contingit enim aliquando, quòd ille, qui eſt minus Sanctus, & minus ſciens, poteſt magis conferre ad bonum commune propter potentiam, vel induſtriam ſæcularem, vel propter aliquid hujuſmodi; & quia diſpenſationes Spiritualium principalius ordinantur ad utilitatem communem, ſecundùm illud 1. Corinth. 12 unicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem, ideo quandoque abſque acceptione perſonarum in diſpenſatione Spiritualium illi, qui ſunt ſimpliciter minus boni, melioribus præferuntur, ſicut etiam & Deus gratias gratis datas quandoque concedit minus bonis.* Videatur per totam quæſtionem.

TITULUS VII.

De Renunciatione in duo capita diſtinctus.

Dictum eſt in ſuperiori Titulo de Electione; ſed quia nihil eſt ſub Sole firmum, & electio poſſit non habere ſuum effectum, eo quòd electus renunciet jus quæſitum per electionem, non acceptando dignitatem; vel poſtquàm poſt aliquod tempus fuit in poſſeſſione, talem dignitatem renunciando: ideò in præſenti ſequitur Titulus de Renunciatione.

Agitur de hac materia in Decretal. Titulo 9. lib. 1.

In

In 1. cap. quod incipit. *Quoniam*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd Romanus Pontifex videns ſe impotentem ad regendam Univerſalem Eccleſiam, poteſt Papatui renunciare, non obſtante, quòd obtines adminiſtrationem Eccleſiaſticam ſecundùm jura non poteſt renunciare, niſi in manibus Superiorum; Papa autem Superiorem non habet; undè aliqui exiſtimabant Papam non poſſe renunciare Papatui. Hos repræhendit in præſenti, Decretali Bonifacius, & adducit Decretalem Cæleſtini V. ſui Prædeceſſoris, qui de conſilio omnium Cardinalium ſtatuit, Summum Pontificem ex juſta, & rationabili cauſa poſſe renunciare Papatui, ſicut ipſemet Cœleſtinus renunciavit, & Cardinales alium elegerunt: nam jura illa, quæ ſtatuunt renunciationem fieri debere in manibus Superioris, ſunt intelligenda de Prælato habente Superiorem, non de Papa, qui Superiorem non habet; undè renunciat Cardinalibus ad effectum, ut alium eligant; eſt enim ſui juris, nec ei ablata eſt facultas renunciandi. Sed advertendum eſt, quòd Pontifex poteſt renunciare Papatui ex ſua libertate, etiam ſine cauſa validè, non tamen licitè; poteſt tamē ex juſta causâ id etiam licitè facere. Sic Azorius lib.4.cap.6. q.3. Barboſa de Jure Eccleſiæ lib.5. cap.2. & Paſſerinus tom.1. fol.430.num.7. Juſta autem cauſa eſt, ſi ſe inſufficientem ſentiat; cauſæ verò inſufficientiæ ſecundùm Gloſſam ſunt tres, videlicet, defectus litteraturæ, ſenectus, & infirmitas, ob quas cauſas poteſt Papa renunciare, ſed non deponi, niſi ob hæreſim.

In 2. cap. quod incipit. *Si te Præbendam*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi aliquis obtinuerit à Sede Apoſtolica Præbendam, ſeù dignitatem primò vacaturam in aliqua Eccleſia, & alius poſſidens in tali Eccleſiâ Præbendam, aut dignitatem tenuem, videns in proximo eſſe vacaturam Præbendam, aut dignitatem pinguem, fraudolentèr renunciet Præbendam, aut dignitatem, quam habet, ut ille primus provideatur, ad effectum ut ipſe poſſit obtinere Præbendam, aut dignitatem pinguem, quæ in proximo vacabit. In tali caſu ille primus, qui à Sede Apoſtolica obtinuit expectativam, non tenetur acceptare Præbendam, aut dignitatem tenuem fraude renunciatam, ſed poterit expectare vacationem dignitatis pinguis; ille autem, qui talem commiſit fraudem, renunciando, conſtito de fraude, utrâque Præbendâ carebit; fraus enim nulli patrocinatur. Legatur pro elucidatione hujus tituli D. Th. 2.2. q.185. art.2. in corpore ubi ait: *Dicendum, quòd in aſſumptione Epiſcopatus duo ſunt conſideranda. Primò quidem quid deceat hominem appetere ſecundùm propriam voluntatem. Secundò, quid hominem deceat facere ad voluntatem alterius; quantùm ergo ad propriam voluntatem convenit homini, principaliter inſiſtere propria ſaluti: ſed quòd aliorum ſaluti intendat, hoc convenit homini ex diſpoſitione alterius poteſtatem habentis; unde ſicut ad inordinationem voluntatis pertinet, quòd aliquis proprio motu feratur in hoc, quòd aliorum gubernationi præficiatur: ita etiam ad inordinationem voluntatis pertinet, quòd aliquis omninò contra Superioris injunctionem prædictum gubernationis officium finaliter recuſet propter duo. Primò quidem, quia hoc repugnat charitati proximorum, quorum utilitati ſe aliquis debet exponere, unde Aug. 19. de Civit. Dei dicit, quòd negotium juſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis. Secundò, quia hoc repugnat humilitati, per quam aliquis Superiorum mandatis ſe ſubjicit; unde Gregorius dicit in Paſtorali, tunc ante Dei oculos vera eſt humilitas, cùm ad reſpuendum hoc, quod utiliter ſubire præcipitur, pertinax non eſt.* Videatur per totam quæſtionem.

TITULUS VIII.

De ſupplendi negligentia Prælatorum, in quatuor capita diſtinctus.

Dictum eſt ſupra de Electione ad Praelaturas, & dignitates, ſed quia aliquando hujuſmodi electi ad dignitates, & Prælaturas evadunt negligentes, & deſides in exercendis propriis Officiis: ideò hic tractatur, de modo, quo eorum negligentia eſt ſupplenda.

Agitur de hac materia in Decretalibus tit.10. lib.1.

In

In 1. cap. quod incipit. *Romana*, ex Innocentio IV. ſtatuitur, quòd in caſu, quo Suffraganeus incurrat excommunicationem, non propter hoc ejus Juriſdictio devolvitur ad Metropolitanum. Verum tamen eſt, quòd ex cap. *Paſtoralis* de Officio Ordinarii Jus conferendi Beneficia ſpectans ad Suffraganeum, devolvitur ad Metropolitanum, ſi Suffraganeus infrà ſex menſes ea non contulerit: tempore autem excommunicationis cùm ſit impeditus, ei non currit tempus, niſi tamen fuerit negligens in petendâ abſolutione; aliàs Metropolitanus non poteſt ea conferre.

In 2 cap. quod incipit. *Gerendi*, ex eodem ſtatuitur, quòd in caſu, quo aliquis Prælatus ſit valdè negligens, & remiſſus in ſuo Officio, Superior tenetur ei dare Coadiutorem, qui ſit vir devotus ergà Deum, circumſpectus, zelo plenus, & prudens, cujus ope ſupplebitur negligentiæ Prælati. Durat autem Coadiutor regulariter uſque ad mortem Coadiuti, nec ei ſuccedit, niſi hoc expreſsè concedatur à Pontifice.

In 3. cap. quod incipit. *Si Epiſcopus*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd in caſu, quo Epiſcopus à Paganis, vel à Schiſmaticis ſit captus, in tali caſu adminiſtratio Epiſcopatus tàm in Spiritualibus, quàm in temporalibus non ad Archiepiſcopum, ſed ad Capitulum ſpectat, donec Epiſcopus liberetur; niſi tamen aliter Summus Pontifex, qui quàmcitò debet per Capitulum de hac re certiorari, diſpoſuerit.

In 4. cap. quod incipit. *Eccleſia Cathedrali*, ex eodem ſtatuitur, quòd tempore, quo Eccleſia Cathedralis vacat, ſolus Papa deputare poteſt in ea Viſitatorem; niſi tamèn, urgente neceſſitate, propter negligentiam, & doloſam adminiſtrationem Capituli, habitâ priùs Cauſæ cognitione, Archiepiſcopus Provinciæ aliquem in Viſitatorem deputaret. Qui tamèn Viſitator datus ab Archiepiſcopo in prædicto caſu non poteſt conferre Beneficia vacantia, quorum collatio ad Epiſcopum ſpectat: ſecùs dicendum de Viſitatore deputato ab Apoſtolica Sede.

TITULUS IX.

De Temporibus Ordinationum, & qualitate Ordinandorum in 4. capita diſtinctus.

QUià ſupra dictum eſt de eligendis prò adminiſtratione Eccleſiarum, ad quam adminiſtrationem requiritur, ut ſint promoti ad Sacros Ordines: ideò in præſenti ſubnectitur præſens Titulus.

Agitur de hac materia in Decretalibus Titulo 9. Lib. 1. & D. Th. in ſupplem. 3. par. qu. 36. ubi per. 5. art. egregiè explicat qualitatem Ordinandorum, & in art. 1. in corpore ſic concludit, quoad bonitatem morum requiſitam his verbis: *Unde cùm in quolibet ordine aliquis conſtituatur dux aliis in rebus Divinis, quaſi præſumptuoſus, mortaliter Peccat, qui cùm conſcientia peccati mortalis ad ordines accedit; Et ideò Sanctitas vitæ requiritur ad ordinem de neceſſitate Præcepti, ſed non de neceſſitate Sacramenti. Unde ſi malus ordinatur, nibilominus ordinem habet, tamen cùm peccato*; Et in art. 2. in corpore circa ſcientiam requiſitam in ordinandis ſic concludit; *Dicendum, quòd in quolibet actu hominis ſi debeat eſſe ordinatus, oportet, quòd adſit directio rationis; Unde ad hoc, quòd homo ordinis officium exequatur, oportet, quòd habeat tantùm de ſcientia, quòd ſufficiat ad hoc, quòd dirigatur in actum ordinis illius, & ideo talis ſcientia requiritur in eo, qui debet ad ordines promoveri, & non ut univerſaliter in tota Sacra Scriptura ſit inſtructus, ſed plus, vel minus, ſecundùm, quòd ad plura, vel pauciora ſe ejus officium extendit, ſcilicet, ut illi, qui aliis præponuntur curam animarum habentes, ſciant ea, quæ ad doctrinam fidei, & morum pertinent: & alii ſciant ea quæ ad executionem ſui ordinis ſpectant*. Legatur per totam quæſtionem.

In 1. cap. quod incipit. *Sepè contingit*, ex Clemente IV. ſtatuitur; quòd Epiſcopi Italiæ non promoveant ad Ordines Ultramontanos, niſi de expreſsâ licentiâ Papæ, vel cùm literis Dimiſſorialibus ſuorum

rum Ordinariorum ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ ipſis ſic ordinatis abſque ſpe obtinendæ diſpenſationis à Sede Apoſtolica: Epiſcopis autèm Ordinantibus ſub pæna condignæ pænitentiæ. Quæ prohibitio rationabiliter facta eſt, quià ſæpè contingebat, nonnullos Clericos, vel excommunicatos, vel Apoſtatas, aut Irregulares à ſuâ Patriâ, ubi ſunt ſic diffamati, fugientes, & in Italiam venientes, permittebant ſe ab Epiſcopis Italię ad Ordines promoveri, quod omino erat illicitum, & abſurdum.

In 2. cap. quod incipit. *Eos qui*, ex Gregorio X. in Generali Concilio Lugdunenſi, ſtatuitur, Epiſcopos ſcienter ordinantes Clericos alienæ Diœceſis abſque Dimiſſoriis proprii Epiſcopi incidere ipſo facto in pœnam ſuſpenſionis à Collatione Ordinum per ànnum, nec eos ignorantiam affectatam excuſare, quia hęc ſcientię comparatur. In illo autem anno, quo talis Epiſcopus manet manifeſtè ſuſpenſus, poterunt Clerici ejus Subditi, abſque ejus licentiâ, à vicinis Epiſcopis ordinari, Clerici autem ad diverſos Epiſcopos poſſunt pertinere, ſcilicet, vel ratione domicilii, vel ratione Originis, vel ratione Beneficii.

In 3. cap. quod incipit. *Cum nullus*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd Clericus Beneficiatus exiſtens extra ſuam nativam Diœceſim poteſt ad Ordines promoveri ab alieno Epiſcopo, cùm literis tamen commendatitiis, ſeu Dimiſſoriis Epiſcopi, vel Originis, vel Beneficii, vel Domicilii: unuſquiſque enim eorum dicitur ejus Ordinarius, ad quem ſpectat licentiare ad Ordines. Miniſtri autem Epiſcoporum hanc facultatem non habent, niſi Epiſcopo abſente, ejus Vicarius Generalis, vel Capitulum Sede vacante. Prælati autem Regulares habent Indultum à Sede Apoſtolica, ut ſuos Subditos ad quemlibet Epiſcopum mittere poſſint ad Ordines ſuſcipiendos.

In 4. cap. quod incipit. *Nullus Epiſcopus*, ex eodem ſtatuitur, quòd nullus Epiſcopus poteſt conferre primam Tonſuram Illiterato, aut Infanti, ſcilicet antè ſeptem annos, niſi iſte Religionem ingrederetur, tamquàm oblatus à Parentibus. Similiter nullus Epiſcopus poteſt dare primam Tonſuram homini alterius Diœceſis abſque proprii Epiſcopi licentiâ; nec homini conjugato, niſi de conſenſu Uxoris velit ad Ordines Sacros promoveri, ipſâ Uxore ſimiliter ad Religionem tranſeunte, vel ſaltem Votum caſtitatis emittente. Epiſcopus autem in his contrafaciens erit ſuſpenſus per annum à collatione primæ Tonſuræ.

TITULUS X.

De ætate, & qualitate, & Ordine præficiendorum, unico capite comprehenſus.

Dictum eſt ſupra de ætate, & qualitate Ordinandorum: nunc ſequitur Titulus de ætate, & qualitate præficiendorum, ſeu promovendorum ad Beneficia, & dignitates.

Agitur de hac materia in Decretalibus Tit. 14. lib. 1.

In hoc ergo cap. quod incipit. *Permittimus*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd Epiſcopi diſpenſare poſſint cùm Clericis, qui compleverint vigeſimum annum ætatis, ut licitè obtinere poſſint dignitates, & Perſonatus, dummodò his Officiis annexa non ſit cura animarum: tunc enim eſſet requiſitus annus vigeſimus quintus de Jure communi. Videatur D. Thom. 2. 2. qu. 185. art. 3. in corpore, ubi ait: *Dicendum, quòd in aſſumptione alicujus ad Epiſcopatum aliquid conſiderandum eſt ex parte ejus, qui aſſumitur, & aliquid ex parte ejus, qui aſſumit. Ex parte enim ejus, qui aſſumit, vel eligendo vel providendo, requiritur, quòd talem eligat, qui fideliter Divina Myſteria diſpenſet, quæ quidem diſpenſari debent ad utilitatem Eccleſiæ &c.* deinde ſubdit, *ex parte autem ejus, qui aſſumitur, non requiritur, quòd reputet ſe aliis meliorem, hoc enim eſſet Superbum, & Præſumptuoſum, ſed ſufficit, quòd nihil in ſe inveniat, per quod illicitum ei reddatur aſſumere Prælationis officium. Unde licet Petrus interrogatus eſſet an Dominum plus cæteris diligeret? in ſuâ reſponſione non ſe prætulit cæteris, ſed ſimplici-*

pliciter reſpondit, *quòd Chriſtum amaret*, ex quibus verbis colligitur qualitas Epiſcoporum, & conſequenter præficiendorum ad dignitates Eccleſiaſticas. Legatur per totum art. & quæſt.

TITULUS XI.

De Filiis Presbyterorum, & aliis illegitimè natis in duo capita diſtinctus.

QUia dictum eſt ſupra de promovendis ad Ordines, & ad beneficia Eccleſiaſtica: ideò in præſenti agitur de Filiis Presbyterorum, & aliis illegitimè natis, ad videndum, quid ſtatutum ſit de eis; an poſſint promoveri ad Ordines & Beneficia abſque ſpeciali diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ.

Agitur de hac materia in Decretalibus tit. 17. lib. 1.

In 1. cap. quod incipit. *Is qui*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd Epiſcopus poteſt quidèm diſpenſare cùm illegimè natis, ut poſſint ad Ordines minores promoveri, & ad Beneficia ſimplicia, ſed non curata, non autem poteſt cùm eis diſpenſare, ut poſſint promoveri ad Ordines Sacros, vel ad Beneficia curata, vel ad dignitates. In his enim ſolus Papa poteſt cùm illegitimis diſpenſare; obtentâ autem ab illegitimo diſpenſatione à Papa, ut aliquod Beneficium curatum recipiat, ex vi talis diſpenſationis non poteſt, eo dimiſſo, aliud Beneficium curatum pinguius acceptare, quia diſpenſatio conſumata eſt per acceptationem primi Beneficii. Requiritur ergo, quod denuò ſupplicet pro obtinendâ aliâ diſpenſatione.

In 2. cap. quod incipit. *Si is cùm quo*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Sedes Apoſtolica cùm aliquo illegitimo diſpenſavit, ut poſſit promoveri ad Ordines Sacros, & ſimul ad Beneficium curatum; ſi iſte nullâ factâ mentione de hac diſpenſatione obtentâ ſuper defectum natalium, petat, & obtineat à Papa diſpenſationem ſuper pluralitate Beneficiorum, ad hoc ut duo Beneficia curata poſſit retinere, hæc ſecunda diſpenſatio nulla eſt, quia eſt per ſubreptionem obtenta, & non expreſſa prima diſpenſatio, ratione cujus, Papa ſi ſciviſſet, non diſpenſaſſet cùm illegitimo ſuper pluralitate Beneficiorum. Videatur D. Th. in Supplem. 3. p. qu. 39. art. 5. in corpore ubi ait: *Dicendum, quòd ordinati in quadam dignitate præ aliis conſtituuntur; & ideo ex quadam honeſtate requiritur in eis claritas quadam, non de neceſſitate Sacramenti, ſed de neceſſitate præcepti, ut ſcilicet ſint bonæ famæ, bonis moribus ornati, non publicè pænitentes, & quia obſcuratur hominis claritas ex vitioſa origine, ideò etiam ex illegitimo thoro nati, à ſuſceptione ordinum repelluntur, niſi cùm eis diſpenſetur, & tantò eſt difficilior eorum diſpenſatio, quantò eorum origo eſt turpior.* Legatur per totum art.

TITULUS XII.

De Bigamis unico cap. comprehenſus.

CUm actum ſit ſuprà de promovendis ad Ordines, & Beneficia, & ſtatutum ſit illegitimos non poſſe promoveri abſque diſpenſatione: ideò in præſenti quæritur, quid dicendum ſit de Bigamis, ſcilicet de his, qui contraxerunt, & conſumarunt cùm ſecundâ Uxore; vel contraxerunt, & conſumarunt cùm corruptâ.

Agitur de hac materia in Decretalibus Titulo 21. lib. 1.

In hoc ergo cap. quod incipit. *Altercationi antiquæ*, ex Gregorio X. in Concilio Generali Lugdunenſi, ſtatuitur, Bigamum, etſi antè in ſua juventute ſuſceperit primam Tonſuram, & Ordines minores, & tamquàm Eccleſiaſticus gauderet Privilegio Fori, & Canonis; tamen, ſtatim ac ſit Bigamus, remanere ſpoliatum omni Privilegio Clericali, & addictum Curiæ Sæculari: imo ſub anathemate ei prohibitum eſt, incedere cùm inſigniis Clericalibus, ſcilicet in habitu, & tonſura, eſt enim extra ſtatum Clericalem. Legatur S. Tho. in Supplem. 3. p. q. 68. art. 5. in corpore ubi ait: *Dicendum, quòd Bigamia non eſt adjuncta irregularitas de jure naturali, ſed de jure poſitivo, nec iterum eſt de eſſentialibus ordinis, quòd ali-*

quis non ſit Bigamus, quod patet ex hoc, quòd ſi aliquis Bigamus ad ordines accedat, characterem accipit; & ideò Papa poteſt diſpenſare in tali irregularitate totaliter, ſed Epiſcopus, quantum ad minores Ordines, & quidam dicunt, quòd aliquis etiam quantùm ad majores, in illis, qui volunt Deo in Religione ſervire propter vitandum Religioſorum diſcurſum.

TITULUS XIII.

De Officio Vicarii in tria capita diſtinctus.

QUia in ſuperioribus Titulis dictum eſt de promovendis ad Beneficia, & dignitates; & cùm ad dignitates promotus, puta Epiſcopus, ſoleat inſtituere Vicarium, vel unum, vel plures: ideò in præſenti proponitur Titulus de Officio Vicarii.

Agitur de hac materia in Decretalibus Titulo 28.

In 1. cap. quod incipit, *Romana Eccleſia* ex Innocentio IV. ſtatuitur, quòd ſi aliquis Officialis Epiſcopi, puta Vicarius ipſius, ſit ex rationabili cauſa excommunicatus ab Archiepiſcopo, vel à Papa; & talis Vicarius, cùm ex defectu juriſdictionis non poſſit tale officium exercere, alium ſibi deputet, & deſignet in ſubſtitutum in prædicto officio; iſte ſucceſſor, vel Subſtitutus non per hoc incurrit excommunicationem, niſi participet cùm principali in crimine damnato, vel criminoſo, ut dicunt. Verumtamen acta hujus ſubſtituti valida non ſunt, ſi juriſdictionem accepit ab excommunicato; quia ſicut ipſe non habet, ità nec aliis poteſt conferre; ſecùs ſi juriſdictionem accepit ab alio, puta ab Epiſcopo.

In 2. cap. quod incipit. *Licet*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd licet Epiſcopus per generalem commiſſionem, quam facit ſuo Officiali, ſeu Vicario, conferat poteſtatem cognoſcendi cauſas Subditorum, & eas definiendi; non tamen dat poteſtatem inquirendi in criminalibus, corrigendi, aut puniendi eorum exceſſus, aut eos privandi Beneficiis, ſeu Officiis, niſi illi ſpecialiter, & ſub expreſſis verbis hæc illi committantur: nam ad hæc requiritur ſpecialis juriſdictio, nec ſufficit generalis.

In 3. cap. quod incipit. *Cùm in generali*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ex generali commiſſione factâ ab Epiſcopo, ſuo Officiali, puta Vicario, non intelligitur data facultas conferendi Beneficia vacantia, vel vacatura; niſi hoc in particulari exprimatur; conferre enim Beneficia, quorum collatio ſpectat ad Epiſcopum, eſt proprium ipſius Epiſcopi; undè non ſolet Epiſcopus hanc poteſtatem alteri conferre, niſi ſpeciali indulto hoc exprimat; Ea enim quæ ſunt propria unius, alteri non conferuntur.

TITULUS XIV.

De Officio, & poteſtate Delegati in 15. cap. diſtinctus.

QUia in ſuperiori Titulo dictum eſt de Officio Vicarii, & Judex delegatus videtur veluti Vicarius Judicis, ſeu Prælati delegantis in cauſa ſibi commiſſa: ideò poſt præcedentem Rubricam adnectitur Rubrica præſens de officio, & poteſtate Judicis Delegati.

Agitur de hac materia in Decretalibus Titulo 29. primi libri.

In 1. cap. quod incipit. *Statuimus*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd Conſervatores, ſeu Protectores, quos ſolet Apoſtolica Sedes concedere Religioſis, ſeu aliis ſuæ juriſdictioni immediatè ſubjectis, debent eos à manifeſtis injuriis, ſeu violentiis defendere: Judicialem tamen indaginem juriſdictionis exercere non poſſunt, ſed hoc ad eorum ſpectat Judices ordinarios.

In 2. cap. quod incipit. *Quia Pontificali*, ex Alexandro IV. ſtatuitur, quòd in coactionibus, & pœnis debet Judex delegatus à Papâ, Epiſcopalem dignitatem revereri; unde Judex delegatus ab Apoſtolica Sede contra aliquem Epiſcopum, ſi Epiſcopus fuerit contumax, non ſtatim debet Epiſcopum excommunicare, ſed primò admonitum, ipſum privare ingreſſu

greſſu Eccleſiæ, deindè ſi perſiſtat in contumacia, ipſum ſuſpendere ab Ordine Sacerdotali; deindè ſi adhuc ſit contumax, eum ab Officio Pontificali ſuſpendat: tandem ſi perſeverat, cenſurâ excommunicationis mulctetur. Qui ordo in pœnis Epiſcoporum eſt obſervandus propter decentiam, & reverentiam dignitatis Pontificalis; niſi tamen aliter ſit procedendum, ſtante nimiâ contumaciâ, proterviâ, ſive exceſſu.

In 3. cap. quod incipit. *Si duo ex tribus*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd ſi Papa in aliqua cauſa deleget tres Judices, quorum duo cùm ſint impediti, ſubdelegant aliis vices ſuas, qui ſubdelegati ſimul cùm tertiò delegato à Papa procedunt ad ſententiam; in caſu quo Reus velit appellare ab hac ſententia, non poteſt appellare ad illos duos delegatos, qui vices ſuas ſubdelegatis commiſerunt, ſed debent appellare ad Papam: nàm illi duo delegati, eo quòd commiſerunt vices ſuas ſubdelegatis, functi ſunt ſuo officio. Si autem non interfuiſſet aliquis ex delegatis à Papa, tunc poſſet appellare ad ipſos.

In 4. cap. quod incipit. *Si contra unum*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in caſu, quo Summus Pontifex concedat in aliqua cauſa duos Judices delegatos, cùm clauſula: *Quod ſi ambo intereſſe non poſſint, alter eorum in cauſa procedat*; & unus ex his delegatis recuſetur, ut ſuſpectus ab aliqua ex partibus, pertinebit ad alium Conjudicem delegatum videre de tali ſuſpicione, ſi ſit benè fundata; quo viſo, & probato, poterit ipſemet ſolus ad ſententiam diffinitivam procedere: eum enim ex tali clauſula, *quòd ſi ambo*, ipſemet ſolus habeat facultatem decidendi cauſam principalem; habebit etiam facultatem decidendi acceſſoriam, ſeù incidentem, ſcilicet cauſam ſuſpicionis, quam non haberet, niſi appoſita eſſet clauſula prædicta. Si autem recuſaretur delegatus Epiſcopi, aut ejus Officialis tamquàm ſuſpèctus; hæc cauſa ſuſpicionis ad ipſum ſpectabit Epiſcopum, & coràm eo probanda.

In 5. cap. quod incipit. *Judex*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Judex delegatus à Sede Apoſtolica in aliqua cauſa poteſt recuſari ab aliqua ex partibus tamquàm ſuſpectus. In quo caſu eligendi ſunt Arbitri ad examinandam cauſam ſuſpicionis, an ſit ſufficienter fundata. An autem talis Judex poſſit vices ſuas alteri committere, determinat Summus Pontifex, quòd ſi iſte Judex ſubdelegat, antequàm aliqua ex partibus ipſum recuſavit ut ſuſpectum, valet ſubdelegatio; ſi poſt quàm fuit recuſatus, ſed non ab arbitris denunciatus ut ſuſpectus, tunc valebit delegatio, ſi fiat de conſenſu recuſantis: ſecus autem ſi delegatio fiat poſt declarationem, probatâ ſcilicet juſtâ exceptione datâ. Cùm enim per talem declarationem pronuncietur ab arbitris eſſe Judicem non competentem, ſequitur, non poſſe vices ſuas committere, ſeu ſubdelegare, cùm ad hoc requiratur legitima facultas judicandi.

In 6. cap. quod incipit. *Quamvis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in caſu quo Delegatus à Papa in aliqua cauſa alium ſubdeleget, ei committendo in totum vices ſuas; ſi talis ſubdelegatus moriatur, re integrâ, ſcilicet adhuc non inceptâ causâ, poterit delegatus alium ſubdelegare, vel ſibi aſſumere talem cauſam; vel etiam poteſt alium ſubdelegare, vel ſibi aſſumere cauſam, quotieſcùmque ſubdelegatus non incæperit uti juriſdictione ſibi commiſsâ, ſcilicet re integrâ. Et ratio quæ affertur in hac Decretali eſt, quia juriſdictio, eo ipſo quo ea ſubdelegatus uſus non eſt, non cenſetur in eum efficaciter tranſiviſſe.

In 7. cap. quod incipit. *Si delegatus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd delegatus à Papa in aliqua cauſa poteſt eam ſubdelegare alteri cùm hac clauſula: *quandò contigerit me abeſſe, vel uſque dùm revocavero*; quòd ſi contingat talem delegatum ſubdelegantem mori, ſubdelegatus, ſi jam cauſam cœperit, poterit ipſam proſequi, cùm res non ſit ampliùs integra: ſecùs ſi res ſit integra tẽpore quo mortuus eſt ſubdelegans, quia eum uſus non ſit juriſdictione, videtur eam non habuiſſe. Si autèm vivente delegato ſubdelegante, qui aliquid juriſdictionis ſibi reſervat in cauſa, puta quoad executionem ſententiæ, appellandum ſit à ſententiâ ſubdelegati,

pellatio erit ad delegatum: ſecùs ſi nihil juriſdictionis ſibi reſervet in cauſâ, ſed in totum vices ſuas committit ſubdelegato; tunc enim appellatio eſt facienda ad primum delegantem, ſcilicet ad Papam.

In 8. cap. quod incipit. *Cùm plures*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in caſu Papa committat cauſam pluribus delegatis cùm clauſulâ: ut omnes, vel duo, vel unus tantùm eorum, mandatum Apoſtolicum exequantur; ſi unus eorum primus occupat cauſam; utendo tali juriſdictione, citando &c. alii, eo nolente, non poſſunt ſe intromittere in tali cauſâ, niſi fortè ipſe malitioſè in longum differret expeditionem; tunc enim ad alios fieri poſſet recurſus; ſicut etiam in caſu quo primus delegatus occupans moriatur. In caſu autem quo moriatur Papa, ſi res ſit adhuc integra, expirat juriſdictio; quia mandatum per mortem mandantis expirat: ſecùs ſi cauſa jàm fuerit incæpta ab uno ex delegatis, etiamſi iſte moriatur, alii poterunt cauſam proſequi: quia perpetuatio unius perpetuat quoad omnes alios delegatos in ſolidum.

In 9. cap. quod incipit. *Si ſuper*, ex eodem, ſtatuitur; quòd ſi Papam, poſtquàm gratiam conceſſit, puta conferendo alicui Beneficium, ſeu Canonicatum, & mandando executori, ut eum in poſſeſſionem mittat talis Beneficii, ſeu Canonicatus: antè talem poſſeſſionem contingat mori, non per hoc extinguitur poteſtas exequutoris, ſed perſeverat; quia ſicut per mortem Papæ non extinguitur gratia jàm facta ei, qui eſt proviſus de Beneficio, ita non extinguitur juriſdictio in exequutore illius; hæc enim eſt quid acceſſorium ad illam; perſeverante autem principali perſeverat acceſſorium.

In 10. cap. quod incipit. *Si is, cui cauſa*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Judex delegatus à Papa in aliqua cauſa, ſi ſubdeleget alium, ſed non in totum, ſed in partem, reſervando ſibi vel ſententiam, vel executionem ſententiæ, tunc, ſi Reus velit in proſecutione cauſæ appellare, debet appellare ad ſubdelegantem, & non ad Papam; niſi tamen ſubdelegans eſſet excommunicatus, aut mortuus: tunc enim appellatio ſit ad Papam; ſicut contingit, cùm delegatus Papæ ſubdelegat cauſam alteri in totum, nàm in tali caſu transfert omnem ſuam juriſdictionem in ſubdelegatum, undè ad ipſum non eſt facienda appellatio, ſed ad Papam.

In 11. cap. quod incipit. *Ab arbitris*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in caſu, quo Judex delegatus à Papa in aliqua cauſa, ab aliqua ex partibus litigantibus recuſetur tamquàm ſuſpectus, vel conſanguineus partis contrariæ; ad decidendam hanc cauſam ſuſpicionis, debent eligi arbitri de conſenſu utriuſque partis, à quibus ſi quis voluerit appellare, appellare non debet ad Judicem delegatum, qui habetur ut ſuſpectus, ſed ad primum delegantem, ſcilicet ad Papam.

In 12. cap. quod incipit. *Is cui ab Apoſtolica Sede*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Papa mandet alicui, ut provideat talem Perſonam de aliquo Beneficio, vel Canonicatu, poteſt talis executor vices ſuas alteri ſubdelegare: ſecùs ſi mandet alicui, ut provideat alicui Eccleſiæ de idoneo Rectore, vel Beneficiato, non ſpecificatâ perſonâ; non poteſt tunc alteri committere talem executionem, quia ex vi talis mandati eligitur induſtria perſonæ, ſi tamen alitèr non ſit expreſſum per clauſulam, ſcilicet *ut per ſe, vel per alium id valeat expedire*.

In 13. cap. quod incipit. *Statuimus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Papa committat alicui expeditionem alicujus cauſæ in certo, & determinato loco, ex cauſâ rationabili prædictus delegatus eam expedire poterit extrà talem locum: ſupponitur enim tacitus, vel interpretativus conſenſus Papæ, ſuppoſitâ cauſâ legitimâ.

In 14. cap. quod incipit. *Si à ſubdelegato*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Delegatus à Papa in aliqua cauſa committat alteri vices ſuas non in totum, ſed ſibi reſervando, vel ſententiam, vel executionem ſententiæ; tunc ſi altera ex partibus velit appellare à ſubdelegato ob carentiam juriſdictionis, eoquòd delegatus non ſit legitimè delegatus, vel mortuus ſit Papa antè incæptionem cauſæ, undè ceſſaverit in eo juriſdictio, quapropter non potuerit ſubſtituere ſubdelegatum: in

in iſto caſu Appellatio non fit ad delegatum, quia agitur de ejus Juriſdictione, ſed ad Sedem Apoſtolicam, ad primum delegantem.

In 15. cap. quod incipit. *Hac Conſtitutione*, ex eodem ſtatuitur, quod illi, qui à Sede Apoſtolica deputantur in Conſervatores Religionum, vel aliorum piorum locorum, debent eſſe in dignitate conſtituti, vel ſaltem Perſonatum habentes, vel Abbates &c. qui Conſervatores tenentur defendere eos, quorum Conſervatores ſunt, à manifeſtis injuriis, & violentiis; non autem poſſunt ſe ingerere in aliis ſub pæna ſuſpenſionis ab eorum Officio per annum: pæna autem, quam incurrit pars, quæ hoc ipſum procurabit, eſt excommunicatio, à qua abſolvi non poterit, niſi prius in expenſis ſatisfactâ parte, quam ſic indebite fatigavit. Conſervatores autem ſic inſtituti à Papa tenentur per ſe ipſos tale exercere officium, nec poſſunt aliis committere vices ſuas, niſi Citationibus, & Sententiarum declarationibus exceptis. Eorum facultas expirat per mortem Inſtituentis, re exiſtente integrâ; ſecus re non integrâ, ut dictum eſt de facultate Delegati. Legatur S. Th. 2. 2. qu. 67. de Injuſtitia ex parte Judicis, & in 4. diſt. 47. quæſt. 1. art. 2. quæſtiunc. 2. ad 5. ex quibus locis elucidantur, quæ in hoc titulo continentur.

TITULUS XV.

De Officio Legati, in 5. capita diſtinctus.

QUià in Superiori Titulo actum eſt de Officio Delegati, qui gerit vices Delegantis in Foro judiciali: meritò nunc agendum eſt de Officio Legati, qui gerit vices Summi Pontificis in ea Provincia, vel Regno, in quo delegatur.

Agitur de hac materia in Decretalibus Titulo 30. primi libri.

In 1. cap. quod incipit. *Officii noſtri debitum*, ex Innocentio IV. ſtatuitur, quòd Legati Papæ præciſè ratione legationis non poſſunt conferre Beneficia vacantia in eorum Provinciis, ubi officium legationis exercent, niſi ſint Cardinales; vel niſi ſpecialiter hoc jus eis à Papa conferatur. Legati enim ſunt triplicis generis: alii dicuntur Legati de latere, & hi ſemper ſunt Cardinales aſſumpti de latere Papæ, quibus ſpecialiter conceditur jus conferendi Beneficia vacantia in Territorio ſuarum legationum: alii ſunt Legati nati, qui obtinent dignitatem, cui eſt annexus honor legationis, taliter quòd dicatur Papæ Legatus, ſicut Archiepiſcopus Cantuarienſis: alii ſunt Legati miſſi in aliqua Provincia, vel Regno pro aliquo negotio tractando. Legati ſecundi, & tertii generis non habent jus conferendi Beneficia vacantia, niſi hoc eis à Papa ſpecialiter concedatur: ſecus de Legatis à latere, qui utporè Cardinales ampliori gaudent authoritate.

In 2. cap. quod incipit. *Legatos*, ex Clemente IV. ſtatuitur, quòd Legati à Papa miſſi habent authoritatem Ordinariam in Provinciis, ſeu Regnis, in quibus mittuntur: unde eorum authoritas per mortem Papæ non expirat.

In 3. cap. quod incipit. *Præſenti*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, 1. quòd terminatâ legatione, expirant omnes Reſervationes Beneficiorum vacaturorum, quæ Legatus Cardinalis ſibi ſpecialiter reſervavit in favorem certæ Perſonæ: cùm enim talis reſervatio fiat à Legato ex vi officii Legati de latere, terminato Officio, expirat ejus reſervatio, cùm Beneficia illa non vacaverint tempore ſuæ Juriſdictionis 2. ſtatuitur, Legatum de latere, & ſi Cardinalem, non habere authoritatem reſervandi ſibi omnia Beneficia prò libito in ſua legatione, ſed in aliquâ Eccleſiâ Cathedrali, ſeu Collegiatâ, factâ ab eo reſervatione unius Beneficii, illa pendente aliam reſervationem facere non poſſe in eadem Eccleſia, nec etiam reſervato ſibi uno Beneficio, cujus Collatio ad alium ſpectat, poſſe aliud Beneficium ad eumdem ſpectans, durante prima reſervatione, ſibi reſervare. Et hæc duo ſtatuuntur cùm clauſula irritante, ſcilicet, *aliàs totum ſit irritum, & inane*.

In 4. cap. quod incipit. *Deliberatione*, ex eodem ſtatuitur, quòd Legati, & ſi de latere, non habent poteſtatem conferendi

Eccle-

Eccleſias Cathedrales, aut Regulares, aut Eccleſias Collegiatas, nec etiam conferre poſſunt, nec ſibi reſervare dignitates Eccleſiarum Cathedralium, quæ ſunt Majores poſt Epiſcopum, puta Archidiaconatum, Archipresbyteratum &c. etiamſi tales per electionem Capituli deberent aſſumi. Quòd ſi Legati hoc faciant, totum eſt irritum, & nullum.

In 5. cap. quod incipit. *Collatio*, ex eodem ſtatuitur, quòd Collatio Beneficii à Legato facta alicui habenti aliud Beneficium, non factâ expreſſione de tali Beneficio prius habito, eſt nullius roboris, & valoris, utpotè ſubreptitia, ut alibi dictum eſt. Legatur S. Th. 2. Corinth. 11. lect. 2. & in 4. diſt. 2. quæſt. 2. art. 1. quæſt. 4. in quibus locis aliqua de Legato Domini Papæ pertractat.

TITULUS XVI.

De Officio Ordinarii in 9. cap. diſtinctus.

Dictum eſt in præcedenti Titulo de Officio Legati Papæ, qui in cauſa ſibi commiſſa gaudet quidèm authoritate Ordinaria, ut dictum eſt, & ideò per mortem Pontificis ejus Juriſdictio non expirat: modò eſt agendum de Authoritate, ſeu Officio Ordinariorum in generali.

Agitur de hac materia in Decretalibus tit. 31. Primi libri.

In 1. cap. quod incipit. *Romana*, ex Innocentio IV. in Concilio Lugdunenſi, ſtatuitur, quod Archiepiſcopi non poſſunt deputare in Diœceſibus Suffraganeorum aliquem Officialem ad cognoſcendum de futuris Cauſis per Appellationem ad ipſos devolvendis in futurum: licet enim quando fuit ad ipſos appellatum à ſententia Ordinarii, poſſint ipſi delegare Officialem ad cognoſcendum in cauſa; hoc tamen non poſſunt ante Appellationem, quià Juriſdictio Archiepiſcopi ad videndum in cauſa Suffraganei, non habetur niſi ex vi Appellationis: unde antè Appellationem non poteſt inſtituere Officialem ad id præſtandum pro futuro.

In 2. cap. quod incipit. *Si Canonici*, ex Gregorio X. in Generali Concilio Lugdunenſi, ſtatuitur, Canonicos, qui ex Privilegio, vel ex conſuetudine legitimâ, ex aliquâ particulari cauſa ceſſant à divinis in eorum Eccleſia, puta quia paſſi ſunt injuriam, vel Bona Eccleſiæ ab aliquo fuerint occupata, tenentur hanc cauſam exprimere in Inſtrumento publico, vel in literis propriis ſigillo authentico munitis, quæ debent præſentari ei, in cujus odium fuit ceſſatio à divinis. Quæ forma ſi fuerit prætermiſſa, vel cauſa quæ exprimitur, non fuerit judicata legitima, amiſerunt Canonici fructus ſuarum Præbendarum prò eo tempore, quo à divinis ceſſarunt; & inſuper tenentur ſatisfacere Perſonæ, in cujus odium à divinis ceſſarunt. Causâ autem exiſtente legitimâ, graviter punietur, qui dedit cauſam Canonicis prædictæ ceſſationis: Reo autem exiſtente in ſua contumacia, non debent Canonici Imagines Sacras à tali Eccleſia removere, & inter ſpinas, & urticas ponere, ut aliquando fuit uſus: hic enim fuit abuſus irrationabilis, & intolerabilis contra honorem Dei, & Sanctorum; undè delinquentes debent ſeverè puniri.

In 3. cap. quod incipit. *Ordinarii*, ex eodem ſtatuitur, quòd ad Ordinarium ſpectat inquirere, an qui habet plura Beneficia incompatibilia, puta plures Dignitates, ſeu Dignitatem, & Perſonatum, aut plura Beneficia curata, ea obtinuerit mediâ diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ: quòd ſi talem diſpenſationem oſtenderit, non erit moleſtandus; ſi non oſtenderit, erit privandus, & puniendus; ſi diſpenſatio erit dubia, aut obſcura, ad Sedem Apoſtolicam ſpectabit de validitate illius judicare. Spectabit autem ad Ordinarium omninò providere, quòd ſi unus obtinuit ex diſpenſatione plura Beneficia curata, aliàs incompatibilia, per coadjutorem adjuvetur, ne cùm anima damnum patiatur: Si autem abſque ſpeciali diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ ea obtinuit, talis Collatio erit omninò irrita, & nulla.

In 4. cap. quod incipit. *Quia*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd Prælati locorum, puta Epiſcopi, vel Abbates nullatenus poſſunt prohibere ſubditis ſuis, ne Legatis Sedis Apoſtolicæ, aut aliis Su-

perio-

perioribus viſitantibus pro morum reformatione, revelent ſtatum propriarum Eccleſiarum, aut Monaſteriorum, & regulariter omne id, quod indiget reformatione, Quòd ſi Prælati id faciant, obligando ſubditos ad non revelandum, etiam ſub Cenſuris, & pœnis &c. tales prohibitio ipſo Jure eſt nulla, & talis Prælati à prædictis Viſitatoribus ſunt condignè animadverſione puniendi.

In 5. cap. quod incipit. *Vt litigantes*, ex eodem ſtatuitur, quòd Archiepiſcopus cauſas etiam Appellationis Jure Metropolitico ad eum pertinentes non poteſt ubique recognoſcere, ſed tantùm in propria ſua Diœceſi, vel unde ad eam devolvuntur; & hoc debet facere, ſivè per ſe, ſive per alium, ipſas aliis committendo. Et hoc niſi contraria conſuetudo ſit legitimè præſcripta: Quæ Decretalis facta eſt in favorem litigantium, nè nimis laboribus, & expenſis graventur, cauſas trahendo in partes remotas.

In 6. cap. quod incipit. *Si Epiſcopus*, ex eodem ſtatuitur, quòd quando Epiſcopus, cui ex Privilegio conceditur, ut ſuam Diœceſim viſitet per alium, mittit Viſitatorem, tenetur eum providere de omnibus expenſis, exceptis tamen Victualibus, quæ debentur Viſitatori à Viſitatis: nam ſecundùm Apoſtolum non eſt tam magnum, ſi ab eo metantur temporalia, per quem ſpiritualia ſeminantur. Epiſcopo autem non viſitanti nihil omninò debetur.

In 7. cap. quod incipit. *Cùm Epiſcopus*, ex eodem ſtatuitur, quòd Epiſcopus poteſt in quolibet loco ſuæ Diœceſis (alias non exempto à Juriſdictione Ordinarii) per ſe, vel per alium prò Tribunali ſedere, cauſas cognoſcere, & diffinire; & omnia peragere, quæ ad ſuum ſpectant Officium.

In 8. cap. quod incipit. *Quamvis*, ex eodem ſtatuitur, quòd in caſu quo aliquod Capitulum, Conventus, aut Collegium propter gravem injuriam, vel damnum ab aliquo factam ipſi Communitati Eccleſiaſticæ, vel eorum Eccleſiæ, velint in pœnam illius, qui intulit damnum, & injuriam, ceſſare à divinis in tali Eccleſia, tenentur omnes Capitulares talis Communitatis, etiam abſentes, convocari, & de tali ceſſatione deliberare, an ſcilicet cauſa ſit ſufficiens, & rationabilis. Quo conſtito, cauſa prædicta in ſcriptis redacta notificetur ei, qui injuriam, vel damnum intulit, ut debitam præſtet ſatisfactionem; quam ſi recuſaverit dare, tàm pars, quæ ceſſat à divinis in tali Eccleſia, quàm pars oppoſita, ſcilicet ille, in cujus odium ſit talis ceſſatio, tenebitur intra ſpatium unius menſis, ſi aliàs interim non ſequatur concordia, per ſe, vel per Procuratorem ſufficienter inſtructos, præſentare ſe Sedi Apoſtolicæ, ut examinato negotio reſolvatur, prout de Jure: quòd ſi cauſa, vel occaſio ceſſationis judicabitur ſufficiens, & rationabilis, condemnabitur, qui injuriam, vel damnum intulit: ſecus autèm ſi cauſa, vel occaſio non exiſtimetur ſufficiens, in quo caſu condemnabuntur Capitulares per privationem fructuum correſpondentium tempori vacationis à divinis, & in expenſis parti adverſæ.

In 9. cap. quod incipit. *Præſenti*, ex eodem ſtatuitur, quòd bona Eccleſiaſtica inventa per mortem eorum, qui erant in dignitate Perſonatu, aut Prioratu conſtituti, ſicut etiam fructus, ſeu proventus talium Beneficiorum tempore quo vacant talia Beneficia, occupari non poſſunt ab iis, ad quos ſpectat collatio, præſentatio, vel Cuſtodia, niſi hoc habeant ex ſpeciali Indulto, aut præſcriptâ rationabili conſuetudine, ſub pœna Epiſcopis, privationis ab ingreſſu Eccleſię; aliis verò Eccleſiaſticis, ſub pœna ſuſpenſionis à divinis, quouſque reſtituerint. Si autem hoc habeant ex Privilegio, vel conſuetudine rationabili, debet hoc intelligi, ſolutis debitis defuncti, ſi quæ ſint, & ſervatis de Jure ſervandis. Pro elucidatione hujus Tituli Legatur S. Th. 2. 2. qu. 67. ubi per quatuor articulos explicat ea, quæ pertinent ad injuſtitiam ex parte Judicis, & art. 1. in corpore ait: *Dicendum, quòd Sententia Judicis eſt quaſi quædam Particularis lex in aliquo particulari facto. Et ideo ſicut lex generalis debet habere vim coactivam, ita etiàm, & ſententia Judicis debet habere vim coactivam, per quam conſtringatur utraque pars ad ſervandam Sententiam Judicis, aliòquin judicium* non

non eſſet efficax; Poteſtatem autem coactivam non habet licitè in rebus humanis, niſi ille, qui fungitur publicâ poteſtate, & qui ea funguntur, Superiores reputantur reſpectu eorum, in quos ſicut in ſubditos, poteſtatem accipiunt, ſive habeant ordinariam, ſive per commiſsionem, & ideo manifeſtum eſt, quòd nullus poteſt judicare aliquem, niſi ſit aliquo modo ſubditus ejus, vel per commiſſionem, vel per poteſtatem Ordinariam, & art. 2. in corpore ait: *Dicendum quod judicare pertinet ad Judicem, ſecundùm quòd fungitur publicâ poteſtate, & ideo informari debet in judicando non ſecundùm id, quod ipſe novit tamquam privata Perſona, ſed ſecundùm id, quod ſibi innoteſcit, tamquam Perſonæ publicæ &c.* Legatur per totam quæſtionem, ubi dantur regulæ generales, quomodo Iudex ordinarius gerere ſe debeat in judicando; quod valde prodeſt præſenti materiæ.

TITULUS XVII.

De Majoritate, & Obedientia unico capite comprehenſus.

CUM in Superioribus Titulis actum ſit de variis, & diverſis Prælatis, & Iudicibus, inter quos alii dicuntur Majores, alii Minores, & ſubordinati, qui Majoribus tenentur obedire: ideò in præſenti ſubditur Titulus de Majoritate, & Obedientia.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 1. tit. 33.

In hoc ergo cap. quod incipit. *Epiſcopalis*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd vacante Cathedrali Eccleſiâ per mortem Epiſcopi, authoritas Iuriſdictionis Epiſcopalis devolvitur ad Capitulum illius Eccleſiæ; unde Capitulum, ſeu Vicarius Capitularis poteſt abſolvere eum, qui fuit excommunicatus ab Epiſcopo mortuo: nàm talis abſolutio eſt actus Iuriſdictionis Epiſcopalis, & non Ordinis, quem actumCapitulum non poſſet exercere. Hoc tamen intelligitur, ſi aliàs à Sede Apoſtolica talis Iuriſdictio Epiſcopalis non fuerit Capitulo interdicta: in tali enim caſu non poſſet Vicarius Capitularis excommunicatum abſolvere. Videatur S. Th. 2. 2. qu. 104. ubi per ſex articulos de obedientia tractat, ex quibus elucidantur, quæ in hoc titulo continentur, & præcipuè art. 5. in corpore ubi explicatur in quo teneâtur ſubditi quibuſcumque Superioribus obedire, his verbis: *In his, quæ pertinent ad interiorem motum Voluntatis, homo non tenetur homini obedire, ſed ſolùm Deo, tenetur autem homo homini obedire in his, quæ exterius per corpus ſunt agenda, in quibus tamen ſecundùm ea, quæ ad naturam Corporis pertinent, homo obedire non tenetur, ſed ſolùm Deo, quia omnes homines naturâ ſunt pares puta, in his, quæ pertinent ad corporis ſuſtentationem, & prolis generationem. Unde non tenentur, nec Servi Dominis, nec Filii parentibus obedire de Matrimonio contrahendo, vel Virginitate ſervandâ, aut aliquo alio hujuſmodi, ſed in his, quæ pertinent ad diſpoſitionem actuum, & rerum humanarum tenetur ſubditus ſuo Superiori obedire ſecundùm rationem Superioritatis, ſicut miles Duci exercitus in his, quæ pertinent ad bellum, ſervus Domino in his, quæ pertinent ad Servilia opera exequenda, Filius Patri in his, quæ pertinent ad diſciplinam vitæ, & curam domeſticam, & ſic de aliis.* Legatur per totam quæſtionem, ut intelligatur quænàm obedientia à Sacris Canonibus ſubditis præcipiatur, & quàm pretioſa virtus ſit obedientia.

TITULUS XVIII.

De Pactis in tria cap. diſtinctus.

HUcùſque actum eſt de judicibus, & Magiſtratibus, ad quos ſpectat judicare inter partes litigantes; ſed quià quandoque partes ipſæ vel ad evitandas expenſas, vel ad removenda jurgia, inter ſe conveniunt amicabiliter per tranſactionem, aut pacta; ſicque vel litem non movent, vel jam non proſequuntur, inſiſtendo in Pactis, & conditionibus ex utraque parte firmatis: ideò incipiendo modo de materia Iudiciorum, primo agitur de Pactis, ſeu Tranſactionibus; licet inter Pacta, & Tranſactiones hæc ſit

diffe-

differentia, quòd Tranſactio dicitur fieri inter Partes, cùm res, de qua litigatur, eſt incerta, cui debeatur: Pactum verò eſt, quandò res eſt certa cui debetur, ſed non eſt certus modus, tempus, ſeu conditio; unde circa iſta fiunt pacta.

Agitur de hac materia in Decretalibus Tit. 35. primi libri.

In 1. cap. quod incipit. *Pactum*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd licet Regulares habuerint à Sede Apoſtolicâ Privilegium liberè recipiendi ad Sepulturam quoſcumque in eorum Eccleſiis elegerint ſepulturam; tamen ſi hoc non obſtante paciſcantur cùm aliquo Parocho non recipiendi aliquos de ejus Paræcia, tenentur ſtare pacto, quià per illud, Privilegio derogarunt; unde debent hoc ſibi imputare.

In 2. cap. quod incipit. *Quamvis*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Filia, dum traditur nuptui, faciat pactum cum Patre, quòd eſt contenta dote ſibi aſſignata; ac proinde renunciat omnibus aliis Bonis ſibi ex ſucceſſione provenientibus, tale Pactum licet improbetur à jure Civili; tamen ſi eſt liberè factum, & Juramento ipſius Filiæ firmatum, omninò eſt ſervandum: nàm eſt de re licitâ, & de re, quæ pendet ab ejus arbitrio, & voluntate.

In 3. cap. quod incipit. *Quia ex ea*, ex eodem ſtatuitur, quòd Pacta, vel compoſitiones initæ à Religioſis Mendicantibus cùm Prælatis, Capitulis, aut Rectoribus Eccleſiarum ſuper Juribus Parochialibus, vel aliis quibuſcumque Articulis validæ ſunt, & perpetuò obſervandæ; dummodo tamen aliàs ſint licitæ, & honeſtæ, & talia Pacta ſint facta à Prioribus, ſeu Guardianis Conventus de conſenſu ipſius Capituli Conventus; etiamſi non fuerit requiſitus conſenſus Sedis Apoſtolicæ, aut conſenſus Generalis, aut Provincialis, ſeu Capituli Generalis, aut Provincialis, ejuſdem Religionis: talia enim Pacta, dummodo licita, & honeſta ſemel approbata à Capitulo Conventuali, valida ſunt, & obſervanda abſque alio cònſenſu.

TITULUS XIX.

De Procuratoribus in 9. capita diſtinctus:

Quià plerùmque accidit, partes non poſſe, aut nolle aliquo pacto inter ſe convenire in his, in quibus inter eos eſt controverſia, ſed velle per viam Juris procedere litigando, ad quem finem unaquæque pars elegit Procuratorem, ut ſuam Cauſam defendat: ideo poſt Titulum de Pactis ſubditur præſens Titulus de Procuratoribus.

Agitur de hac materia in Decretalibus Titulo 38. primi libri.

In 1. cap. quod incipit. *Non indiſcretè*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur. Primò, quòd Laicus poteſt à Judice admitti tamquàm Procurator ad agendum, vel defendendum in Cauſis Spiritualibus: hoc enim nullibi eſt expreſsè prohibitum. Secundò, ſtatuitur, Procuratorem ante litis conteſtationem non poſſe loco ſui alium ſubſtituere Procuratorem, niſi fungatur Officio Procuratoris in rem ſuam, aut niſi à ſuo principali obtinuerit mandatum de ſubſtituendo abſolutè, nullâ nominatâ Perſonâ: in his enim caſibus poterit Procurator ſubſtituere etiam antè litis conteſtationem. Poſt litis autem conteſtationem, cum ipſe ſit effectus Dominus litis, quilibet Procurator poteſt alium ſubſtituere. Tertiò ſtatuitur, quòd Procurator factus ad negotia abſolutè, & generaliter, poteſt liberè, & quandocumque voluerit alium Procuratorem ſubſtituere loco ſui; nàm eo ipſo, quòd eſt datus ad omnia negotia univerſaliter: præſumitur illi conceſſa talis facultas alium ſubſtituendi.

In 2. cap. quod incipit. *Quamvis*, ex eodem ſtatuitur, quòd Procurator electus, etiàm poſtquàm obtinuit mandatum Procuræ, poteſt ad arbitrium Principalis, cujus eſt Procurator, etiam ſinè cauſa revocari, ante tamen litis conteſtationem, quià adhuc non eſt in Poſſeſſione Procuræ, nec Dominus litis; talis enim non fit per litis conteſtationem. Poſt autem litis conte-

ſtationem non poteſt revocari abſque juſtâ, & rationabili causâ, puta inimicitiæ, infidelitatis, colluſionis &c. Poterit tamen Principalis intereſſe ſimul cùm ſuo Procuratore ad agendam,& defendendam ſuam cauſam; maximè ſi timeatur de colluſione: hoc enim non prohibetur.

. In 3. cap. quod incipit. *Is qui*, ex eodẽ ſtatuitur, quòd ſi Procurator habens à Domino facultatem ſubſtituendi, & de facto aliquem ſubſtituat loco ſui in cauſa, non poterit à primo Procuratore revocari talis ſubſtitutio; etiamſi talis ſubſtitutus adhùc non ſit uſus tali mandato ſubſtitutivo; nec apparuerit in cauſa: quia eo ipſo quòd Procurator primus ſubſtituit alium, ſpoliavit ſe Procuratione, nec poteſt eam reaſſumere, niſi tamen à Domino obtinuerit in mandato facultatem ſubſtituendi, & ſimul facultatem revocandi ſubſtitutum; tunc enim poterit: Sicut etiam poterit, ſi obtinuit à Domino mandatum generale ad plures cauſas cùm facultate ſubſtituendi, & ſi ſubſtituat alium in una cauſa, ipſe poterit officium exercere Procuratoris in aliis cauſis talis Domini; non enim ſe ſpoliat procuratione quoad alias; ſed tantum quoad eam, in qua alium ſubſtituit. Aliter tamen dicitur de Delegato Principis, qui poteſt ſubdelegatum revocare re integrâ, ut ſupra dictum eſt; & ratio diſcriminis eſt, quià Delegatus Principis habet à Jure Jus ſubdelegandi, & revocandi ſubdelegationem; Procurator autem habet ſolùm ab homine facultatem ſubſtituendi: undè niſi expreſsè addatur ei facultas revocandi ſubſtitutionem, eam non poteſt revocare, quia jam eſt functus officio ſuo.

In 4. cap. quod incipit. *Qui ad agendum*, ex eodem ſtatuitur, quòd Procurator quantumvis fuerit generaliter conſtitutus ad omnia negotia, etiàm cùm hac clauſula, ſcilicet, *etiamſi talia ſint, quæ Mandatum exigant ſpeciale*; niſi exprimantur negotia, non poterit talis Procurator ex vi mandati illius generalis, etiam poſitâ tali Clauſula, ſe validè intromittere in iſtis actibus, qui ſpeciale poſtulant mandatum, ut ſunt actus reſtitutionis in integrum, actus contrahendi Matrimonium nomine alterius, Juramentum deferre, vel paciſci prò alio;nam ad hæc omnia requiritur ſpeciale mandatum, nec ſufficit mandatum generale. Verùm tamen eſt, quòd ſi talis Procurator obtinuerit ſpeciale mandatum ad aliquem actum ex iſtis, & deindè ſi tali mandato appoſita ſit Clauſula generalis omnia faciendi ad talem cauſam ſpectantia, ex vi talis generalitatis ſubſequutæ ad expreſſionem ſpecialem, poterit agere etiam alia in tali cauſa, quæ exigunt ſpeciale mandatum: nàm acceſſorium ſequitur principale.

In 5. cap. quod incipit. *Qui generaliter*, ex eodem ſtatuitur, quòd Procurator per mandatum generale inſtitutus ad negotia, intelligitur etiàm generaliter inſtitutus ad judicia; dummodò tamen habeat ætatem requiſitam à Jure, ut poſſit eſſe Procurator ad Judicia; ſcilicet excesſerit annos 25. Ad hoc autem ut ſit Procurator ad Negotia, ſufficit, ut excedat annum 17. Inſuper ſtatuitur, quòd Filius familias poteſt conſtitui Procurator tàm ad negotia, quàm ad Judicia ſinè Patris conſenſu: in hoc enim eſt ſui Juris, nec pendet à Patria poteſtate.

In 6. cap. quod incipit. *Si duo Procuratores*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi duo Procuratores ſint ſimpliciter conſtituti in eâdem causâ, ſed non in ſolidum, debent à Judice ambo admitti, & non unus ſinè alio. Si autem ſint conſtituti ambo in ſolidum, tunc unus ſinè alio admittitur, & erit ille, qui primò conteſtatur litem, altero totaliter excluſo; niſi tamèn in mandato Procuræ ſit expreſſum, quòd non ſit melior conditio primi occupantis; in quo caſu primo non proſequente talem cauſam, nec alium loco ſui ſubſtituente, erit admittendus ſecundus Procurator. In quo caſu ſi iſte ſecundus jam proſequens cauſam, non fuerit impeditus, non poterit primus iterum cauſam reaſſumere. In cauſis autèm ſpiritualibus Electionum, Poſtulationum, aùt Proviſionum Eccleſiarum, ſi ſint duo conſtituti Procuratores ſimpliciter, & non in ſolidum, Judex debebit magis ideoneum eligere, qui ſolus proſequatur cauſam, nec alius debebit admitti, niſi primo legitimè excluſo. Et ratio eſt, quia hæ cauſæ celeriorem expoſcunt expeditionem.

In 7.

In 7. cap. quod incipit. *Licet*, ex eodem ſtatuitur, quòd ille, qui electus, & conſtitutus in ſui Procuratorem ab altero, & primò recuſet talem Procurationem illius, (poteſt enim recuſare, cùm ad tale officium non ſit cogendus) ſi poſteà pænitentia ductus acceptat tale onus, & agit in cauſa, valida erunt ejus acta; ſi tamen conſtituens eum in Procuratorem perſeveraverit in eadem voluntate, nec revocaverit mandatum nec alium ſubſtituerit. Hoc enim pendet à voluntate conſtituentis, & à voluntate conſtituti acceptantis mandatum, licet primò recuſaverit.

In 8. cap. quod incipit. *Si quem*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Dominus inſtituerit aliquem in ſui Procuratorem in aliquâ causâ cùm tali forma: *Inſtituo Titium in meum Procuratorem in tali cauſa, cùm contigerit me abeſſe*; & talis Procurator inceperit agere in cauſa, deindè Dominus ipſe superveniens in eadem cauſa alios actus judiciales fecerit, non per hoc præſumitur revocaſſe ſuum Procuratorem in tali cauſa; dummodò proteſtetur per tales actus factos à ſe in cauſa revocare Procuratorem: Nàm multoties exigitur in Judicio præſentia principalis, puta ad jurandum de calumnia, vel ad reſpondendum poſitionibus, in quibus caſibus præſentia Domini in cauſa non præjudicat Procuratori, nec ipſum revocat.

In 9. cap. quod incipit. *Procurator*, ex eodem, ſtatuitur, quòd qui conſtituitur Procurator ab alio ad contrahendum vice illius, debet ab eo habere ſpecialem mandatum ad hoc faciendum, nec poterit alium loco ſui ſubſtituere, niſi hoc illi expreſsè in mandato concedatur. Si autem inſtituens talem Procuratorem ad contrahendum, revocaverit mandatum, etiam inſciis tali Procuratore, & Fæmina, cùm qua debet contrahi Matrimonium, & ſic neſcientes de revocatione mandati, Procurator nomine ſui Principalis contraxerit Matrimonium, tale Matrimonium eſt nullum, cùm defecerit conſenſus illius, ſine quo firmitatem habere non poteſt: deficit enim conſenſus principalis per revocationem mandati. Matrimonii autem validitas pendet à conſenſu principalium contrahentium. Videatur D. Th. 2. 2. q. 71. ubi agit de injuſtitia ex parte Advocatorum, & explicat, quomodo ſe gerere debeant Advocati, & Procuratores in Cauſarum defenſione, ex quibus elucidantur, quæ in hoc titulo habentur, art. enim 2. in ſolut. ad 2. ait: *Dicendum, quòd ſicut virtus corrumpitur per ſuperabbundantiam, & defectum, ita aliquis ſit indecens, & per majus, & per minus; & propter hoc quidam arcentur à patrocinio præſtando in cauſis, quia ſunt majores tali officio, ſicut Religioſi, & Clerici: quidam verò, quia ſunt minores, quàm ut eis hoc officium competat, ſicut infames, & Infideles*; & art. 3. in corpore ait: *Dicendum quòd illicitum eſt alicui cooperari ad malum faciendum, ſive conſulendo, ſive adjuvando ſive qualitercumque conſentiendo: quia conſilians, & coadiuvans quodammodò eſt faciens; & Apoſtolus dicit ad Rom. 1., quòd digni ſunt morte, non ſolùm qui faciunt peccatum, ſed etiam qui conſentiunt facientibus: unde ut ſupradictum eſt, quòd omnes tales ad reſtitutionem tenentur. Manifeſtum eſt autem, quòd Advocatus auxilium, & conſilium præſtat ei, cujus cauſa patrocinatur; unde ſi ſcienter injuſtam cauſam defendit, abſque dubio graviter peccat, & ad reſtitutionem tenetur ejus damni, quod contra* juſtitiam *per ejus auxilium altera pars incurrit. Si autem ignoranter injuſtam cauſam defendit, putans eſſe juſtam, excuſatur ſecundùm modum, quo ignorantia excuſari poteſt.* Tandem art. 4. in corp. ait: *Dicendum, quòd ad ea, quæ quis non tenetur alteri exhibere, juſtè poteſt pro eorum exhibitione recompenſationem accipere; manifeſtum eſt autem, quòd Advocatus non ſemper tenetur patrocinium præſtare, aut conſilium dare cauſis aliorum, & ideo ſi vendat ſuum patrocinium, ſive conſilium, non agit contra* juſtitiam, *& eadem ratio eſt de Medico opem ferente ad ſanandum, & de omnibus aliis hujuſmodi perſonis, dùm tamen moderatè accipiant, conſideratâ conditione perſonarum, & negotiorum, & laboris, & conſuetudine Patriæ.* Legatur per totam quæſtionem, & per ſingulos articulos.

TITULUS XX.

De his, quæ vi, metuſue cauſa fiunt, unico capite comprehenſus.

QUia ſupra dictum eſt de Pactis, quæ ut plurimùm fiunt propriâ,& ſpontaneâ voluntate, ac proindè diximus eſſe irrevocabilitèr obſervanda: quod enim ſemel placuit, ampliùs diſplicere non debet; cumquè aliquandò accidat, talia pacta,& conventiones fieri non liberâ voluntate,ſed vi,& coactè, ſeu metu: ideò ſubjicitur præſens Titulus de his, quæ fiunt per vim, & metum; an ſcilicet ſint valida, & habere debeant firmitatem.

Agitur de hac materia in Decretalibus tit.40. lib.1.

In hoc ergo cap. quod Incipit. *Abſolutionis*, ex Gregorio X. in Concilio Generali Lugdunenſi, ſtatuitur, quòd abſolutio ab excommunicatione, ſuſpenſione, aut interdicto per vim, & metum obtenta, non tenet; ſicut etiam non tenet revocatio prædictarum cenſurarũ per vim, & metum extorta. Imo in utroque caſu extorquens incidit ipſo jure, & de facto in cenſuram excommunicationis: eſt enim actus omninò injurioſus, & præjudicialis authoritati Eccleſiaſticæ. Videatur D.Th. 1. 2. qu. 6. art. 5. & 8., ubi explicat ea, quæ pertinent ad vim, & metum, & quomodo vis, & metus cauſent voluntarium, & involuntarium.

TITULUS XXI.

De Reſtitutione in integrum, in duo capita diſtinctus.

QUia in præcedenti Titulo actum eſt de his, quæ fiunt vi, vel metu, quæ utpotè violentèr facta non tenent; undè qui paſſus eſt violentiam poteſt, imo debet petere reſtitutionem in eo, in quo paſſus eſt damnum ex vi talis actionis: hinc eſt quòd in præſenti agitur de Reſtitutione in integrum in rebus pertinentibus ad Eccleſiam. Gaudet enim Eccleſia Privilegio Pupillorum, quibus ex jure competit reſtitutio in integrum, ſi fraude, vel dolo in Pupillari ætate fuerint decepti.

Agitur de hac materia in Decretalibus tit.41. 1. lib.

In 1. cap. quod incipit. *Eccleſia*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd licet Eccleſiæ non ſit concedenda reſtitutio in integrum, niſi fiat reclamatio in quadriennium à prolatione ſententiæ contra ipſam, tamen poteſt ex rationabili cauſa, puta ex negligentia, vel abſentiâ Rectoris, qui anteceſſit, vel ex violentia Adverſarii, vel ex injuſtitia Judicis, quæ per quadriennium durarunt, vel aliqua cauſa ex iſtis, etiam poſt quadriennium obtinere reſtitutionem in integrum. Licet enim ſolùm concedatur ſpatium quatuor annorum ad petendam reſtitutionem in integrum, & tranſacto tali tempore non admittitur talis petitio: tamen quando eſt cauſa rationabilis, & certa, quòd Eccleſia fuit gravata, nec fuit reclamatum ex negligentia ejus, qui tenebatur reclamare, etiam poſt quadriennium poteſt Eccleſia petere, & obtinere reſtitutionem in integrum, ut dictum eſt de Succeſſore in Rectoratu Eccleſiæ læſę propter negligentiam Anteceſſoris:gaudet enim Eccleſia Privilegio Pupilli, ut dictum eſt.

In 2. cap. quod incipit. *Si adverſus*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd ſi Eccleſia fuerit ignoranter læſa ex confeſſione ipſius Rectoris, qui facilè credens alicui, aliqua confeſſus eſt in Judicio contra propriam Eccleſiam, unde ſententia Judicis fuit contra Eccleſiam; Rector cognoſcens ſe fuiſſe deceptum, & ex tali deceptione eveniſſe tale prejudicium Eccleſiæ, poterit infra quadriennium petere, & obtinere reſtitutionem cauſæ in integrum: ſi autem ſit tranſactum tale tempus, & cauſa adhuc non ſit omninò terminata, poterit coram Judice allegare errorem antè inculpabiliter factum ex malitiâ alterius, & ſic petere iterum examinari pro veritate, quod unicuique conceditur uſque ad finem cauſæ. De hac materia agit S.Th.2.2.q.62. per octo articulos, in cujus doctrina omnes iſti Canones fundantur.

TI-

TITULUS XXII.

De Arbitris, in duo cap. diſtinctus.

CUm in ſuperioribus Titulis actum ſit de Judicibus tàm Ordinariis, quam delegatis, & cùm arbitri electi à partibus ſe habeant tamquàm Judices, tàm in examinando, quàm in definiendo: ideo pro termino hujus libri ponitur ultimo loco præſens tit. de Arbitris.

Agitur de hac materia in Decretalibus tit. 43. primi libri.

In 1. cap. quod incipit. *Si ex tribus,* ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd ſi ex communi partium conſenſu ſint electi tres ad decidendam aliquam cauſam, & duo ex illis arbitris concordaverint, valet eorum ſententia, etiamſi tertius diſcordet; quia ea, quæ ſiunt à majori parte valent: ſi autem omnes tres diſſentiant inter ſe, itaut primus condemnet Reum in ſumma ſcutorum argenteorum centum, alius in ſumma ſcutorum 50. & alius in ſumma ſcutorum 25. eſt præferenda ſententia hujus tertii; quia in hac ſumma minori etiam alii conveniunt, ex illa Regula juris Canonici 35. *Plùs ſemper continet in ſe quod eſt minùs.*

In 2. cap. quod incipit. *Ut quæſtionibus,* ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi concorditer à partibus aliqua cauſa ſit remiſſa examinanda, & definienda ſimpliciter à tribus arbitris, qui acceptaverunt tale compromiſſum; ſi poſteà unus ex illis, licet requiſitus, nolit convenire cùm aliis duobus, poterunt illi duo examinare, & diffinire cauſam, quidquid in contrarium teneat jus Civile, negando tales duos arbitros poſſe diffinire, niſi in compromiſſo exprimatur particula; *quòd ſi unus defuerit, alii duo poſſunt procedere.* Hoc autem non requiritur ex jure Canonico, loquendo de arbitris; licet verum ſit loquendo de Judicibus: unde ſi Papa deleget tres Judices in aliqua cauſa, duo ex eis non poſſunt diffinire abſquè tertio, niſi in delegatione exprimatur cauſa prædicta; *quod ſi unus &c.* Et ratio diſparitatis eſt, quia Judicium arbitri eſt Judicium privatum; Judicium autem Judicum eſt commune, & formale: unde Judices poſſunt compelli ad judicandum, arbitri verò compelli non poſſunt. Videatur D. Th. 2. 2. q. 67. art. 1. ad 2. ubi ait: *Dicendum, quòd in rebus humanis aliqui propria ſponte poſſunt ſe ſubjicere aliorum Judicio, quamvis non ſint eis Superiores, ſicut patet in his, qui compromittunt in aliquos arbitros, & inde eſt, quòd neceſſe eſt, arbitrium pœnâ vallari, quia arbitri, qui non ſunt Superiores, non habent de ſe plenam poteſtatem coercendi. Sic ergo & Chriſtus propriâ ſponte humano Judicio ſe ſubdidit, ſicut etiam, & Leo Papa, ſe Judicio Imperatoris ſubdidit.*

Finis Libri Primi, Sexti Decretalium.

LIBER SECUNDUS
SEXTI
DECRETALIUM
In Titulos XV. diviſus.

TITULUS PRIMUS.

De Judiciis, in tria capita diſtinctus.

QUia ſupra in primo Libro actum eſt de Judicibus ſeu Magiſtratibus, ad quos ſpectat judicare: nunc in hoc ſecundo Libro agendum eſt de Judiciis, ſcilicet de forma, & conditionibus ſervandis in judicando. Undè primò proponitur præſens Titulus de Judiciis.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 2. tit. 1.

In 1. cap. quod incipit. *Juris eſſe*, ex Innocentio IV. ſtatuitur, quòd Judex, licet delegatus à Papa, non habet poteſtatem, regulariter loquendo, compellendi partem, ut coram ſe perſonaliter compareat, niſi cauſa ſit criminalis; aut ſi eſt civilis, niſi habeat ad hoc ſpeciale mandatum, aut niſi pro veritate dicenda, aut pro juramento præſtando de calumnia, neceſſitas exigerit. Exceptis his caſibus ſufficit in cauſis Civilibus partes comparere coram Judice per ſuos Procuratores; ſecùs autem in criminalibus, in quibus Judex de jure communi debet, & poteſt partes compellere ad comparendum perſonaliter.

In 2. cap. quod incipit. *Mulieres*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd Mulieres regulariter loquendo, in quacumque cauſa in jure non expreſſa, à Judice Invitæ compelli non poſſunt ad perſonaliter comparendum coràm eo, ut teſtimonium ferant, quia non decet eas vagari, & comparere in cætibus hominum; ſed quandò earum teſtimonium eſt neceſſarium in cauſa, Judex vel ibit ipſe ad earum domos cum Notario; aut ſi eſt in dignitate conſtitutus, & non deceat eum perſonaliter ad eas accedere, mittet Commiſſarium ad recipiendum earum Teſtimonium. Et totum hoc eſt faciendum abſquè fictione, & fraude, & pro neceſſitate cauſæ. Quòd ſi in hoc eſſet fictio, aut fraus Judicis, aut Commiſſarii, ut poſſent liberè accedere ad illas, & ad malum finem ſub prætextu eas examinandi, ipſo jure incidunt in excommunicationem. Verum tamen eſt, quòd hoc conceſſum eſt Mulieribus per modum Privilegii, ut ſcilicet invitæ compelli non poſſint ad perſonaliter comparendum coram Judice; quòd ſi cedant hujuſmodi Privilegio, poſſunt perſonaliter comparere, exceptis Monialibus, quæ etiam ſi velint, nequeunt extra Monaſterium audiri, ſed ad illas debet Judex vel per ſe ipſum ire, vel mittere Commiſſarium, ut dictum eſt. Tandem ſtatuitur, quòd totum id, quod contra præmiſſa actum fuerit, ſit irritum, & inane.

In 3. cap. quod incipit. *Si annum*, ex eodem, ſtatuitur, quòd major 14. annis, etiamſi non pertingat ad annum 25. ſuæ ætatis, & ſit ſub Patria poteſtate, tamen poteſt per ſe, aut per Procuratorem agere, & defendere proprias cauſas Spirituales, puta Matrimonii, Beneficii &c.

imo

Digitized by Google

imo non ſolùm proprias cauſas Spirituales, ſed etiam cauſas annexas Spiritualibus, ut cauſas dotis, fructuum beneficii &c. minor verò 14. annis per ſe non poteſt agere, benè verò per Procuratorem, vel Curatorem illi datum authoritate Ordinarii, Eccleſiaſtici Judicis, aut authoritate Judicis delegati in tali cauſa. Quantùm verò ad Filios familias, qui ſunt ſub Patriâ poteſtate, ſi ſint majores 14. annis, ſine Patris conſenſu poſſunt agere proprias cauſas Spirituales per ſe, vel per Procuratorem: in his enim cauſis non pendent à poteſtate Patris. Videatur S. Thom. 2.2.q. 71. art.2. in corpore ubi ait: *Sic ergo ab officio Advocatorum prohibentur quidam propter impotentiam, eo quòd deficiunt ſenſu, vel interiori, ſicut furioſi, & impuberes, vel exteriori, ſicut ſurdi, & Muti*, & in fine concludit Clericos poſſe proprias cauſas patrocinari, quæ ratio etiam currit de Filiis familias, etiam ſi ſint ſub Patriâ poteſtate; legatur etiam in eadem 2. 2. q.60. de Judicio per 6. art. cujus doctrina elucidantur, quæ in hoc titulo habentur.

TITULUS II.

De Foro competenti, in tria capita diſtinctus.

Quia in ſuperiori Titulo actum eſt de Judiciis, & ad rectè judicandum requiritur neceſſariò, quod judicium fiat in Foro competenti, aliàs ſententia non tenet; ideò in præſenti proponitur Titulus de Foro competenti.

Agitur de hac materia in Decretalibus tit.2. lib.2.

In 1. cap. quod incipit. *Romana*, ex Innocentio IV. ſtatuitur, quòd Archiepiſcopus non eſt competens Judex ſubditorum ſuorum ſuffraganeorum in primâ inſtantia, ſed ſolùm præmiſsâ appellatione, ſeu in ſecundâ inſtantia, undè in prædictis cauſis tenetur primò Archiepiſcopus juridicè videre de Juſtitia appellationis, quâ viſâ, procedere ad cauſam principalem: Nec examen appellationis prætermittendum eſt, etiam de conſenſu partium, quia aliàs fieret injuria, & præjudicium Ordinario. Secundò ſtatuitur, quòd conſtito de Juſtitia Appellationis, Archiepiſcopus non poteſt compellere ſubditos, ſuffraganeorum cauſas ab eo delegatas ſuſcipere, vel ſententias exequi, niſi ſit conſuetudo in contrarium; ſed hoc remittendum eſt ſuo Commiſſario, vel Delegato, qui de conſenſu Ordinarii cauſam ab Archiepiſcopo factam exequi debet, cùm ſit in aliena Diœceſi.

In 2. cap. quod incipit. *Sæculares*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd Sæcularis non eſt Judex competens, ut poſſit cogere Clericum, ut ſolvat debita, etiam liquida: nàm Sæcularis Judex nullam habet authoritatem in Clericum, qui ipſo jure gaudet immunitate Fori, ut ſuprà dictum eſt.

In 3. cap. quod incipit. *Cùm C. Laicus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd cauſa juramenti ſervandi, cùm ſit Spiritualis, ad Forum Eccleſiaſticum ſpectat; undè Laicus ſi eſt conveniendus, ut juramentum ab eo factum ſervet, debet conveniri coram Judice Eccleſiaſtico.

TITULUS III.

De Litis conteſtatione in duo capita diſtinctus.

Actum eſt in ſuperiori Titulo de Foro competenti, ſed quia poſtquàm conſtat de competentia Fori, deveniendum eſt ad conteſtationem litis, per hoc quòd ad inſtantiam Actoris porrecto libello, Judex compellit Reum reſpondere, ſicquè lis conteſtatur: ideo poſt Titulum de Foro competenti, ſubnectitur præſens Titulus de Litis conteſtatione.

Agitur de hac materia in Decretalibus Tit. 5. lib. 2.

In 1. cap. quod incipit. *Exceptionis*, ex Innocentio IV. in Concilio Lugdunenſi, ſtatuitur exceptiones peremptorias, quæ ſunt illæ, quæ perimunt intentionem agentis, regulariter non poſſe opponi antè litis conteſtationem, quia hujuſmodi exceptiones peremptoriæ opponuntur ſolum ad merita cauſæ, & non ad

impe-

impediendam conteſtationem litis. Dicitur regulariter loquendo: nàm dantur tres exceptiones peremptoriæ, ſcilicèt exceptiones Tranſactionis, rei judicatæ, & litis finitæ; quæ tres exceptiones, vel earum quælibet ſi opponetur, & probetur, impedit litis conteſtationem, quia intentionem agentis elidit, & agentem à limine Judicii repellit: eo quòd tales exceptiones non reſpiciunt merita cauſæ, ſed actionem agentis ſtatìm perimunt: ſecùs dicendum de aliis exceptionibus peremptoriis, quæ merita cauſæ reſpiciunt; undè conteſtationem litis non impediunt, ſed in proſecutione cauſæ examinantur: ut ſi quis excipiendo proponat pactum factum ab Adverſario de non petendo ſibi ſolvi debitum, vel proponat debitum eſſe ſolutum; licet enim tales ſint exceptiones peremptoriæ, tamen quia reſpiciunt merita cauſæ, non impediunt litis conteſtationem, ſed in proſecutione cauſæ examinantur.

In 2. cap. quod incipit, *Si oblato*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd per exceptionem peremptoriam non fit litis conteſtatio, ſed adhuc ſtante tali exceptione peremptoria facta à Reo debet incipi lis per conteſtationem; dummodò tamen non ſit una ex tribus exceptionibus peremptoriis dictis in ſuperiori capite, ſcilicet de tranſactione, de lite finita, & de re judicata. Tales enim exceptiones, ut diximus, ingreſſum litis impediunt, & intentionem Actoris perimunt.

TITULUS IV.

De Juramento Calumniæ, in tria capita diſtinctus.

QUia regulariter, ordine juris ſervato, facta litis conteſtatione, plerumque accidit, quòd jurandum ſit de calumnia: ideò poſt præcedentem Rubricam ponitur præſens Titulus de Juramento Calumniæ.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 2. tit. 7.

In 1. cap. quod incipit. *Si de calumnia*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd ſi poſt litis conteſtationem non ſtatim à partibus litigantibus juretur de calumnia, non propter hoc Proceſſus eſt nullus, quia tale juramentum præſtari poteſt poſtea in qualibet parte litis, imo Proceſſus non annullatur, licet tacitè omiſſum ſit juramentum calumniæ in tota cauſa: excepta tamen cauſa Spirituali, in qua neceſſe eſt non ſolùm jurare de veritate dicenda, ſed etiam de non inferenda calumnia, ut pluries accidit in hujuſmodi cauſis.

In 2. cap. quod incipit. *In Appellationis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd juramentum calumniæ præſtari debet in cauſa appellationis, etiamſi fuerit primò præſtitum in prima inſtantia: nàm aliud eſt cauſa principalis, & aliud cauſa appellationis; undè utrobiquè eſt jurandum de veritate dicenda. Quod juramentum non ſufficit, ut præſtetur à Principalibus in exordio litis, ſed etiam præſtari debet ab eorum Procuratoribus in litis proſecutione: imo Judex ex rationabili cauſa poteſt compellere Principales, vel Procuratores in qualibet parte litis ad jurandum expreſsè de malitia, etiamſi juratum ſit de calumnia, cùm ſcilicet dubitat, quòd aliqua pars malitiosè procedat.

In 3. cap. quod incipit. *Nullam*, ex eodem, ſtatuitur, quòd licet ſecundùm jus antiquum Principales in cauſa, ſcilicet Actor, & Reus tenerentur præſtare Juramentum calumniæ; modò tamen pręſtari poteſt etiam ab eorum Procuratoribus, ſi tamen iſti habeant à Principali ſpeciale mandatum ad hoc faciendum, ſcilicet ad jurandum de calumnia in tali cauſa. Ad hoc enim requiritur mandatum ſpeciale, & non ſufficit generale, ut dictum eſt ſupra de Procuratoribus. Legatur S. Thom. 2. 2. quæſt. 89., ubi per 10. art. fusè pertractat omnia, quæ requiruntur, & pertinent ad quodlibet juramentum.

TI-

TITULUS V.

De Reſtitutione Spoliatorum, in duo capita diſtinctus.

Quià plerumque contingit in Judiciis poſt litis conteſtationem, & poſt prçſtitum Iuramentum calumnię, Actorem, vel Reum dare exceptionem ſpoliationis: ideò poſt præcedentes Titulos adnectitur præſens de Reſtitutione ſpoliatorum.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 2. Titulo 13.

In 1. cap. quod incipit. *Frequens, & aſſidua*, ex Innocentio IV. In Concilio Generali Lugdunenſi, ſtatuitur, quòd in cauſis civilibus exceptio ſpoliationis adducta à Reo non admittitur, ſi ſpoliatio facta ſit ab alio, quàm ab Actore; in Criminalibus verò admittitur talis exceptio, etiamſi ſpoliatio facta ſit à tertiò, dummodo talis ſpoliatio facta ſit de tota ſubſtantia, vel de majori parte; eòquod Reus ſic ſpoliatus non habet unde poſſit ſe defendere. Ad probandam autem ſpoliationem, aſſignandi ſunt à Iudice 15. dies, infrà quos ſi non probetur, condemnabitur Reus in expenſis. In rebus autem Eccleſiaſticis non obſtat exceptio ſpoliationis privatarum rerum, nec è converſo; ut ſi aliquis Rector Eccleſiæ prò pecunia alteri mutuata illum ſpoliavit ſuâ vineâ v. g. deindè agat contra illum, petendo ab ipſo legatum ſuæ Eccleſiæ relictum, non poteſt Reus excipere de ſpoliatione, quia illa facta eſt propter debitum privatum ratione perſonæ: legatum autem debetur Eccleſiæ ex alia ratione; unde talis exceptio non admittitur.

In 2. cap. quod incipit. *Ad decimas*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd ad hoc ut aliqua Eccleſia poſſit petere reſtitutionem decimarum, quas aliquando poſſedit in aliena Parochiâ, non ſufficit, ut probet ſe fuiſſe ſpoliatam prædictis decimis, ſed neceſſariò requiritur, ut probet evidenter ſe legitimè tales decimas poſſediſſe, licet Prædia eſſent in aliena Parochia: nam de jure communi decimæ ſolvendæ ſunt Parocho loci, ubi ſunt ſita Prædia: Undè ſi non afferatur Titulus legitimæ poſſeſſionis, puta quià fuerunt alteri Eccleſiæ donatæ ab Epiſcopo de conſenſu Capituli, præſumuntur uſurpatæ indebitè proprio Parocho. Pro elucidatione hujus Tituli Videatur D. Th. 2. 2. qu. 62. de reſtitutione, ubi per octo Articulos fusè de hac materia pertractat, & qu. 87. art. 4. ad 2. ubi ait: *Dicendum quòd Decimæ Perſonales debentur Eccleſiæ, in cujus Parochia homo habitat; decimæ, verò prædiales rationabiliter magis videntur pertinere ad Eccleſiam, in cujus terminis prædia ſunt ſita; tamen Jura determinant, quòd in hoc ſervetur conſuetudo diù obtenta. Paſtor autèm, qui diverſis temporibus in duabus Parochiis gregem paſcit, debet proportionaliter utrique Eccleſiæ decimas ſolvere. Et quia ex paſcuis fructus gregis proveniunt, magis debetur decima gregis Eccleſiæ, in cujus territorio grex paſcitur, quàm illi, in cujus territorio Ovile locatur.*

TITULUS VI.

De Dolo, & Contumacia, in duo capita diſtinctus.

Dictum eſt in Superiori Titulo de his, qui ſunt ab Adverſariis fatigati violenter per ſpoliationem Bonorum: nunc eſt agendum de his, qui fatigantur ab Adverſariis dolo, & contumacia.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 2. Titulo 14.

In 1. cap. quod incipit. *Actor*, ex Innocentio IV. ſtatuitur, quòd ſi Actor apud Judicem fecit citari Reum ad certam diem, in qua Reus comparent, & non Actor; in tali caſu Actor tamquam contumax condemnandus eſt Reo in expenſis; nec iterum poteſt petere, ut Reus citetur, niſi datâ cautione Reo de fideliter comparendo coràm Judice ſub certa pœna &c. ſi autem fuerit legitimè impeditus, debet Actor hoc evidenter probare.

In 2. cap. quod incipit. *Eum qui*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd ſi aliqua ex partibus appellet contrà ſenten-

tiam interlocutoriam Judicis, & talis Judex velit cauſam proſequi uſque ad ſententiam diffinitivam, poteſt hoc facere non citatâ, nec vocatâ eâ parte, quæ à tali Iudice appellavit; quia eo ipſo quòd appellavit, cenſetur nolle corâm eo Iudice de cætero litigare: unde fruſtranea eſſet talis citatio: niſi tamen poſt appellationem appellationi renunciaverit; tunc enim eſſet citandus.

TITULUS VII.

De eo qui mittitur in poſſeſſionem cauſa rei ſervandæ, unico capite comprehenſus.

DIctum eſt ſupra in præcedenti Titulo de dolo, & contumacia; ſed quià frequenter accidit, quòd propter contumaciam Rei, qui renuit comparere, Judex teneatur mittere Actorem in poſſeſſionem causâ rei ſervandæ; ideò immediatè ſubnectitur præſens Titulus.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 2. Titulo 15.

In hoc ergò cap. quod incipit. *Eum qui*, ex Innocentio IV. ſtatuitur, quòd quandò agitur de Beneficio Eccleſiaſtico obtinendo contrà aliquem jam illicitè, & invalidè intruſum in tali Beneficio, ſi talis intruſus citatus à Judice ad inſtantiam partis non compareat; non propter hoc Actor debet à Judice poni in poſſeſſionem Beneficii causâ rei ſervandæ, nè talis ingreſſus eſſet vitioſus; ſed Iudex poterit, etiam lite non conteſtatâ, examinare Teſtes, & procedere ad ſententiam.

TITULUS VIII.

Ut lite pendente nihil innovetur, in duo capita diſtinctus.

CUM in Superiori Titulo dictum ſit propter contumaciam Rei aliquandò eſſe licitum Iudici mittere in poſſeſſionem Actorem causâ rei ſervandæ; in hoc Titulo oſtenditur, hanc poſſeſſionem non præjudicare Reo quoad ſubſtantiam litis: nam regulariter, lite pendente, nihil eſt innovandam circà litis ſubſtantiam.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 2. Titulo 16.

In 1. cap. quod incipit. *Diſpendiis*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd pendente lite apud Sedem Apoſtolicam Electionis factæ à Capitulo in diſcordia, uno electo ab una parte Electorum, altero ab altera; ſi uni ex electis contingat mori, aut ceſſerit Iuri ſuo, aut fuerit excluſus, non poterit pars Canonicorum, quæ ipſum elegit, alterum eligere in locum illius, quouſque terminata ſit lis, & determinatum alterum electum ſuperſtitem, non eſſe legitimè electum: Priùs enim videndum eſt, & judicandum, an electus ſuperſtes ſit validè electus, quàm quòd Electores ad aliam procedant electionem; nàm lite pendente nihil eſt innovandum.

In 2. cap. quod incipit. *Si hi contrà quos*, ex eodem ſtatuitur; quòd quandò Beneficiatus, contrà quem ſuper Beneficio litigatur, cedit, vel decedit, ſi alius, lite pendente, eligatur, vel nominetur loco defuncti, ut cùm ſuperſtite litem continuet, talis electio, vel præſentatio non tenet; ſi autem aliquis, cujus intereſt, velit ad defenſionem litis admitti in locum defuncti, poterit admitti à Iudice, in eo tamen ſtatu, in quo erat cauſa, quandò Beneficiatus ceſſit, vel deceſſit.

TITULUS IX.

De Confeſſis, in duo cap. diſtinctus.

ACtum eſt in præcedentibus Titulis de his, quæ ſpectant ad ordinationem litis: nunc autem eſt dicendum de his, ideſt actis, quæ reſpiciunt merita, & defenſiones Cauſæ, ut ſunt Confeſſiones, & Probationes, merita &c. Primò loco ponitur in præſenti, Titulus de Confeſſis, quia ſuppoſita confeſſione rei non videntur ampliùs neceſſariæ Probationes.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 2. Titulo 18.

In 1. cap. quod incipit. *Statuimus*, ex Innocentio IV. in Concilio Lugdunenſi, ſtatuitur, Poſitiones Actoris de rigore Iuris non eſſe à Iudice admittendas

tendas

tendas ſuper facto purè negativo, quod probari non poſſit, niſi per confeſſionem Rei: de æquitate tamen admitti poterunt, ſi Judici videbitur expedire juxtà exigentiam cauſæ;licet enim Reus juret de dicenda veritate, non tamen tenetur ſe prodere coram Judice de his, quæ omninò occulta ſunt, nec ullo pacto probari poſſunt in Judicio, ut ſunt ea, quæ tantùm ſpectant ad conſcientiæ forum, & nec ulla præceſſit infamia, aut ſemiplena probatio.

In 2. cap. quod incipit. *Si poſt præſtitum*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd ſi Reus poſt præſtitum juramentum de veritate dicenda coràm Judice, ipſe, vel ejus Procurator juſſus ſit à Judice reſpondere poſitionibus datis ab Adverſario, vel Actore, & ipſe nolit reſpondere, aut contumaciter recedat à præſentia Judicis, circà tales poſitiones habebitur tamquàm confeſſus: ſecùs verò ſi citatus à Judice ad inſtantiam partis pro die determinato ad effectum reſpondendi poſitionibus Adverſarii, ipſe non compareat; tunc non habebitur ut confeſſus, ſed ſimpliciter ut contumax, & poterit compelli à Judice ad comparendum per cenſuram excommunicationis. Ratio hujus eſt, quia juſſus à Judice reſpondere,non reſpondendo, videtur fateri quod ei opponitur, quia tacens aſſentiri videtur: ille autem, qui ad mandatum Judicis non comparet, non propter hoc confitetur crimen, quia fuga, vel abſentia poteſt ex alia cauſa provenire; unde erat contumax, ſed non confeſſus. Pro elucidatione eorum, quæ in hoc titulo continentur. Videatur D. Th. 2. 2. q.69., ubi per 4. art. agit de confeſſione Rei, & præcipuè art. 1. ad 3. ubi ſic ait: *Dicendum, quòd ille, qui mentitur in Iudicio, ſe excuſando, facit & contra dilectionem Dei, cujus eſt Iudicium, & contra dilectionem proximi, tùm ex parte Iudicis, cui debitum negat, tùm ex parte Accuſatoris, qui punitur, ſi in probatione deficiat &c.* & art. 2. in corpore, *Reo, qui accuſatur, licet ſe defendere, veritatem occultando, quam confiteri non tenetur, per aliquos convenientes modos, puta, quòd non reſpondeat, ad qua reſpondere non tenetur, hoc autem non eſt calumnioſè ſe defendere, ſed magis prudenter evadere; non autem licet ei, vel falſitatem dicere, vel veritatem tacere, quam confiteri tenetur; neque etiam aliquem dolum, vel fraudem adhibere, quia fraus, & dolus vim mendacii habent; & hoc eſt calumnioſè ſe defendere.* Legatur per totam quæſtionem.

TITULUS X.

De Teſtibus, & Atteſtationibus, in tria capita diſtinctus.

Dictum eſt in Titulo proximè præcedenti de Confeſſis; ſed quia plerùmque accidit, quòd Reus non confitetur, ſed negat eſſe veras poſitiones datas ab Actore contra eum, ideò neceſſitatur Actor ad eas probandas; quod frequenter fit per Teſtes, & Atteſtationes; unde poſt titulum de confeſſis, recto ordine ſubnectitur præſens titulus de Teſtibus, & Atteſtationibus.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 2. tit. 20.

In 1. cap. quod incipit. *Mediatores*, ex Gregorio IX. in Concilio Generali Lugdunenſi, ſtatuitur, quòd Mediatores, ſive ſocii criminis ſimoniæ admitti poſſunt, & debent à Judice contra Reum, ſi agatur hæc cauſa civiliter, ideſt ad effectum ſolùm probandi, quòd tale Beneficium Reus aſſecutus eſt ſimoniacè, ac proindè nulliter; non verò ſi hæc cauſa agatur criminaliter, ſcilicet intendendo probare, Reum eſſe privandum omni Beneficio, & incidiſſe in excommunicationem, & debitis pœnis eſſe puniendum. Si enim cauſa hoc ſecundò modo procedat, ſocii criminis non admittuntur ut Teſtes; benè verò ſi agatur cauſa primo modo, ſcilicet civiliter, & hoc in detectationem tanti criminis. Præfati autem ſocii, ſeu Mediatores, qui admittuntur in Teſtes, non debent eſſe ſocii muneris, ſcilicet qui participarunt in munere, ſed tantùm ſocii, ſeu Mediatores in crimine, nulla habita participatione in munere, aliàs admitti non debent.

In 2. cap. quod incipit. *Præſentium*, ex eodem, ſtatuitur, quòd quandò Actor

vult producere Teſtes ad probandum in ſua cauſa, debet eorum nomina exprimere, & debet proponere, articulos, quos per eos intendit probare. Teſtibus autem, prævio juramento de veritate dicenda, examinatis, poteſt Reus eos reprobare; ſed ad hoc debet contra eos afferre exceptiones, ſeu crimina, propter quæ eos reprobat tamquàm non merentes fidem in tali judicio, quæ crimina, ſeu exceptiones, præſtito juramento, tenetur probare per alios Teſtes, qui dicuntur reprobatorii, eo quòd reprobant primos Teſtes. Contra hoc reprobatorios Teſtes poteſt Actor iterùm adducere alios Teſtes ad infringendam atteſtationem ipſorum, & ad probandos ſuos articulos propoſitos. Quo facto, non admittuntur a Judice alii Teſtes reprobatorii; nam aliàs daretur proceſſus in infinitum: debet ergo Judex omnibus iſtis examinatis, & penſatis ſententiam proferre in cauſa.

In 3. cap. quod incipit. *Romana Eccleſia*, ex Innocentio IV. ſtatuitur, quòd in cauſa Appellationis non debet admitti ad teſtificandum Advocatus, vel Procurator appellantis; eſt enim ſuſpectus, cùm fuerit Advocatus, vel Procurator illius in priori Judicio. Nec in eadem cauſa appellationis eſt deferendum juramentum ipſi appellanti, niſi inſpectis Perſonæ, vel cauſæ circumſtantiis, id fuerit faciendum. Videatur D. Th. 2. 2. q. 70. art. 1. in corpore, ubi ſic ait: *Dicendum, quòd in teſtimonio ferendo diſtinguendum eſt, quia aliquando requiritur teſtimonium alicujus, aliquando non requiritur. Si requiritur teſtimonium alicujus Subditi authoritate Superioris, cui in his, quæ ad Juſtitiam pertinent obedire tenetur, non eſt dubium, quia tenetur teſtimonium ferre in his, in quibus ſecundùm ordinem juris teſtimonium ab eo exigitur, puta in manifeſtis, & in bis, in quibus præceſſit infamia. Si autem exigitur ab eo teſtimonium in aliis, puta, in occultis, & de quibus infamia non præceſſit, non tenetur ad teſtificandum; ſi verò requiratur ejus teſtimonium, non authoritate Superioris, cui obedire tenetur, tunc diſtinguendum eſt, quia ſi teſtimonium requiratur ad liberandum hominem, vel ab injuſta morte, ſeu pœna quacumque, vel à falsâ infamia, vel ab aliquo damno, tunc tenetur homo ad teſtificandum, & ſi ejus teſtimonium non requiratur, tenetur facere, quod in ſe eſt, ut veritatem denunciet alicui, qui ad hoc poſſit prodeſſe &c.* Legatur per totum articulum, & reliquos hujus quæſtionis.

TITULUS XI.

De Jurejurando, in tria capita diſtinctus.

Dictum eſt in ſuperiori Titulo de Probationibus, quæ fiunt per Teſtes, ſed quia quandoquè accidit rem per Teſtes probari non poſſe, ideo, in remediū hujus deficientiæ ſolet Judex, vel pars compellere partem adverſam ad juramentum, tamquàm litis deciſorium. Ut autem ſciamus qualiter, & quando tale juramentum deferri poſſit, proponitur præſens titulus.

Agitur de hac materia in Decretalibus tit. 24. lib. 2.

In 1. cap. quod incipit. *Contingit*, ex Nicolao III. ſtatuitur, quòd juramentum, quod præſtare ſolent Rectores Eccleſiarum, Canonici, & Officiales locorum de ſervandis ſtatutis, & conſuetudinibus locorum, vel Eccleſiarum, non obligat eos ad ſervanda illicita, impoſſibilia, vel contraria Eccleſiaſticæ libertati, nec jurantium intentio debet ad ea referri: nàm juramentum non eſt vinculum iniquitatis, nec ad impoſſibilia valet obligare.

In 2. cap. quod incipit. *Licet Mulieres*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd in obſervantia juramenti attenditur jus Eccleſiaſticum, & non jus Civile, ſi in hoc jus Civile diſcordet ab Eccleſiaſtico. Materia enim juramenti ſpectat ad jus Eccleſiaſticum propter peccatum, quod committitur illud non obſervando. Undè ſi Uxor conſenſit alienationi, quam Maritus fecit de re ſpectante ad ſuam dotem, & liberè juraverit, quòd numquàm ſe opponet tali alienationi, tenetur Judex Sæcularis, ſi talis uxor velit repetere rem illam, judicare in favorem Poſſeſſoris;

ris, & juramenti; etiamſi jus Civile tales reprobet alienationes dotis, etiam de conſenſu uxorum: imo ſi taliter non judicet Judex Sæcularis, poterit à Judice Eccleſiaſtico Ordinario compelli ad taliter judicandum per cenſuram excommunicationis.

In 3. cap. quod incipit. *Cùm in poſitionibus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Perjurium eſt ſufficiens cauſa, ut quis repellatur à Beneficio non ſolùm obtinendo, ſed etiam à Beneficio jam obtento: undè ſi electus, vel nominatus ad aliquod Beneficium inciderit in tale crimen perjurii, ponendo, & jurando ſive per ſe ipſum, ſive per ſuum Procuratorem aliqua immediatè contraria, erit repellendus à confirmatore, niſi tamen rationabiliter excuſetur. Videatur S. Th. 2. 2. qu.89., ubi per 10. art. fusè pertractat omnia, quæ ad juramentum pertinent, & præcipuè art.3. in corpore ubi ait: *Juramentum non eſt bonum niſi ei, qui benè utitur juramento; ab bonum autem uſum juramenti duo requiruntur. Primò quidem quòd aliquis non leviter, ſed ex neceſſariâ cauſâ, & directè juret, & quantùm ad hoc requiritur Judicium, ſcilicet diſcretionis ex parte jurantis. Secundò quantùm ad id, quod per juramentum confirmatur, ut ſcilicet neque ſit falſum, neque ſit aliquid illicitum, & quantùm ad hoc requiritur veritas, per quam aliquis juramento confirmat, quod verum eſt, & Juſtitia, per quam confirmat, quod licitum eſt; judicio autem caret juramentum incautum, veritate autem juramentum mendax, juſtitiâ autem juramentum iniquum, ſive illicitum.* Hæc D. Thomas.

TITULUS XII.

De Exceptionibus, in duo capita diſtinctus.

Quia in ſuperioribus Titulis actum eſt de modis, quibus Actor poteſt, & debet agere contra Reum in Judicio: nunc ſequitur agendum de modis, quibus Reus poteſt, & debet ſe defendere in Judicio contra Actorem; & quia inter hujuſmodi modos defenſionis primum locum tenet exceptio: ideo primò agitur de exceptionibus.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib.2. tit.25.

In 1. cap. quod incipit. *Pia conſideratione*, ex Innocentio IV. ſtatuitur in Concilio Lugdunenſi, Actorem aliàs excommunicatum majori excommunicatione eſſe à Judice repellendum, vel ad inſtantiam Rei, qui talem dat exceptionem Actori, quam tenetur probare infrà octo dies; quam ſi non probet, Reus condemnabitur in expenſis; vel debere talem Actorem publicè excommunicatum repelli ab ipſo Judice ex officio; eſt enim indignus excommunicatus, ut audiatur in Iudicio tamquàm Actor: poterit tamen in Iudicio audiri tamquàm Reus, ſcilicet in ſui accuſatione, aut defenſione, hoc enim ei denegari non poteſt, cùm defenſio unicuique competat, cùm ſit de jure naturæ. Et licet Reus opponens excommunicationem contra Actorem, eam non probaverit infrà octo dies, ac proindè fuerit condemnatus in expenſis, & coactus litigare; ſi poſtea, factis aliis diligentiis, iterùm proponat Iudici eamdem exceptionem excommunicationis contra Actorem, & eam probet, Iudex non poterit procedere ad ſententiam; vel ſi ſententiam jam dederit, non poterit Actor exequi ſententiam, quouſque Actor non fuerit abſolutus ab excommunicatione: nàm in tali caſu ſententia quidem valet, quia ſententia eſt prolata tempore, quo Actor non præſupponebatur excommunicatus; ſed poſtea conſtito de excommunicatione, impeditur executio ſententiæ latæ in ſui favorem: eſt enim incapax, quouſquè non recipiat abſolutionem.

In 2. cap. quod incipit. *Cùm quidam*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd exceptio rei judicatæ per Iudicem Eccleſiaſticum, ſi à Reo opponatur Actori, debet admitti etiam à Iudice Sæculari; aliàs talis Iudex Sæcularis poterit compelli per cenſuras ab Epiſcopo, ut eam admittat. Si autem talis exceptio ſit de re judicata in Foro Sæculari, & nolit admitti à Iudice Eccleſiaſtico, talis Iudex Eccleſiaſticus debebit compelli ad eam admit-

admittendam, non à poteſtate Laicâ, ſed à poteſtate Eccleſiaſticâ: ſicquè talis exceptio facta à Reo de re judicata in omni Foro eſt à Iudice admittenda.

TITULUS XIII.

De Præſcriptionibus, in duo capita diſtinctus.

QUia inter exceptiones, quibus Reus ſolet ſe defendere contra Actorem, principalem locum tenet præſcriptio, qua bonâ fide quis ſtatuto temporis ſpatio rem aliquam poſſedit: ideò poſtquàm de exceptionibus in genere dictum eſt, nunc agitur de Præſcriptionibus.

Tractatur de hac materia in Decretalibus tit. 26. lib. 2.

In 1. cap. quod incipit. *Epiſcopum*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd ad legitimè præſcribendum ſufficit bona fides in poſſeſſione continuatâ per tempus à jure ſtatutum, ſi talis poſſeſſio non ſit contraria juri communi; tunc enim ultra bonam fidem continuatam, eſt neceſſe Poſſeſſorem allegare Titulum, & probare; niſi tamen talis præſcriptio eſſet immemorabilis, ſcilicet centum annorum, & ultra: in tali enim caſu poſſeſſio illa centenaria probata per Teſtes de auditu Seniorum, habetur pro titulo.

In 2. cap. quod incipit. *Si qui*, ex eodem, Statuitur; quòd licèt ad præſcribendum in Fæudis, vel aliis Bonis pertinentibus ad Eccleſiam Romanam ſit neceſſarium tempus immemorabile, ſeu centum annorum, & ad præſcribendum contra alias Eccleſias ſufficiat tempus 40. annorum: tamen loquendo de Bonis, quibus quis, vel ipſo jure, vel per ſententiam ſit expoliatus, quæ Bona de jure eſſent confiſcanda; ſi talia bona à Filiis, non reclamante Eccleſia, poſſideantur bonâ fide, & præſcribant per 40. annos, valet talis præſcriptio tàm contra Eccleſias particulares, quam contra Eccleſiam Romanam; nam in his bonis præſcribendis non ſit differentia, an præſcriptio ſit contra Eccleſiam Romanam, vel aliam inferiorem. Ponitur exemplum in eo, qui lapſus eſt in hæreſim, vel occultam, vel manifeſtam, eo ipſo eſt privatus bonis Eccleſiæ: Filii autem illius ſi ſint Catholici, & contra eos Eccleſia non reclamet, bona fide poſſidentes talia bona à Patre poſſeſſa, ſpatio 40. annorum legitimè præſcribunt, ſive ea bona pertineant ad Eccleſiam Romanam, ſive ad alias inferiores.

TITULUS XIV.

De Sententia, & re judicata, in quinque capita diſtinctus.

QUia in ſuperioribus Titulis actum eſt de præparatoriis ad Iudicia tàm ex parte Actoris, qui tenetur allegare, & probare, quod proponit, quàm ex parte Rei, qui tenetur ſe defendere: ideo poſtquàm de talibus Præparatoriis actum eſt, ſequitur agendum de ſententiâ, & re judicatâ, qui Titulus, ſpectat ad Iudicem, qui debet juridicè judicare, & ſententiam proferre.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 2. tit. 27.

In 1. cap. quod incipit. *Cùm æterni*, ex Innocentio IV. in Concilio Lugdunenſi, ſtatuitur, Iudicem Eccleſiaſticum, qui contra conſcientiam, & Iuſtitiam, amore, vel odio, aut timore, vel ex lucro aliquam ex partibus litigantibus per ſententiam iniquam gravaverit, præter pœnas à jure ſtatutas, teneri ad reſtitutionem damni parti læſæ illati, & inſuper remanere ſuſpenſum per annum: quòd ſi per talem annum aliquo modo ſe ingeſſerit in Divinis, remanebit perpetuò ſuſpenſus, & Irregularis, à qua ſuſpenſione, & Irregularitate abſolvi non poterit niſi per Romanum Pontificem.

In 2. cap. quod incipit. *Ad Apoſtolicæ*, ex eodem in eodem Concilio, ſtatuitur, Imperatorem ex juſtis, & legitimis cauſis poſſe à Romano Pontifice tamquàm à Chriſti Vicario, & ſucceſſore B. Petri à Sede Imperiali deponi, & Imperio privari: ſicut de facto per hunc Pontificem Innocentium IV. Fridericus Imperator in præfato Concilio Lugdunenſi fuit

fuit à Papa Imperio privatus, & Subditi à juramento fidelitatis abſoluti.

In 3. cap. quod incipit. *Abbate*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Actor petens rem certam, expreſsâ causâ ſuæ petitionis; ſi talem cauſam non probet, ſuccumbit in Judicio, licet aliam cauſam probet ſatis remotam, & inſufficientem.

In 4. cap. quod incipit. *Cùm ab uno*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd in caſu, quo in aliqua cauſa ſint conſtituti plures Judices, vel arbitri, ſi omnibus præſentibus, de eorum conſenſu, & mandato unus ex eis per verba pluralis Numeri ferat ſententiam, talis ſententia tenet: nam iſte ſententiam fert nomine omnium. Ad differentiam electionis, quæ fieri debet non per verba pluralis numeri, ſed ſingularis; quandò ſcilicet proceditur per ſcrutinium: ſecus ſi procedatur per communem inſpirationem Spiritus Sancti.

In 5. cap. quod incipit. *Et ſi in ſententia*, ex eodem, ſtatuitur, quod ad validitatem ſententiæ diffinitivæ tria requiruntur. Primò ut ponatur in ſcriptis: ea enim quæ ſcribuntur, majorem habent firmitatem. Secundò ut ore proprio Judicis proferatur; nec ſufficit, ut detur Notario, ut eam proferat, niſi tamen Iudex eſſet Perſona Illuſtris, ut Epiſcopus, vel Princeps &c. hic enim nomine dignitatis poteſt per alium ſententiam ferre. Tertiò ut proferatur ſententia à Iudice ſedente pro Tribunali in loco ſolito Iudicii, vel in alio ab eo ex rationabili cauſa electo: undè ſi Iudex deambulando, aut ſtando ſententiam proferat, ſententia nulla eſt. Homo enim ſedendo, & quieſcendo fit prudens. Legatur S. Th. 2. 2. quæſt. 67. ubi per quatuor articulos perlucidè pertractat ea, quæ pertinent ad ſententiam Iudicis, & quæſtione ſequenti art. 2. in corpore ſic concludit: *Dicendum, quòd quando in criminibus per modum accuſationis agitur, accuſator conſtituitur pars ita, quòd Judex inter accuſatorem, & eum, qui accuſatur, medius conſtituitur ad examen juſtitiæ, in quo oportet, quantùm poſſibile eſt, ſecundùm certitudinem procedere, quia verò ea, quæ verbo tenus dicuntur, facilè labuntur à memoria, non poſſet Iudici eſſe certum, quid, & qualiter dictum ſit, cùm debet proferre ſententiam, niſi eſſet in ſcriptis redactum, & ideo rationabiliter inſtitutum eſt, ut accuſatio, ſicut & alia, quæ in judicio aguntur, redigantur in ſcriptis.*

TITULUS XV.

De Appellationibus, in 12. *capita diſtinctus.*

Cum Titulo præcedenti actum ſit de Sententiâ, & de re judicatâ, & plerumque accidat per hujuſmodi ſententias aliquam ex partibus gravari, pro quo gravamine datur remedium appellationis ad Iudicem Superiorem: ideo poſt præcedentem Titulum, ponitur Titulus præſens de appellationibus.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 2. tit. 28.

In 1. cap. quod incipit. *Cordi nobis*, ex Innocentio IV. in Concilio Lugdunenſi, ſtatuitur, quòd appellans ad Papam in Iudicio, vel extra Iudicium, à ſententia tamen interlocutoriâ debet appellare in ſcriptis, & exprimere cauſam rationabilem ſuæ appellationis, ex qua appareat ipſum fuiſſe gravatum à Iudice inferiori, à quo debet petere literas dimiſſorias, quas Iudex inferior ei dare tenetur; ut appellans legitimè compareat coram Papa: poteſt tamen Iudex inferior abbreviare terminum juris ad proſequendam appellationem, cùm hujuſmodi tempus regulariter ſit unius anni; dummodò tempus, quod aſſignatur appellanti ſit congruum, & ſufficiens. Terminum autem judicandi de appellatione non poteſt abbreviare, cùm hoc pendeat à voluntate Iudicis, ad quem devolvitur cauſa appellationis. Si autem appellans appellet à ſententia diffinitiva, non requiruntur iſtæ conditiones, ſed ſufficit, ut ipſe declaret, & poteſtetur, ſe appellare ad Iudicem ſuperiorem ab injuſta, & iniqua ſententia, cui appellationi Iudex inferior tenetur deferre: poterit tamen tempus ad proſequendam appellationem congruum, & rationabile aſſignare.

In 2. cap. quod incipit. *Legitima*, ex eodem ſtatuitur, quod ſi contingit Judicem

dicem delegatum à Papa recuſari, ut ſuſpectum ab aliqua ex partibus litigantibus, tunc à partibus ipſis eligendi ſunt Arbitri, qui cognoſcant de causâ hujus recuſationis, ſi ſit juſta, & benè fundata: quòd ſi duo Arbitri diſſentiant inter ſe, uno affirmante, alio negante, eligendus eſt tertius Arbiter, cujus Voto ſtandum eſt, ipſo accedente ad Votum unius. Nè autem cauſa hæc nimium prorogetur, debebit Judex, & tenebitur tempus congruum aſſignare Arbitris, ut diffinitivam ſententiam proferant in hac cauſa recuſationis Iudicis, quam ſi infrà tale tempus præfati Arbitri non definiant, Iudex poterit, & tenebitur cauſam principalem proſequi: Præſumitur enim tali caſu eſſe fraudem, & dolum ad impediendum, & retardandum judicium.

In 3. cap. quod incipit. *Romana Eccleſia*, ex eodem ſtatuitur, quòd non licet appellare ab Officiali, ſeù Vicario Epiſcopi ad ipſum Epiſcopum; faciunt enim idem Tribunal. Poterit tamen ab Officiali Epiſcopi appellari ad Archiepiſcopum Provinciæ; eſt enim Superior. Hoc tamèn intelligitur de ſententia lata ab Officiali Epiſcopi, non autèm de Prælato, ſeu Rectore ſubdito Epiſcopi, v. g. Archidiacono, vel Abbate &c. nam à ſententia iſtorum appellandum eſt immediatè ad Epiſcopum, non ad Archiepiſcopum; habent enim diſtinctum Tribunal. Appellatio autem non eſt à Iudice Superiori admittenda, niſi cauſa probabilis ſit expreſſa, & niſi conſtet de devolutione cauſæ ad ipſum. In aliis autem cauſis Epiſcopalibus, quæ ad Archiepiſcopum non devolvuntur per appellationem, non poteſt Archiepiſcopus ſe ingerere, nec Appellationem eximere à Iuriſdictione Epiſcopi in prædictis cauſis. Si autem contingat excommunicatum ab Epiſcopo appellare ad Archiepiſcopum, non poteſt Archiepiſcopus ipſum abſolvere, niſi priùs partibus vocatis, & causâ ligitimè cognitâ. Quòd ſi Archiepiſcopus acceptatâ Appellatione, & causâ ex aminatâ, pronunciet malè fuiſſe appellatum, ſtatim tenetur Cauſam ad Suffraganeum remittere: ceſſat enim ejus Iuriſdictio, ſi Appellatio non ſubſiſtit, & redit ad Iudicem Ordinarium.

In 4. cap. quod incipit. *Ut ſuper*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi ſtante Appellatione Iudex requiſitus ab Appellante non tradit Apoſtolos, ideſt literas teſtimoniales recurſus ad Superiorem, & procedat in cauſa, non valet Proceſſus, niſi ab Appellante renunciatum fuerit Appellationi. Stante enim Appellatione ſuſpenditur Iuriſdictio Iudicis, à quo eſt Appellatum.

In 5. cap. quod incipit. *Cum Appellationibus*, ex Clemente IV. ſtatuitur, quòd Iudex Appellationis ſi Appellationem cognoſcat frivolam, & non ſubſiſtentem, debet pronunciare, *Benè fuiſſe judicatum, & malè appellatum*. Quo facto, debet Appellantem condemnare in expenſis, & cauſam principalem remittere Iudici à quo prò executione ſententiæ; ſi aliàs talis Iudex Appellationi non detulerit: ſi autem detulit Appellationi, ſcilicet conſenſerit, tunc poterit Iudex Appellationis proſequi, & terminare cauſam in ſuo Tribunali, abſquè eo quòd illa remittatur Iudici à quo, qui ſibi hoc debet imputare, quià conſenſit Appellationi frivolæ, cui non debebat aſſentiri. Concedere autem Apoſtolos Appellanti non eſt aſſentiri Appellationi, cùm Iudex à quo inſtanter requiſitus ab Appellante concedere poſſit Apoſtolos præcisè refutatorios, non reverentiales, nec remiſſorios: hos enim Apoſtolos dare, eſt Appellationi deferre.

In 6. cap. quod incipit. *Ab eo*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd Appellans ſi infrà 30. dies inſtanter non petit Apoſtolos, ſivè literas dimiſſorias à Judice à quo, præſumitur renunciaſſe Appellationi: ſi autem infrà tale tempus Appellans inſtanter petierit, & Judex à quo eos non tradiderit, ſed cauſam proſequatur, ejus Acta non ſunt valida, & nullus eſt Proceſſus.

In 7. cap. quod incipit. *Non ſolùm*, ex eodem ſtatuitur, quòd Judex Appellationis, acceptatâ Appellatione, tenetur ſtatim revocare ea, quæ poſt diffinitivam ſententiam, à qua fuit appellatum, facta ſunt à Judice à quo in præjudicium Appellantis; etiamſi ea facta ſint antè Appellationem, ad quam datur tempus decem

dem dierum à prolatione ſententiæ diffinitivæ. Si verò hæc attentata facta ſint à Iudice à quo poſt ſententiam interlocutoriam, Iudex Appellationis ea non poteſt revocare, niſi priùs conſtito de legitimitate Appellationis; niſi fortè præceſſerit Inhibitio Appellantis debito modo facta: tunc enim ſtante inhibitione dicuntur attentata, ac proindè ſtatim revocanda.

In 8. cap. quod incipit. *Concertationis*, ex eodem ſtatuitur, quòd in Electionibus, Poſtulationibus, Proviſionibus, & quibuslibet extrajudicialibus actibus, qui exiſtimat ſe gravatum, poteſt quidèm appellare à tali gravamine, ſed tenetur talem Appellationem facere infrà decem dies à notitiâ talis gravaminis: quòd ſi infrà tale tempus non appellaverit, non videtur per hoc renunciare juri ſuo; ſed poterit uti aliis remediis Iuris communis, defendendo jus ſuum, & agendo de injuſta expoliatione, & gravamine; quia unuſquiſque tenetur jus ſuum defendere, & poſſeſſionem conſervare.

In 9. cap. quod incipit. *Appellatio*, ex eodem ſtatuitur, quòd Appellatio in ſcriptis facta, & porrecta juridicè Iudici à quo, licèt coram eo non fuerit lecta, valet, & tenet: non enim eſt de eſſentia validitatis Appellationis hæc ſolemnitas, ut coràm Iudice legatur; ſicut eſt de eſſentia validitatis ſententiæ, ut à Iudice prò Tribunali ſedente proferatur: nàm plùs requiritur ad validitatem ſententiæ, quàm ad validitatem Appellationis.

In 10. cap. quod incipit. *Si à Judice*, ex eodem ſtatuitur, quòd Iudex non poteſt ſententiam diffinitivam revocare etiam ſtante Appellatione, nec poteſt Appellantem citare ad probandam coram eo rationem gravaminis. Primum, quià Iudex datâ ſententiâ definitiva functus eſt officio ſuo. Secundum, quia Appellans ex vi Appellationis eximitur à Iuriſdictione Iudicis à quo. Si autem Appellatio fiat à ſententia Interlocutoria, in tali caſu Iudex à quo poteſt citare Appellantem ad comparendum coràm eo, ad effectum revocandi, vel moderandi ſententiam illam interlocutoriam, ratione cujus facta fuerat Appellatio; & in tali caſu Appellans tenebitur comparere; alias Iudex à quo aget contrà eum tamquàm contumacem.

In 11. cap. quod incipit. *A Collatione*, ex eodem ſtatuitur, quòd à Collatione Beneficii, quæ de Iure ſpectat ad Capitulum, in eo intervenientibus Epiſcopo, & Canonicis, poteſt fieri Appellatio ad ipſum Epiſcopum, ſi in tali Capitulo interfuit Epiſcopus, non ut Epiſcopus, & Prælatus, ſed tamquàm Canonicus: ſi autem interfuit, ut Prælatus, & caput Capituli, in tali caſu Appellatio fieri debet ad Superiorem Epiſcopi: non enim poteſt Epiſcopus eſſe Iudex Appellationis in propria Cauſa.

In 12. cap. quod incipit. *Licet*, ex eodem ſtatuitur, quòd quandò quis Appellat à diffinitiva ſententia, ex vi talis Appellationis revocatur nedùm ſententia diffinitiva, ſed etiam quæcumque ſententia interlocutoria lata à Iudice à quo in tali cauſa, quæ negotio principali præjudicat. Nàm Appellatio reducit cauſam in eo ſtatu, in quo erat tempore, quo lis fuit conteſtata; undè ſuſpenduntur ex vi Appellationis omnia gravamina illata Appellanti nedùm per ſententiam diffinitivam, ſed etiam per ſententias interlocutorias. Videatur pro elucidatione eorum, quæ in hoc titulo continentur D. Thom. 2. 2. quæſt. 69. art. 3. ad 1. ubi ſic ait: *Dicendum, quòd poteſtati inferiori intantùm aliquis ſubiici debet, inquantùm ordinem Superioris ſervat, à quo ſi exorbitaverit, ei ſubiici non oportet, puta ſi aliud juſſerit Proconſul, & aliud Imperator, ut patet per gloſſ. Rom. 13. Cùm autèm Judex aliquem injuſtè gravat, quantùm ad hoc relinquit ordinem Superioris poteſtatis, ſecundum quàm neceſſitas ſibi juſte judicandi imponitur; & ideo licitum eſt ei, qui contra juſtitiam gravatur, ad directionem Superioris poteſtatis recurrere appellando, vel ante ſententiam, vel poſt; Et quia non præſumitur eſſe rectitudo, ubi vera fides non eſt, ideo non licet Catholico ad infidelem judicem appellare, ſecundùm illud 2. q. 6. c. Cathol. Catholicus, qui cauſam ſuam ſive juſtã, ſive iniuſtam ad iudicium alterius fidei Judicis provocaverit, excommunicetur; nàm & Apoſtolus arguit eos, qui iudicio contendebant apud Infideles.*

Et in ſolut, ad 3. *Dicendum, quòd Æquitas Juris ita ſubvenit uni parti, quòd altera non gravetur; Et ideo tempus decem dierum conceſſit ad appellandum, quod ſufficient æſtimavit ad deliberandum, an expediat appellare. Si verò non eſſet determinatum tempus, in quo appellare liceret, ſemper certitudo Judicii remaneret in ſuſpẽſo, & ita pars altera damnificaretur; ideò autem non eſt conceſſum, ut tertiò aliquis appellet ſuper eodem, quia non eſt probabile, totiès Judices à recto judicio declinare.* Legatur per totum Articulum.

Finis Libri Secundi, Sexti Decretalium.

LIBER

LIBER TERTIUS SEXTI DECRETALIUM

In Titulos XXIV. diviſus.

TITULUS PRIMUS.

De vitâ, & honeſtate Clericorum cap. unico compræhenſus.

POſtquàm in Superioribus libris actum eſt de Perſonis Clericorum, eorumqueDignitatibus, & Officiis, nèc non de eorum Iudiciis,& modo procedendi in Cauſis Eccleſiaſticis : nunc agendum eſt de Vita Clericorum, & de eorum honeſtate : ideòque immediatè ponitur præſens Titulus.

Agitur de hac materia in Decretal, lib. 3. Titulo 1.

In hoc ergò cap. quod incipit. *Clerici*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd Clerici exercentes per annum artes ignominioſas, ut ſunt artes Mimorum, Ioculatorum, Hiſtrionum, & ſimilium, ipſo facto ſunt privati omni Privilegio Clericali,ſcilicet Privilegio tùm Fori, tùm Canonis. Si autèm breviori tempore eas exercuerint,& ab Epiſcopo ter moniti non reſipuerint, ipſo Iure in eamdem incidunt pœnam. Non enim merentur gaudere Clericali Privilegio, qui Clericalis Ordinis dignitati per talia exercitia non modicum detrahunt.

TITULUS II.

De Clericis conjugatis unico capite compræhenſus.

QUià in Superiori Titulo dictum eſt de Vita Clericorum; & alias inter Clericos aliqui ſint conjugati: nunc videndum eſt de iſtis, an eo ipſo, quòd Matrimonium contraxerint, amiſerint Privilegia Clericalia.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 3. Titulo 3.

In hoc ergò cap. quod incipit. *Clerici*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd Clericus in minoribus conſtitutus, ſi contrahat cùm Virgine, non amittit illa duo Privilegia Clericalia ſcilicet Privilegium Canonis, *ſi quis ſuadente &c.* & Privilegium Fori, ſi tamèn incedat in habitu, & Tonſurâ; ſecùs autem ſi incedat ſine habitu, & tonſurâ: Tùnc enim amittit talia Privilegia, quæ etiàm amittit contrahendo Matrimonium cùm corrupta; fieret enim Bigamus, & Irregularis, undè ſtatim amitteret omne Privilegium Clericale. Alia autem Privilegia Clericis inſervientibus Eccleſiis propriis, ut exemptio à Collectis, taliis, & exactionibus, Clerici conjugati participare non poſſunt, cùm per Matrimonium ad ſtatum laiealem tranſierint.

Digitized by Google

TITULUS III.

De Clericis non reſidentibus in Eccleſia, vel Præbenda, unico capite comprehenſus.

QUia ſupra dictum eſt de vita Clericorum, eorumque obligationibus: & quia inter obligationes, ad quas tenentur Clerici, præcipua eſt, inſervire Eccleſiæ, cui ſunt addicti, ideo ponitur titulus de Clericis non reſidentibus.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 3. tit. 4.

In hoc ergo cap. quod incipit. *Conſuetudinem*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd ad lucrandas diſtributiones quotidianas in Cathedralibus, aut aliis Eccleſiis collegiatis, non ſufficit Canonicis, & Beneficiatis eſſe præſentes in tali Civitate, ſeu loco, ubi eſt Eccleſia, cui ſerviunt, ſed eſt neceſſe, ut perſonaliter interſint Choro ad Divina officia perſolvenda, quacumque conſuetudine in contrarium non obſtante; hæc enim eſt abuſus, & omnino reprobata à Sacris Canonibus, cùm diſtributiones dentur præcisè propter actuale ſervitium, & perſonalem aſſiſtentiam Choro. Ex quo ſequitur, quòd ſi chorum non frequentantes recipiant diſtributiones, eas non faciunt ſuas, ſed ad reſtitutionem tenentur: exceptis tamen duobus caſibus, ſcilicet ſi abſint à Choro ratione infirmitatis, vel ob evidentem utilitatem Eccleſiæ. Quod dictum eſt de diſtributionibus propter Divina Officia in Choro perſolvenda, extenditur etiam ad diſtributiones, quæ dantur propter Anniverſaria Defunctorum perſolvenda.

TITULUS IV.

De Præbendis, & Dignitatibus, in 41. cap. diſtinctus.

DIctum eſt in ſuperioribus Titulis, quòd Clerici non reſidentes, & non inſervientes Eccleſiis, quibus ſunt deputati, non faciunt fructus ſuos; quia ſicut Clericus inſerviens Eccleſiæ, de redditibus Eccleſiæ vivere debet: ita è contra Clericus Eccleſiæ non inſerviens, de illius redditibus participare non debet, redditus enim Eccleſiæ dantur Clericis pro Eccleſiæ ſervitio: ideo adnectitur præſens Titulus de Præbendis, & Dignitatibus: hæc enim ſunt ſtipendia Clericorum.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 3. tit. 5.

In 1. cap. quod incipit. *Suſcepti Regiminis*, ex Clemente III. aliàs Clemente IV. ſtatuitur, quòd Diœceſanus non poteſt inſtituere, imò nec admittere ad præſentationem Patroni aliquem Clericùm in Rectorem, vel Parochum alicujus Eccleſiæ, niſi priùs eidem aſſignatâ præbendâ, ſeu ſtipendio proportionato, & ſufficienti, unde incumbentia onera ſuo officio annexa ſubire poſſit, & ex eis valeat ſuſtentari, ne ex inſufficientia horum redditum Clerici apti, & idonei recuſent, & minùs idonei inſtituantur cùm gravi diſcrimine animarum. Quæ conſtitutio obligat nedùm Clericos Sæculares, ſed etiam Religioſos ſive exemptos, ſive non exemptos: & tenet etiam quacumque conſuetudine non obſtante.

In 2. cap. quod incipit. *Licet Eccleſiarum*, ex eodem, ſtatuitur, quod ſi quæcumque beneficia Eccleſiaſtica vacent in Curia Romana, etiam ſi aliàs regulariter eorum collatio ſpectet ad Epiſcopum, vel ad Capitulum, vel ad quemvis alium, tamen quia vacant in Curia, ad ſolum Papam ſpectat de eis providere· dicuntur enim talia beneficia vacantia in Curia, affecta Sedi Apoſtolicæ. Verum tamen eſt, quod ſi Pâpa non conferat talia Beneficia infra menſem à die vacationis, poterunt conferri ab eo, ad quem aliàs regulariter ſpectat eorum collatio, & hoc ne Eccleſiæ maneant diù viduatæ. Quarè autem beneficia vacantia in Curia ſpectent ad Papam, eſt, quia de jure collatio omnium beneficiorum Eccleſiaſticorum ad Papam ſpectat; ipſe enim ſolus eſt vocatus, & inſtitutus in plenitudinem poteſtatis: conſuetudine tamen eſt introductum rationabiliter, ut beneficia vacan-

can-

cantia extra Curiam, non omnia conferantur à Papa, ſed ſolùm illa, quæ vacant in aliquibus menſibus anni, alia verò conferuntur ad Epiſcopo, vel Capitulo &c. Beneficia autem juris Patronatus conferuntur ab Epiſcopo ad præſentationem Patroni, ſi aliàs vacent extra Curiam. Quæ omnia vim habent ex conſuetudine, & permiſſione ipſius Papæ.

In 3. cap. quod incipit. *Statutum*, ex Gregorio X. in Concilio Generali Lugdunenſi, ſtatuitur id, quod in Capitulo præcedenti inſinuatum eſt; nempè, quòd ſi Papa beneficia vacantia in Curia non conferat infra menſem vacationis, Illi, ad quos collatio pertinebat, poterunt illa conferre, ſive per ſe, ſi ſint præſentes, ſive per eorum Vicarios Generales, conceſsâ eis legitimâ commiſſione, & authoritate, ſi ſint abſentes. Et hoc ne Eccleſiæ, ut dictum eſt, diù remaneant viduatæ.

In 4. cap. quod incipit. *Quamvis*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd ſi Papa mandet alicui Epiſcopo, ut provideat aliquem Clericum de redditibus Eccleſiaſticis pro ſuſtentatione ſuæ vitæ; hæc commiſſio non eſt extendenda ad penſionem, ſed ſolùm intelligenda de proviſione alicujus beneficii. Penſio enim eſt res odioſa, nec intelligenda, niſi à Papa exprimatur: ſi autem committat, ut talis Clericus provideatur de aliquo beneficio vacante, vel proximè vacaturo in Eccleſiis talis Civitatis, vel Diœceſis, talis commiſſio non eſt intelligenda de aliquo beneficio vacante, vel proximè vacaturo in Cathedrali, ſed tantùm in aliis Eccleſiis: quia licet in favorabilibus nomine Eccleſiarum, alicujus Civitatis veniat etiam Cathedralis, hæc tamen non venit in odioſis Literæ autem iſtæ ſic impetratæ à Papa ſunt odioſæ, & ambitioſæ; unde ſunt reſtringendæ, itaut non comprehendant Eccleſiam Cathedralem: ſecùs autem dicendum, ſi commiſſio eſſet, ut provideatur talis Clericus de beneficio vacante, vel proximè vacaturo in quacumque Eccleſia Provinciæ; tunc enim Metropolitanus teneretur ipſum de beneficio providere, non ſolùm vacante in inferioribus Eccleſiis, ſed etiam ſi vacet in Cathedrali, ſeu Metropolitanâ. Tunc enim haberur in literis clara intentio Papæ.

In 5. cap. quod incipit. *Cùm de Beneficio*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Papa mandet alicui Epiſcopo, ut provideat aliquem Clericum de beneficio Sæculari, poterit talis Epiſcopus talem Clericum providere de beneficio, quod aliàs ab antiquo erat Regulare, ſed poſtea per legitimam præſcriptionem 40. annorum fuit pacificè poſſeſſum per Clericos Sæculares, tale enim beneficium dicitur mutatum de Regulari in Sæculare. Si autem mandet prædicto Epiſcopo, ut illum provideat de aliquo Prioratu, non intelligitur, ut provideat eum de Prioratu Regulari, ſed de Sæculari, utpotè proportionato, & congruo ſuo ſtatui. Prioratus enim Regularis non eſt competens pro Clerico Sæculari, niſi à Pontifice hoc expreſsè demandetur.

In 6. cap. quod incipit. *Super eo*, ex eodem, ſtatuitur, quòd habere Perſonatum, cui ſit annexa cura animarum, vel habere præbendam, ad quam ſpectet Parochialis Eccleſia, non eſt contra id, quod ſtatutum eſt in Concilio Generali Lateranenſi, ſcilicet quòd nullus poſſit habere duo beneficia curata, nec Perſonatum, & aliud beneficium cum cura: hoc enim intelligitur, quando beneficia ſunt diſtincta, non quando unum beneficium, ut Perſonatus, ſeu Canonicatus eſt alteri annexum; tunc enim habentur per modum unius, & principale trahit ad ſe acceſſorium. Verum tamen eſt, quòd habens Perſonatum, vel Canonicatum, cui non ſit annexa cura Animarum, cùm non poſſit per ſe ipſum curam animarum adminiſtrare, tenebitur Vicarium perpetuum in tali Parochiâ inſtituere ad illius adminiſtrationem.

In 7. cap. quod incipit. *Eum cui*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in aſſecutione beneficii attendenda eſt potiùs prioritas datæ, ſeu collationis, quàm prioritas præſentationis, ſeu receptionis. Unde primus proviſus à Papa de Canonicatu in aliqua Eccleſia, licet fuerit poſterior alio in præſentatione, ſeu acceptatione, debet priùs provideri de præbendâ vacaturâ, ſi ille, qui primus ſe præſentavit, & fuit acceptatus, obtinuerit literas proviſionis

nis poſteriores: nàm collatio beneficii facta per Sedem Apoſtolicam habet ſuam vim ex data literarum; unde prior in data eſt potior jure.

In 8. cap. quod incipit. *Si pro Clericis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd literæ commiſſivæ impetratæ à Papa, quibus præcipitur alicui Epiſcopo, ut provideat aliquem Clericum pauperem de beneficio proximè vacaturo, etiam curato, valent, etiamſi talis Clericus nondùm ſit in Ordinibus Sacris conſtitutus; ſufficit enim ut poſſit promoveri ad Sacerdotium infra annum; ſecùs autem ſi tali Clerico deficeret ætas requiſita, ſcientia, vel morum honeſtas. In tali enim caſu literæ dicerentur ſubreptitiæ, ac proinde nullæ,

In 9. cap. quod incipit. *Si eum*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Proviſio alicujus beneficii, vel Canonicatus facta authoritate alterius, ſed de mandato ipſius Papæ, cenſetur facta authoritate Apoſtolica; unde debet prius exequi, quàm alia facta authoritate Ordinarii, vel alterius inferioris. Unde ſi detur caſus, quòd aliquis Clericus per literas Cardinalis Legati ſit proviſus de Canonicatu alicujus Eccleſiæ, & nolentibus Canonicis illius Eccleſiæ acceptare in Canonicum, iſte proviſus recurrat ad Papam, & Papa mandet, ut acceptetur juxtà tenorem literarum Cardinalis Legati, & acceptetur; in tali caſu dicitur iſte acceptatus authoritate Apoſtolica: unde ei debetur prima præbenda vacatura; etiamſi alii fuerint primò acceptati cùm expectatione præbendæ. Habet enim Privilegium anterioritatis in proviſione præbendæ, qui fuit proviſus authoritate Apoſtolica, etiamſi talis proviſio fuerit poſterior.

In 10. cap. quod incipit. *Mandato*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi mandatum Papæ de providendo alicui de beneficio primò vacaturo ſit expreſſum alternativè, ſcilicet mandamus tibi Epiſcopo &c. ut provideas talem de beneficio primò vacaturo, ſive ejus collatio ad te pertineat, ſive ad alium; talis erit providendus ab Epiſcopo de primo beneficio, quod vacabit, ſive ad ſe, ſive ad alium ſpectet. Si autem plura beneficia inſimul vacent, ſcilicet unum ſpectans quoad collationem Epiſcopo, aliud alteri, in tali caſu tenebitur Epiſcopus providere de beneficio, cujus collatio ad ſe ſpectat. Et ratio eſt, quia illâ alternativâ prius nominatur Epiſcopus, quàm alius: debet enim primò ſervari Ordo Scripturæ, unde qui primò eſt nominatus, debet primò exequi: ſecus ſi primò eſſet nominatus alius ab Epiſcopo.

In 11. cap. quod incipit. *Si Clericus*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Papa mandet Epiſcopo, aut Canonicis, ut aliquem Clericum provideant de præbenda aut vacante, aut primò vacaturâ, & deinde illum recipiant in Fratrem, & Canonicum: ſi talis Clericus fuerit negligens in petenda præfata præbenda, cùm vacaverit, gratia Papæ dicitur extincta, nec tenet, nedùm pro præbenda, ſed nec etiam pro Canonicatu, quia *iura non ſubveniunt negligentibus*. Si autem Papa mandet iſtum Clericum primò acceptari in Canonicum, & in Fratrem, & deinde provideri de præbenda vacatura; ſi iſte jam effectus Canonicus fuerit negligens in petenda primò vacante, poterit petere aliam præbendam poſtea vacaturam, ſi aliàs non ſit alius expectans præbendam de mandato Papæ. Et ratio diſparitatis eſt; quia iſte utpotè jam Canonicus habet eo ipſo jus ad præbendam, non tamen in præjudicium illius, qui expectat primam præbendam authoritate Sedis Apoſtolicæ.

In 12. cap. quod incipit. *Hi qui*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi ſint plures Canonici recepti cùm expectatione præbendæ vacaturæ hoc ordine. Primus fuit receptus, & acceptatus in Canonicum authoritate ordinaria Capituli. Secundus authoritate Cardinalis Legati in tali Provincia. Tertius poſt alios fuit receptus de mandato; & authoritate Sedis Apoſtolicæ, iſte tertius licèt aliis poſterior, vacante præbenda, debet de ea provideri, quia gratia Papæ eſt aliis præferenda, nec valet in hoc illa Regula: *Prior tempore eſt potior jure*; quia hæc intelligitur de jure ad rem, non de jure in re. Papa autem mandans dari Canonicatum, vel dans Canonicatum cùm præbenda

primò

primò vacaturâ; dat jus in re: unde taliter proviſus debet præferri aliis habentibus tantùm jus ad rem. Et idem dicitur de eo, qui recipitur in Canonicum ad inſtantiam Cardinalis Legati, ſed de mandato ſpeciali Papæ cùm expectatione primæ præbendæ vacaturæ: dicitur enim recipi authoritate Apoſtolica.

In 13. cap. quod incipit. *Si poſtquam*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi poſt Canonicatum alicui collatum à Papa cùm expectatione primæ præbendæ vacaturæ, Canonici illius Eccleſiæ hoc ignorantes, vacante Canonicatu, & præbendâ alium acceptarunt in Canonicum; illique neſcienti de gratia facta à Papa talem præbendam contulerunt, hæc collatio Canonicatus, & præbendæ non tenet: nàm eo ipſo quòd gratia ſit facta à Papa, ligantur manus inferiorum, ne ſcilicet poſſint providere alium. Unde jus collationis deſumitur à data literarum Apoſtolicarum; & ſi hæc eſt anterior, debet præferri, non obſtante, quòd poſterior ſit facta ignoranter: ignorantia enim non tollit vim literarum Apoſtolicarum, quando gratia eſt facta, & non tantùm facienda.

In 14. cap. quod incipit. *Dudùm*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in caſu, quo Papa conferat authoritatem ſuo Legato recipiendi authoritate Apoſtolica reſignationes Beneficiorum Legationis ſuæ liberè in ſuis manibus factas: & illa beneficia conferendi. Si Pontifex de prædicta facultate non habitâ mentione, alicui concesſerit de facto Canonicatum, & præbendam, vel vacantem, vel primò vacaturam in tali Legatione; & renunciante aliquo Canonico, Legatus ignorans gratiam factam à Papa alteri, talem Canonicatum, & præbendam contulerit alio; in tali caſu eſt præferenda gratia facta à Papa propter rationem jam dictam in capite ſuperiori.

In 15. cap. quod incipit. *Quia*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi aliquis impetravit à Papa præbendam primò vacaturam in aliqua Eccleſia; alius autem impetravit in eadem Eccleſia Perſonatum, dignitatem, aut officium, quod primò vacabit; iſte eſt præferendus priori in poſſeſſione præbendæ, ſi hæc ſit annexa Perſonatui, dignitati, aut officio, ad quod iſte ſecundus promovetur ex vi literarum Apoſtolicarum: ſecùs autem ſi talis præbenda vacans non ſit annexa præfato officio: tunc enim præbenda eſt conferenda primo proviſo. Prior enim eſt potior jure cœteris paribus.

In 16. cap. quod incipit. *Cùm in illis*, ex eodem, ſtatuitur. Primò quòd mandatum Papæ factum in favorem alicujus Clerici, ut provideâtur ab Epiſcopo de dignitate; aut alio beneficio Eccleſiaſtico in aliqua Eccleſia vacaturo, non includit beneficium euratum, niſi in tali mandato exprimatur: ratio eſt, quia ad beneficia curata requiritur major idoneitas. Statuitur ſecundò, quòd mandatum Papæ factum in favorem alicujus Clerici, ut provideatur ab Epiſcopo de aliquo beneficio, vel dignitate primò vacaturâ in aliqua Eccleſia, non ſe extendit ad beneficium, vel dignitatem, quæ ex conſuetudine ſolet conferri per electionem, aut præſentationem: non enim intendit Papa per tale Reſcriptum præjudicare electioni, aut præſentationi, aliàs requiſitæ in tali proviſione: ſimiliter non ſe extendit ad beneficium, cujus collatio ſpectat ad ſolum Epiſcopum, ſi in mandato exprimatur, quòd provideatur de beneficio, cujus collatio ſpectat ad Epiſcopum, & Capitulum, Copulativa enim utrumque requirit; ſecùs ſi exprimeretur diſijunctivè per particulam *vel*. Tertiò ſtatuitur, quòd mandatum factum in favorem alicujus Clerici, ut provideatur de beneficio vacaturo, etiamſi ejus proviſio ſpectet ad electionem, non extenditur ad beneficium, cujus proviſio ſpectat ad Præſentationem: diverſi enim ſunt modi, quibus beneficia conferuntur, ſcilicet ſimplex collatio, electio, præſentatio, & inſtitutio; & ſi Papa in ſuo mandato exprimat unum, vel alterum ex his modis, alii non ſubintelliguntur; in his enim utpotè odioſis, non debet fieri extenſio, niſi quantùm verba expreſsè patiuntur. Tandem ſtatuitur, quòd mandatum Papæ factum in favorem alicujus Clerici, ut provideatur ab Epiſcopo de beneficio primò vacaturo, cujus collatio ſpe-

ſpectat ad Decanum,& Capitulum, extenditur ad Beneficium, cujus collatio ſpectat ſolùm ad Decanum, & non ad Capitulum, niſi fortè in mandato addatur Clauſula, *Communiter*, *vel diviſim* : tunc enim valeret, etiam ſi collatio ſpectaret ſolùm ad Decanum. Similiter è contra, ſcilicet ſi mandatum exprimat unam perſonam, & collatio ſpectet non tantùm ad illam, ſed etiam ſimul ad aliam. Quia in his eſt facienda ſtricta interpretatio, non extendenda, cùm ſint odioſa, ut dictum eſt.

In 17. cap. quod incipit. *Si tibi*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Epiſcopus Beneficium contulerit alicui Clerico abſenti, non poterit illud Beneficium alteri Clerico conferre abſquè conſenſu primi, qui debebit compelli à tali Epiſcopo, aſſignato ei termino competenti, ad acceptandum, vel recuſandum; tranſacto autèm termino, Epiſcopus poterit Beneficium dare alteri,cùm præſumatur, alium renunciaſſe: poterit tamen primus proviſus, etiàm tranſacto termino, præbere conſenſum ſecundæ collationi, ut renunciatio ſit magis manifeſta.

In 18. cap. quod incipit. *Eum qui*, ex eodem ſtatuitur, quòd qui violenter, vel injuſtè occupat ſecundum Beneficium Curatum, aut duas dignitates, aut Perſonatus, eo ipſo privatus eſt primo; non enim utrumque poteſt poſſidere abſque ſpeciali diſpenſatione Papæ, ſi autèm quis violenter, & injuſtè Beneficium aliquod occupet per intruſionem, eſt ipſo jure privatus omni jure, quod in illo, vel ad illud poteſt prætendere ſe habere: nulli enim fraus, & violentia poſſunt patrocinari.

In 19. cap. quod incipit. *Is cui*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Papa concedat literas alicui Prælato, vel Rectori Eccleſiæ, ut conferat Beneficium vacans, vel vacaturum in tali Eccleſiâ perſonæ idoneæ; non per hoc poterit tale Beneficium conferre perſonæ habenti aliud Beneficium ſufficiens, niſi talis perſona dimittat tale Beneficium primum. Si autem Papa in hujuſmodi literis exprimat, ut poſſit tale Beneficium conferre perſonæ idoneæ etiàm habenti aliud Beneficium, hoc non intelligitur de habente Beneficium curatum, quià ad hoc requiritur expreſſa mentio de eo, ſed de Beneficio tantùm ſimplici. Si autèm in hujuſmodi literis concedatur, ut tale Beneficium poſſit conferre habenti plura Beneficia; hoc eſt intelligendum de habente duo Beneficia ſimplicia: Cum enim pluralitas Beneficiorum ſit contrà Ius commune, in hujuſmodi gratiis facienda eſt ſtricta interpretatio. Pluralis autèm locutio duorum nomine eſt contenta; undè non debet extendi ad habentem tria Beneficia.

In 20. cap. quod incipit. *Si Beneficia*, ex eodem ſtatuitur, quòd quando quis ignorans, & bonâ fide recipit Beneficium priùs reſervatum, vel collatum alteri à Papa; ſi ex quo ſcivit, illud ſinè difficultate dimittit, poterit recuperare priora Beneficia, quæ dimiſit ad effectum recipiendi, & poſſidendi Beneficium illi noviter collatum. Si autem non ſtatim dimittat, ſed temerariè contenderit, nec illud, nec priora Beneficia jam dimiſſa poterit recuperare, & hoc in pœnam ſuæ temeritatis.

In 21. cap. quod incipit. *Non poteſt*, ex eodem ſtatuitur, quòd habens aliquod Beneficium, etiamſi ſit modicum, ſi obtineat à Papa aliud Beneficium, talis collatio nulla eſt, niſi in ſupplicatione expreſſerit, ſe aliud Beneficium habere, licèt tenue, & pauci valoris. Obtinens autem à Papa diſpenſationem, ut poſſit acceptare, & retinere duo Beneficia etiam curata, ſi poſtquam ea obtinuit, unum dimittat, non poteſt aliud Beneficium curatum acceptare, & retinere, quià gratia diſpenſationis obtentæ expiravit per acceptationem primorum duorum Beneficiorum;undè non poteſt extendi ad aliud. Similiter ſi proviſio facta ſit alicui de Beneficio, non obſtante, quòd aliud Beneficium habeat, non per hoc intelligitur talis diſpenſatus, ut utrumque poſſit retinere, niſi hoc à Papa exprimatur; ſed ſolùm quòd poſſit ſecundùm Beneficium acceptare, dimiſſo tamen primo. Ratio horum dictorum eſt, quià pluralitas Beneficiorum cùm ſit contrà jus commune, & diſpenſatio ad habenda plura Beneficia ſit odioſa, eſt ſtrictè interpretanda, nec aliquo modo extendenda ultra proprietatem

tem verborum expreſſorum in literis diſpenſationis.

In 22. cap. quod incipit. *Si Apoſtolica Sedis*, ex eodem ſtatuitur, quòd mandatum Cardinalis Legati factum alicui Epiſcopo, aut Capitulo ſuæ Provinciæ, ut aliquem Clericum provideant de Beneficio vacante, vel vacaturo, ſi per Papam confirmetur, gratia eſt cenſenda Papalis, quià per talem confirmationem acquirit novum, & majus robur; undè tamquam gratia Papalis eſt aliis præferenda; & talitèr proviſus debet obtinere primam Præbendam, vel vacantem, ſi ſit, vel ſaltèm primò vacaturam. Hoc enim eſt Privilegium gratiæ Papalis in proviſionibus.

In 23. cap. quod incipit. *Si motu proprio*, ex eodem ſtatuitur, quòd Collatio Beneficii facta per Papam motu proprio alicui habenti aliud Beneficium, hoc Beneficio in literis non expreſſo, non per hoc dicitur ſubreptitia, & invalida, quià talis collatio conceditur ex mera liberalitate Papæ, cui non obſtat pluralitas Beneficiorum: secùs ſi talis collatio fieret ad petitionem illius, vel alterius prò ipſo; tunc enim taciturnitas Beneficii quantumvis modici, quod obtinet, reddit gratiam invalidam, & ſubreptitiam. Tunc autem cenſetur proviſio facta motu proprio, cùm in literis Papalibus hoc expreſsè habetur.

In 24. cap. quod incipit. *Si pluribus*, ex eodem ſtatuitur, quòd in caſu, quo in aliqua Eccleſia vacent plura Beneficia ſimul, & Papa mandet Epiſcopo illius loci motu proprio, ut provideat aliquem Clericum de aliquo ex illis Beneficiis, intelligitur, quòd provideat illum de pinguiori. Si autèm mandatum Papæ ſit non motu proprio, ſed ad petitionem Clerici, vel alteriùs prò illo, tùnc Epiſcopus poterit providere talem Clericum de Beneficio minori, & inferiori. Si autèm omnia illa Beneficia eſſent æqualia, poterit Epiſcopus alios providere primùm, deindè ultimò Clericum, qui obtinuit literas Papæ: ad differentiam tamen illius, qui motu proprio Papæ habet mandatum, ut provideatur de illis Beneficiis ſimul vacantibus, quia ſi eſſent æqualia, pertinebit ad Clericum motu proprio commendatum eligere unum ex illis, quod voluerit. Sufficit enim de alio Clerico, qui obtinuit literas non motu proprio, quòd verificentur literæ Papales, ſcilicet ut talis Clericus ſit proviſus de Beneficio etiàm tenui, quod non ſufficeret, ſi eſſet mandatum Papæ cùm clauſula, motu proprio: tunc enim deberet provideri ab Epiſcopo de pinguiori.

In 25. cap. quod incipit. *Cùm in Eccleſia*, ex eodem ſtatuitur, quòd in caſu quòd ſit conſuetudo in aliquâ Cathedrali, ut Epiſcopus gaudeat unâ Præbendâ Canonicali, Clericus, qui obtinuit mandatum à Papa ad Capitulum illius Eccleſiæ, ut ipſe provideatur de primo Canonicatu, vel Præbendâ vacaturâ, iſte non poterit provideri de Canonicatu, & Præbendâ vacante per mortem Epiſcopi: nàm non ſupponitur, Papam voluiſſe præjudicare Epiſcopo Succeſſori, cui debetur talis Canonicatus, & Præbenda ex vi conſuetudinis legitimè præſcriptæ in tali loco.

In 26. cap. quod incipit. *Si tibi*, ex eodem ſtatuitur, quòd quis poteſt provideri de ſuo Beneficio curato, abſque eo quòd dimittat primum Beneficium curatum, ſi fructus ſecundi Beneficii curati alteri debentur, puta Epiſcopo pro ſolutione debitorum, vel pro fabrica Eccleſiæ: nam Clericus non participans fructus Beneficii non videtur Beneficium plenè, & perfectè poſſidere; unde in noſtro caſu iſte non tenetur primum Beneficium curatum dimittere, quouſque non incipit percipere fructus ſecundi Beneficii.

In 27. cap. quod incipit. *Cui de non*, ex eodem ſtatuitur, quòd cum Papa mandat alicui Epiſcopo, ut provideat alicui Clerico de aliqua Præbenda vel vacante, vel vacaturâ, dummodo non ſit Præbenda Sacerdotalis, vel dimidia, aut tanti valoris; in tali caſu Clericus eſt providendus de Præbenda inferiori, etiamſi talis Clericus ſit capax Præbendæ majoris; debet enim in tali proviſione attendi, & exequi mandatum Papæ, non obſtante habilitate prætendentis.

In 28. cap. quod incipit. *Licèt Epiſcopus*,

ſtopus, ex eodem ſtatuitur, quòd in caſu, quo quis effectualiter acceptet, & ſumat poſſeſſionem ſecundi Beneficii curati, primum conſimile poterit ab Epiſcopo conferri alteri, irrequiſito primo poſſeſſore, cùm ex acquiſitione ſecundi Beneficii curati vacet primum, non autem poſſeſſio hujus ſecundi Beneficii curati alteri dari poteſt, irrequiſito primo poſſeſſore: hic enim eſt citandus, & audiendus, ſi aliquid vellet opponere pro manutentione ſuæ poſſeſſionis.

In 29. cap. quod incipit. *Ei cui*, ex eodem ſtatuitur, quòd per ſimplex mandatum Papæ factum Epiſcopo, ut provideat talem Clericum de Præbendâ primò vacaturâ, non intelligitur, ut ipſum provideat de Præbenda Sacerdotali, ſi talis Clericus non ſit in ætate, ut poſſit quàmprimùm promoveri ad Sacerdotium, gratia enim facta à Papa eſt intelligenda ſuppoſitâ habilitate impetrantis.

In 30. cap. quod incipit. *Si Pauper*, ex eodem ſtatuitur, quòd Clericus pauper, qui obtinuit à Papa mandatum alicui Epiſcopo, ut provideretur de aliquo Beneficio juxta ſuæ neceſſitatis, & probitatis merita, ſi interim antequàm fuerit proviſus, aſſequutus fuerit aliquod Beneficium, eidem Epiſcopus non tenebitur providere, cùm ceſſet cauſa mandati: ceſſante enim cauſa, ceſſat effectus.

In 31. cap. quod incipit. *Si à Sede Apoſtolica*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi idem Beneficium à Sede Apoſtolica fuerit pluribus collatum, & non conſtet de prioritate, ſcilicet cui primò collatum fuerit, erit præferendus, qui primò poſſeſſionem accepit: nam prior tempore eſt potior jure. Si autem nullus poſſeſſionem ſumpſit, erit præferendus qui majori gaudet prærogativâ, habilitate, & merito, utpote cœteris dignior.

In 32. cap. quod incipit. *Cum ſingula* ex eodem ſtatuitur, quòd Religioſus habens Prioratum, ſeu Gubernium alicujus Monaſterii in ſua Religione, vel Curam animarum, ſi alium Prioratum, vel aliam Curam recipiat ſine expreſsa licentia Papæ, tenebitur ſtatim primum Prioratum, vel primum Beneficium curatum dimittere; quòd ſi hoc non fecerit, afficietur ineligibilis, & utroque privabitur: eſt enim contra jus commune, retinere duos Prioratus, vel duo Beneficia curata, ut dictum eſt. 2. ſtatuitur, quòd adminiſtrationes, vel Beneficia alicujus Monaſterii ſolita ex legitima conſuetudine, & præſcriptione conferri Monachis illius Monaſterii, non debent conferri Monachis alterius Monaſterii ſub pœna conferenti, quòd careat illa vice jure conferendi, & acceptantibus, ut ſint ineligibiles ipſo jure, nec tenet collatio ſibi de talibus Beneficiis facta. In quo caſu talis proviſio ſpectabit ad Ordinarium, loquendo de Monaſteriis non exemptis, loquendo verò de exemptis, ſpectabit pro illa vice ad Sedem Apoſtolicam, cui Monaſteria illa ſunt immediatè ſubjecta.

In 33. cap. quod incipit. *Cum in Eccleſiis*, ex eodem ſtatuitur, quòd in electionibus, vel collationibus Præbendarum, quæ fieri ſolent in Capitulo à Canonicis alicujus Eccleſiæ, ſi fiant tantùm per præſentes, non vocatis, nec expectatis aliquibus Canonicis abſentibus, qui commodè vocari poterunt, & expectari, tales electiones, vel collationes factæ, poſſunt à Judice Ordinario irritari ad inſtantiam illorum Canonicorum, qui vocati non fuerunt, agendo de contemptu. Quod verum eſt, niſi in tali Eccleſia, vel Capitulo non fuerit legitima conſuetudo, ut tales electiones, vel collationes fiant tantùm à præſentibus, abſentibus non vocatis, nec expectatis: in tali enim caſu, qui fuerunt abſentes, non poterunt reclamare.

In 34. cap. quod incipit. *Præſenti*, ex eodem ſtatuitur, quòd illa Conſtitutio Clementis III. ſupra allata cap. *Licèt*, ex eodem titulo de Beneficiis vacantibus in Curia per mortem ibi exiſtentium, quorum collatio ſpectat ad Papam, intelligenda eſt non ſolùm de morientibus effectivè in eâdem Civitate, ubi eſt Curia Romana, ſed etiam de Curialibus morientibus in locis proximis Curiæ Romanæ infra duas diætas, ſcilicet 40. milliaria; ſi tales aliàs habitantes in Curia ibi acceſſerint peregrinationis, infirmitatis, aut recreationis causâ, ſeu aliâ quavis occaſione, & in præfato loco Curiæ vicino

ꝛ o moriantur; eorum Beneficia dicuntur vacaſſe in Curia, dummodo tamen tales ibi domos proprias, vel domicilia non habuerint. In tali enim caſu eorum Beneficia non dicuntur vacare in Curia; ſicut etiam non dicuntur vacare in Curia Beneficia illius, qui in loco, ubi degit Curia, ſuæ originis domum habens, in ea diem claudit extremum; dummodò tamen Curialis non fuerit, & ibidem occaſioneCuriæ non fuerit moratus. In caſu autem quòd Curia transferatur de loco ad locum, præfata conſtitutio non ſolùm compræhendit eos, qui Curiam ſequuntur, & in itinere decedunt, ſed etiam eos, qui remanentes infirmi in priori loco ubi erat Curia, ibidem eâdem infirmitate moriuntur, eſto valdè remoti à Curia.

In cap. 35. quod incipit. *Si Apoſtolica Sede*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Sede vacante per mortem Papæ aliqua Eccleſia Parochialis in Curia vacaverit, ejus proviſio non eſt differenda ad Papam, ſed erit facienda per eos, ad quos ſpectat, ac ſi in Curia non vacaſſet; & hoc nè ipſius vacatio diutina, ſit in præjudicium animarum. Et hoc intelligitur etiam de Parochialibus Eccleſiis, quæ vacaverunt in Curia, ſed à Pontifice morte prævento non fuerunt proviſæ, quibus erit providendum ab iis, ad quos ſpectat propter eamdem rationem.

In 36. cap. quod incipit. *Si cui*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi à Papa concedatur alicui gratia, ut ſcilicet poſſit providere aliquibus Perſonis idoneis de Beneficiis ad Sedem Apoſtolicam ſpectantibus vacaturis in aliqua Eccleſia, perſonis tamen non expreſſis; talis gratia, etiam re integrâ, non expirat per mortem concedentis: ſecus ſi Perſonæ eſſent expreſſæ. Et ratio diſcriminis eſt, quia in primo caſu gratia dicitur facta ei, cui Papa concedit talem facultatem intuitu ſuæ propriæ Perſonæ, & qualitatis: in ſecundo autem caſu gratia non eſt facta, ſed facienda intuitu Perſonarum, quæ nominantur in mandato, ut provideantur; unde prima dicitur gratia, ſecunda dicitur mandatum. Mandatum autem expirat per mortem mandantis. Gratia autem facta à Principe non expirat per mortem Principis.

In 37. cap. quod incipit. *Si Epiſcopus*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi aliquis Epiſcopus dedit facultatem alteri Epiſcopo, ut promoveat ad Ordines aliquos Clericos ſuæ Diœceſis, dando illis literas dimiſſoriales, & tales Clerici promoventur ad Ordines Sacros ab illo Epiſcopo abſque legitimo titulo Patrimonii, vel Beneficii, tenebitur Epiſcopus proprius, qui commiſit alteri Epiſcopo Ordinationem, providere prædictis Clericis ſic ordinatis de ſuſtentatione, quouſque provideantur de Beneficio; ſi aliàs in commiſſione Ordinationis fuerunt expreſſæ Perſonæ ordinandæ: ſecus ſi non fuerunt expreſſæ, ſed fuit conceſſa licentia abſoluta; tunc talis proviſio ſpectabit ad Epiſcopum ordinantem, qui tenebatur inquirere de titulo. Hodie tamen ſpectat ad Epiſcopum proprium inquirere de titulo, antequàm concedat literas dimiſſoriales, ut ab alio Epiſcopo poſſit ordinari.

In 38. cap. quod incipit. *Quamvis* ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Papa primo loco concedat alicui Epiſcopo, ut conferat Beneficia ipſi Papæ devoluta, vel ad ipſum ſpectantia; & deinde aliquod ex his Beneficiis ipſe Papa vel conferat, vel mandet conferri certæ perſonæ; hæc collatio, ſive mandatum debet primò habere effectum, quia generi per ſpeciem derogatur.

In 39. cap. quod incipit. *Si tibi*, ex eodem ſtatuitur, quòd licèt per mortem Papæ, qui conceſſit gratiam, non extinguatur gratia etiam re exiſtente integrâ, poſſunt tamen omnes gratiæ factæ ab Anteceſſore revocari per Succeſſorem. Talis autem revocatio tollit ea, quæ ſunt in fieri, ſcilicet ea, quæ non habuerunt effectum, nec fuit acquiſitum jus in re; non autem ea, quæ ex jure ſunt eis annexa: undè qui obtinuit à Papa Canonicatum cum expectatione Præbendæ primò vacaturæ, quæ debetur ſimplici Canonico, per Succeſſorem revocantem gratias factas ab Anteceſſore, non extinguitur in eo, nec gratia Canonicatus jam adepti, nec gratia expectativæ Præbendæ ſibi debitæ: ſecus ſi eſſet gratia Canoni-

catus, & dignitatis in tali Eccleſia; unum enim eſt ſeparatum ab alio: unde ſecundum extinguitur, primo remanente jam acquiſito.

In 40. cap. quod incipit. *Quodam*, ex eodem ſtatuitur, quòd in caſu, quo revocarentur à Papa Succeſſore gratiæ factæ ab Anteceſſore, corruunt gratiæ expectativæ, quæ nondùm habuerunt ſuum effectum, etiamſi fuerint factæ cùm clauſula irritante, vel cùm clauſula, quòd debeat omnibus aliis præferri: undè nec ignorantia revocationis excuſat, ſed habitâ notitiâ revocationis factæ ante executionem gratiæ, tenetur cedere, & renuntiare, cùm gratia ſit revocata, & non ſubſiſtat.

In 41. cap. quod incipit. *Mandatum*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi Papa mandet, aliquem Clericum provideri de Beneficio vacante, vel proximè vacaturo ad collationem Capituli pertinente in aliqua Eccleſia; ſi vacet Beneficium, cujus collatio ſpectat non ad Capitulum, ſcilicet communiter, ſed ad unum tantùm ſingularem Canonicum ratione ſuæ propriæ Præbendæ, tale Beneficium non compræhenditur ſub gratia facta à Papa; quia Papa intendit de Beneficio, cujus collatio ſpectat ad Capitulum; ſecus autem ſi illud Beneficium conferretur ab illo Canonico nomine Capituli, ut moris eſt in aliquibus Capitulis, ut Beneficia vacantia conferantur, non communiter ab omnibus, ſed diviſim, ſcilicet unâ hebdomadâ pro quolibet. Tunc enim diceretur talis Canonicus conferre Beneficium nomine Capituli: unde tale Beneficium comprehenderetur ſub gratia facta à Papa.

TITULUS V.

De Clerico ægrotante, vel debilitato, unico cap. compræhenſus.

Dictum eſt de Clericis non reſidentibus, & de Præbendis eiſdem non conferendis; ſed quia dubitari poteſt de ægrotantibus, & debilitatis, ideò ponitur præſens Titulus. Agitur de hac materia in Decretalibus tit. 6. lib. 3.

In hoc ergo cap. quod incipit. *Paſtoralis*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd dare, vel inſtituere aliquem in Coadiutorem Epiſcopi, vel Archiepiſcopi &c. cùm ſit de cauſis majoribus Papæ reſervatis, ſpectat ad Sedem Apoſtolicam: undè in caſu, quo aliquis Epiſcopus ſit ſenio confectus, aut perpetuâ infirmitate impeditus, ut non poſſit ſuum exercere officium, poterit de conſenſu ſui Capituli, aut majoris partis eorum, de licentia Papæ unum, vel duos ſibi eligere Coadiutores ad ſupplendum in Miniſterio Epiſcopi impediti. Si autèm Epiſcopus inciderit in amentiam, nec ſuum poſſit, aut velit præſtare conſenſum, tenebitur Capitulum, aut duo ex tribus partibus Capituli recurrere ad Sedem Apoſtolicam, ipſi repræſentando indigentiam Coadiutoris; & tùnc ſpectabit ad Papam ipſum dare. Coadiutores autem providebuntur ſufficientèr ex redditibus ipſorum Prælatorum, quorum ſunt Coadiutores.

TITULUS VI.

De Inſtitutionibus, in duo cap. diſtinctus.

Dictum eſt ſuprà de Præbendis, & dignitatibus; ſed quià poſſet dubitari, ad quos ſpectet Præbendas, & dignitates Eccleſiaſticas conferre, ſeu aliquos in talibus Præbendis, ſeu dignitatibus inſtituere; ideò in præſenti agitur de inſtitutionibus, ſeu collationibus Beneficiorum, ſeu Præbendarum, ſumptâ inſtitutione communiter, prout compræhendit quamcumque collationem Beneficiorum, ſeu Præbendarum.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 3. Titulo 7.

In 1. cap. quod incipit. *Et ſi Capitulum*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd licèt, Sede Epiſcopali vacante, Capitulum, ſeu Vicarius Capitularis non poſſit conferre Beneficia, quæ vacaverint tali tempore, quorum collatio pertinet ad Epiſcopum; unde reſervari debent ad Epiſcopum, cùm Sedes Epiſcopalis fuerit pro-

proviſa: tamen poteſt Capitulum, ſeu Vicarius Capitularis canonicè ſtatuere eos in Beneficiis, quorum collatio, ſeu potius præſentatio ſpectat ad Patronos; quia aliud eſt inſtituere jam præſentatos ad Beneficia; aliud Beneficia conferre. Hoc ſecundum majorem requirit Juriſdictionem, quàm primum; unde Capitulum, Sede vacante poteſt primum, non ſecundum.

In 2. cap. quod incipit. *Si is*, ex eodem ſtatuitur, quòd non eſt repellendus à Beneficio Curato Clericus præſentatus à Patrono Beneficii; etiamſi talis Clericus adhuc non ſit promotus ad Sacerdotium, dummodò aliàs ſit idoneus moribus, & literis ad tale Beneficium, & poſſit infra annum adSacerdotium promoveri. Jura enim concedunt hujuſmodi tempus.

TITULUS VII.

De Conceſſione Præbendæ, & Eccleſiæ non vacantis in 8. *cap. diſtinctus.*

Viſum eſt ſupra de Præbendis, & Beneficiis, & de eorum Inſtitutionibus, ſeu Collationibus: ſed quia aliquando contingit per SedemApoſtolicam conferri Præbendas, & Beneficia adhuc non vacantia, ſed vacatura; quærendum eſt de iſtis, quæ ſit eorum collatio, & quid juris acquirat proviſus per talem expectationem.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 3. Tit. 8.

In 1. cap. quod incipit. *Quia cunctis*, ex Innocentio IV. ſtatuitur, quòd ſi Papa mandet Epiſcopo, aut Capitulo, aliquem Clericum provideri de dignitate vacaturâ, quam talis Clericus duxerit acceptandam, & interim vacet Dignitas, quam Ordinarius alteri confert, antequàm prædictus Clericus ex vi literarum Apoſtolicarum eam acceptet; in tali caſu valet collatio dignitatis facta ab Ordinario alteri, quia ut ille Clericus in cujus favorem erant literæ Apoſtolicæ, deberet præferri, & poſſet collationem factam ab Epiſcopo irritare, erat neceſſe, ut ipſe primò acceptaſſet dignitatem ſtatim vacantem, antequàm ab Epiſcopo fuiſſet collata alteri. Et ratio eſt, quia præfata gratia facta à Papa, ut quis provideretur de Beneficio vacaturo, quod ille duxerit acceptandum, non tollit poteſtatem, Beneficium alteri conferendi, niſi poſt acceptationem ejus, in cujus favorem ſunt datæ literæ Apoſtolicæ. Si ergo acceptatio non præmittitur collationi factæ ab Epiſcopo alteri, tenet collatio; quia gratia facta à Papa eſt potiùs facienda, quàm facta, quia requirit acceptationem ad arbitrium proviſi.

In 2. cap. quod incipit. *Deteſtanda*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd Beneficium vacaturum non poteſt promitti ſub quacumque forma verborum: eſſet enim talis proviſio aliquo modo inductiva ad deſiderandam mortem Proximi, quod peccatum eſt; & ſi fiat talis promiſſio, non tenet, nec eſt obligatoria, nec promittens poteſt conveniri in Judicio à Promiſſario. Eſt enim promiſſio de re periculosâ, & inductivâ ad peccatum, unde reprobata exiſtit à Jure Canonico.

In 3. cap. quod incipit. *Ne captanda* ex eodem ſtatuitur, quòd Clericus, qui obtinuit à Papa mandatum, ut provideatur de aliquo Beneficio, dignitate, aût Præbendâ vacaturâ in aliqua Eccleſia, quod Beneficium, dignitas, aut Præbenda ſibi bene viſa fuerit, vèl eam duxerit acceptandam, non poteſt acceptare aliquam determinatam, antequàm vacet: eſſet enim nulla talis acceptatio; poterit tamen acceptare primamPrębendam vacaturam, aût Beneficium, vèl dignitatem, quæ vacatura eſt. Et ex juſta cauſa poterit, prætermiſſo primo beneficio vacaturo, accipere ſecundum, aut tertium vacaturum. Et ratio eſt, quià acceptare in particulari Beneficium, aut dignitatem actu non vacantem, eſt inductivum ad optandam mortem ejus, qui tale Beneficium, aut dignitatem poſſidet; ſecùs autem acceptare primum, vel ſecundum, aut tertium quod vacabit; hoc enim eſt incertum, nèc mors alicui in particulari deſideratur.

In 4. cap. quod incipit *Executor*, ex eodem ſtatuitur, quòd Executor deputa-

tus

tus à Papa ſupèr alicujus proviſione faciendâ ſibi in certa Provincia de Beneficio vacaturo, non poteſt abſquè ſpeciali mandato Sedis Apoſtolicæ Prælatis, ad quos Beneficiorum ſpectat collatio, facere inhibitionem generalem, ſcilicet donec fuerit proviſum illi, prò quo ſcribitur: Inhibitionem autem ſpecialem facere poteſt de primo, ſecundo, vel tertio Beneficio vacaturo; & ſi fieret collatio contrà talem inhibitionem, eſſet nulla ipſo jure. Et ratio eſt, quià ſpectat ad eum, in cujus favorem factæ ſunt literæ Apoſtolicæ, ſe determinare ad aliquod Beneficium vacaturũ, non quidèm particulare, ſcilicèt ad tale Beneficium; hoc enìm non eſt licitũ, ſed in confuſo ſcilicet ad Beneficium primò vacaturum, vel ad primò ſecundò vacaturum, vel ad tertiò vacaturum. Sicque tali ſuppoſitâ determinatione poterit Executor inhibere, ne tale Beneficium primò, vèl ſecundò, vel tertiò vacaturum poſſint conferre illi, ad quos aliàs eorum ſpectaret collatio.

In 5. cap., quod incipit *Si Capitulo*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Papa mandet Capitulo alicujus Eccleſiæ, ut aliquem Clericum provideat de primo Canonicatu vacaturo, & primâ præbendâ, cujus collatio ad ipſos ſpectat, & aſſignaverit Executorem prò executione talis gratiæ, eo ipſo quòd Executor, vel ipſemet proviſus præſentaverit, & notificaverit Capitulo hujuſmodi literas Papæ, talis Canonicatus primò vacaturus cùm ſua Præbenda ſpectabunt ad hujuſmodi Clericum; etiamſi ab Executore non ſint factæ inhibitiones, vel proteſtationes &c. ſufficit enìm ſimplex præſentatio literarum Papæ, ut gratia habeat ſuum effectum.

In 6. cap., quod incipit *Si Soli*, ex eodem, ſtatuitur, quòd quando Papa mandat alicui Epiſcopo, aut Capitulo, ut provideant talem Clericum de Canonicatu, & Præbendâ primò vacaturâ, ad hoc ut talis Canonicatus, & Præbenda primò vacatura dicatur affecta tali Clerico, itàut alteri conferri non poſſit, neceſſe eſt, ut in literis Apoſtolicis ſit Decretum irritans, ſcilicet *etſi aliàs factum fuerit, totum ſit irritum, & inane*: aut eſt neceſſe, quòd Executor datus à Papa ad compellendum prò executione talis gratiæ, non ſolùm præſentet, & notificet literas Apoſtolicas Epiſcopo, aut Capitulo, ſed ultrà requiritur, quòd vigore ſuæ poteſtatis ipſi datæ à Papa faciat inhibitionem pro primo Canonicatu, aut Præbendâ vacaturâ cum decreto irritante, *& ſi aliàs factum fuerit &c.* vel tandem eſt neceſſe, quòd quì gratiam recepit à Papa, jàm ſit receptus in Fratrem, & Canonicum. Ex vi enìm talis receptionis in Canonicum, prima Præbenda vacatura dicitur illi affecta, itaut alteri conferri non poſſit; & ſi conferatur alteri, nulla erit talis Collatio. In his tribus caſibus primus Canonicatus, vel Præbenda primò vacatura dicuntur affecta Clerico, in cujus favorem Papa ſcripſit Epiſcopo, vel Capitulo, ut provideretur de primo Canonicatu, vel Præbendâ primò vacaturâ, talitèr quod alteri non poſſit conferri.

In 7. cap., quod incipit. *Authoritate*. ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi in aliqua Eccleſia ſint tres, qui obtinuerunt literas Apoſtolicas prò aliquo Canonicatu, & Præbenda primò vacatura; hoc tamèn ordine. Primus obtinuit tales literas à Papa anteceſſore. Secundus obtinuit à Papa regnante, ſeu præſente. Tertius obtinuit ab eodem regnante, cùm hac tamèn ſpeciali prærogativa, ut iſte præferatur alijs, qui literas ſimiles obtinuerunt à Prædeceſſoribus ſuis, non autèm à ſe ipſo. Vacante Canonicatu, & Prebendâ debet conferri ſecundo, qui primò obtinuit literas à Papa regnante: Deinde vacante alio Canonicatu, & Præbenda debet conferri tertio, quia iſte eſt præferendus primo, quià ab Anteceſſore obtinuit literas: Si tandèm vacet alius Canonicatus, & Præbenda, iſte erit providendus. Ratio eſt, quià licèt prior tempore ſit potior jure; tamèn in literis Apoſtolicis videndum eſt, àn ſit aliquod ſpeciale Privilegium derogans juri communi; in quo caſu Executor debet conformari gratiæ factæ a Papa.

In 8. cap., quod incipit *Quoniam*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Conſtitutiones revocatoriæ gratiarum, quæ factæ ſunt a Pontificibus Prædeceſſoribus, debent intelligi, quòd revocant gratias non ad quas

quis

quis habet jus in re, ſed ſolùm illas, ad quas quis habet ſuum jus ad rem: undè Clericus, qui obtinuit à Papa Anteceſſore mandatum, ut provideatur de Canonicatu, & de Præbendâ primò vacaturâ, ſi ſit acceptatus in Canonicum cùm expectatione Præbendæ primò vacaturæ. Si interim moriatur Papa. & ſucceſſor revocet omnes gratias factas ab Anteceſſore, iſte Clericus remanet Canonicus cùm diſtributionibus quotidianis, ſed abſquè expectatione primæ Præbendæ vacaturæ; ſi aliàs talis Præbenda non eſſet annexa ſuo Canonicatui, aut de tali Præbenda omnes Canonici prò rata participarent: nàm in tali caſu cum jàm ſit in poſſeſſione Canonicatus, debet participare cum aliis; acceſſorium enìm ſequitur naturam principalis.

TITULUS VIII.

Ne Sede vacante aliquid innovetur, unico Cap. comprehenſus.

DIctum eſt in præcedentibus Titulis de Inſtitutionibus, & Collationibus Beneficiorum: ſed quià poſſet dubium oriri, an vacante Sede Epiſcopali, Capitulum Canonicorum illius Cathedralis, quod ſuccedit in aliquibus proviſionibus ſpectantibus ad Epiſcopum, ſuccedat etiam in Proviſione Beneficiorum, quæ tali tempore vacabunt; hinc eſt, quòd adnectitur præſens Titulus in generali: Ne Sede vacante aliquid innovetur. Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 3. Titulo 9.

In hoc ergo cap., quod incipit. *Si ad Epiſcopum*. ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd quandò Collatio alicujus Beneficii ſpectat de Jure, vel approbatâ conſuetudine ad Epiſcopum, & ſimùl ad Capitulum communitèr, mortuo Epiſcopo, vel ipſo Epiſcopo à Beneficiorum collatione ſuſpenſo, poterit Capitulum Beneficium illud conferre, ſi vacet tali tempore, nec tenetur expectare proviſionem novi Epiſcopi. Si autem collatio ſpectet ad ſolum Epiſcopum, ſed facienda de aſſenſu, & conſilio Capituli, tùnc vacante Epiſcopatu, ſeù ſuſpenſo Epiſcopo à collatione, non poterit Capitulum providere de tali Beneficio, niſi fortè talis Epiſcopus ſit in morâ in petendâ abſolutione à tali ſuſpenſione. Similiter, qui ex ſpeciali conſuetudine habet quidem Jus conferendi Beneficium, ſed de conſilio Epiſcopi, mortuo Epiſcopo, vel eo longè abſente, itaùt difficultèr poſſit ab eo peti conſilium; in tali caſu poterit, ſi vacet, Beneficium illud conferre abſque Epiſcopi conſenſu. Et ratio horum eſt, ne ſcilicet protrahendo proviſionem Beneficii, tale Beneficium damnum patiatur ſivè in ſpiritualibus, ſivè in temporalibus.

TITULUS IX.

De rebus Eccleſiæ non alienandis, in duo Cap. diſtinctus.

QUià in Superioribus dictum eſt de Beneficiis, & Præbendis Eccleſiaſticis, quæ obtinentur à Clericis: & quià quis poſſet dubitare, an Clerici eas Præbendas poſſidentes, poſſint eas alienare; ideò ponitur præſens Titulus.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 3. Titulo 13.

In 1. cap., quod incipit. *Dudùm*. ex Innocentio IV. ſtatuitur, quòd vacante aliquâ Eccleſiâ, ſi ab Epiſcopo, aùt Capitulo fiat alienatio aliquorum Bonorum ſpectantium ad dictam Eccleſiam ſinè prævio tractatu, & ſinè juſtâ causâ, talis alienatio non tenet, nàm Eccleſia illa deſtituta ſuo Rectore non habet defenſorem: undè præſumitur talis alienatio in damnum talis Eccleſiæ. Alienatio autèm Bonorum Eccleſiæ fieri non poteſt, niſi conſtito de neceſsitate, aùt evidenti utilitate prædictæ Eccleſiæ. Ratio eſt, quià Prælati, ſeù Rectores non ſunt Domini, ſed tantùm Adminiſtratores Bonorum Eccleſiæ; undè non poſſunt alienari.

In 2. cap., quod incipit. *Hoc conſultiſſimo*, ex Gregorio X. in Concilio Generali Lugdunenſi, ſtatuitur, res immobi-

mobiles Eccleſiarum, vel Jura ad ipſas Eccleſias ſpectantia nullatenus poſſe ſubmitti Laicorum poteſtati, aut dominio abſque conſenſu Capituli, & de ſpeciali licentia Papæ, damnando omnes, & quoſcumque contractus quâcumque firmitate vallatos, quos contigerit de cætero fieri; privando ipſo facto Prælatos, & Rectores Eccleſiarum ſuis dignitatibus, officiis, & adminiſtrationibus, ſi hoc attentaverint: Clericos verò declarando inhabiles per triennium ad percipiendos fructus ſuorum Beneficiorum, ſi ſcientes hoc attentatum fuiſſe, Superioribus non manifeſtaverint. Ferendo ſimiliter ſententiam excommunicationis contrà Laicos cujuſcumque ſint ſtatus, & conditionis, qui Prælatos, aut Capitula Eccleſiarum, aut alias perſonas Eccleſiaſticas ad hujuſmodi ſubmiſsiones faciendas hactenus compulerunt, niſi poſt competentem monitionem talia Bona Eccleſiaſtica, & Jura in ſua libertate dimittant. Laicos verò illos, qui inpoſterum perſonas Eccleſiaſticas ad tales ſubmiſsiones compulerint, declarat excommunicatos. Et ratio eſt manifeſta; nàm Laicus cujuſcumque ſit gradus, vel dignitatis, nullum Jus poteſt ſibi uſurpare ſupèr Bona, & Jura Eccleſiarum, quæ utpotè Eccleſiaſtica, immunitate gaudent à Laica poteſtate, & juriſdictione.

TITULUS X.

De Rerum permutatione, unico Cap. compræhenſus.

Actum eſt in ſuperiori Titulo de rebus Eccleſiæ non alienandis: Sed quia quis dubitare poſſet, an una Eccleſia poſsit commutari cùm alia; ideò ſubnectitur præſens Titulus.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 3. Titulo 19.

In hoc ergò cap. quod incipit. *Licèt in tua*. ex Bonifacio VIII., ſtatuitur, quòd poteſt fieri permutatio Beneficiorum, non obſtantibus gratiis expectativis; dummodò tales permutationes non fiant in fraudem expectantium; (fraus enim nulli patrocinatur) ſed fiant bona fide, & pro commoditate, ſeù utilitate commutantium, nec tales commutantes propria Beneficia reſignent in manibus Epiſcopi, niſi ad effectum commutandi. Commutationes tali modo factæ impediri non poſſunt ab eo, qui habuit gratiam à Papa de primo Beneficio vacaturo per mortem, aut per reſignationem. Licèt enim in rigore commutans cum alio proprium Beneficium dicatur illud reſignare in manibus Epiſcopi; tamèn non eſt reſignatio undequaque libera, ſed ad effectum recipiendi aliud Beneficium, cùm quo proprium commutat: undè de æquitate talis reſignatio non continetur ſub expectativâ. Æquitas enim præfertur rigori.

TITULUS XI.

De Teſtamentis, & ultimis voluntatibus, in duo cap. diſtinctus.

IN ſuperioribus Titulis actum eſt de Contractibus, qui fiunt inter vivos; nunc eſt agendum de iis, qui fiunt causâ mortis, & dicuntur Teſtamenta, ſeù ultimæ voluntates, ſub quarum nomine compræhenduntur codicilli, & Donationes causâ mortis.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 3. Titulo 26.

In 1. cap. quod incipit. *Si Pater Filium*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd in ſubſtitutionibus fideicommiſſariis habet locum deductio tertiæ, & quartæ partis debita jure naturæ, non autem in ſubſtitutionibus directis, & pupillaribus; undè ſi Paterfamilias habeat Filium, & Filiam impuberes ex uxore, quibus aliquod legatum reliquit in Teſtamento; ſicut etiam Filiæ reliquit congruam portionem hæreditatis; Filium verò declaravit Hæredem univerſalem, addendo, quòd ſi Filia moreretur ſinè Filiis, moreretur ſuo Fratri; ſimiliter ſi Filius præmoreretur ſine Filiis, moreretur ſuæ Sorori; ſi autèm uterque ſinè Filiis moreretur, tota hæreditas utriuſque tranſiret ad pauperes, quos ſubſtituit loco Filiorum; in tali caſu ſi acci-

dat,

dat, quòd tàm Filius, quàm Filia moriantur in pupillari ætate antè annos pubertatis, moriuntur Matri, quia ſunt ſub ejus cuſtodia; tamen Matri non debetur nec tertia, nec quarta pars hæreditatis, quià ſubſtitutio in favorem pauperum eſt directa à Patre familias, qui poterat Uxorem privare tali portione; eo quòd totam hæreditatem in favorem pauperum teſtatus eſt, ſi Filius, & Filia ſine liberis morerentur.

In 2. cap. quod incipit. *Religioſus*, ex eodem ſtatuitur, quod Religioſus non poteſt acceptare, nec exequi Officium executoris Teſtamentarii abſque licentia ſui Superioris, quia Religioſus non habet proprium velle, nec nolle: In caſu autem quòd à Teſtatore ſint deſignati in Teſtamento plures executores Teſtamentarii, ſi unus, vel alter ex illis nolit intereſſe in tali negotio, aut ſit in remotis partibus, aut ſit mortuus, poterunt alii exequi voluntatem Teſtatoris, niſi aliud per Teſtatorem fuerit diſpoſitum. Et ratio eſt, quia executores debent quantocyus voluntatem Teſtatoris adimplere: unde aliis nolentibus, aut impotentibus, ſufficit unus ex ipſis ad exequendum, niſi aliter à Teſtatore fuerit diſpoſitum.

TITULUS XII.

De Sepulturis in quinque capita diſtinctus.

Dictum eſt in Titulo præcedenti de Teſtamentis; ſed quia pluries accidit, quòd Teſtator in Teſtamento eligit locum ſuæ Sepulturæ: ideò ponitur præſens Titulus.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 3. Titulo 28.

In 1. cap. quod incipit. *Animarum*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd nullus ſivè Clericus Sæcularis, ſive Regularis poteſt inducere aliquem ad vovendum, jurandum, vel promittendum, ut eligat Sepulturam in tali Eccleſia: quòd ſi hoc factum fuerit, remanet Eccleſia illa interdicta, quouſque reſtituatur Corpus defuncti, & omnia ea, quæ obvenerunt ratione Sepulturæ, quæ reſtitutio facienda eſt Eccleſiæ, in qua ſepelietur corpus defuncti, ac ſi ſepulturam non elegiſſet.

In 2. cap., quod incipit. *Cum quis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi quis eligat Sepulturam in una Eccleſia, deinde eligat Sepulturam in alia Eccleſiâ, in hac erit ſepeliendus, & non in prima, quia prima Eccleſia dicitur dimiſſa per electionem ſecundæ; quòd ſi hæc non ſit ſua Eccleſia Parochialis, debetur huic Parochiali canonica portio: ſi autèm ſint duæ Parochiales ex æquo, itaut iſte per medietatem anni habuerit domicilium in una, & ſub alia ſimiliter ſteterit per aliam medietatem anni; portio canonica in tali caſu erit æqualitèr dividenda in favorem iſtarum Eccleſiarum Parochialium.

In 3. cap., quod incipit. *Is qui*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Civis habens Sepulturam domus electam à ſuis Prædeceſſoribus in aliqua Eccleſia Civitatis, ſi ſe transferat ad aliquem locum extrà Civitatem ad tempus breve, puta in Villam causâ recreationis, & ibi moriatur, non debet ibi ſepeliri, ſed transferendum eſt Cadaver ad Eccleſiam Civitatis, & ſepeliendum in ſepultura ſuæ domus, ſi ipſe alibi eam non elegerit.

In 4. cap., quod incipit. *Licet*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Pater poteſt eligere Sepulturam prò Filiis, qui moriuntur ante pubertatem. Filii autem in ætate pubertatis conſtituti, licèt non poſſint diſponere de Bonis non Caſtrenſibus ſinè Patris conſenſu, poſſunt tamen diſponere de eligenda ſibi Sepulturâ, & de Bonis Caſtrenſibus, & quaſi Caſtrenſibus.

In 5. cap., quod incipit. *Religioſi*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Religioſi, ſi moriantur extrà proprium Conventum, niſi ſit magna diſtantia à Conventu proprio, debent ad Sepulturam proprii Conventus deferri, nec poſſunt alibi eligere ſepulturam, niſi intercedat magna, & notabilis diſtantia, itaut non poſſint ad propriam Eccleſiam, & Conventum transferri; nàm Religioſi ſicut in vita, ita, & in morte non habent nec velle, nec nolle. Legatur Bonacina Tom. 2. de contractibus diſp. 3. quæſt. 21. de Sepulturis, ubi fusè pertractat omnia, quæ de-

Digitized by Google

deſervire poſſunt ad plenam notitiam eorum, quæ in hoc titulo habentur.

TITULUS XIII.

De Decimis, Primitiis, & Oblationibus, in duo cap. diſtinctus.

CUM in Superiori Titulo actum ſit de Sepulturis, quod eſt jus pertinens de jure communi ad Eccleſias Parochiales; ideoque unuſquiſque tenetur ſepeliri in Eccleſia Parochiali, niſi alibi ſpontè, & liberè elegerit ſepulturam; cumque inter Jura Parochialia ſit aliud Jus, ſcilicet quòd Eccleſiæ Parochiali ſolvantur Decimæ, Primitiæ, & Oblationes: ideò poſt Tractatum de Sepulturis adnectitur Titulus de Decimis, Primitiis, & Oblationibus.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 3. Titulo 30.

In 1. cap., quod incipit. *Diſcretioni*, ex Gregorio IX., ſtatuitur, nè Religioſi in Sermonibus, aut Concionibus publicè, vel privatè audeant aliquid dicere Laicis, undè avertantur à ſolutione Decimarum, & Primitiarum proprio Parocho; imò procurent eis oſtendere obligationem, quam habent eas ſolvendi ex præcepto tùm Divino, tùm Eccleſiaſtico.

In 2. cap. quod incipit. *Statuto*, ex Alexandro IV. ſtatuitur, quòd ſi Papa conceſſerit aliquibus Religioſis Privilegium percipiendi aliquam partem Decimarum in aliqua parte alicujus Parochiæ, & deindè conceſſerit eiſdem Religioſis Privilegium percipiendi Decimas Novalium in eadem Parochia, hoc ſecundum Privilegium reſtringitur ſolùm ad Decimas Novalium, quæ ſunt in illa parte Parochiæ, in qua conceſſum fuit primum Privilegium ex ea percipiendi Decimas, & intelligitur de Novalibus, de quibus Parochus non eſt adhuc in poſſeſſione Decimas percipiendi. Pontifex enim non intendit per tale Privilegium tollere Jus quæſitum, & legitimam poſſeſſionem Parocho: Talia enim Privilegia ſunt odioſa, & ſtrictè interpretanda. Secundò, ſtatuitur, quòd qui impetravit à Papa Privilegium percipiendi Decimas Novalium in aliqua Parochia, in qua aliàs de donatione, & authoritate Epiſcopi percipit, vèl omnes, vèl ſaltèm majorem partem Decimarum, tale Privilegium Papæ Novalium eſt interpretandum tantùm prò medietate, & non prò omnibus: eſſet enim tale Privilegium univerſalitèr intellectum quam maximè grave, & præjudiciale Eccleſiæ Parochiali; undè teneretur ille, qui percipit omnes Decimas talis Parochiæ, Parochum, & Miniſtros talis Eccleſiæ ex illis Decimis ſuſtentare, & eis providere de debitâ portione pro oneribus Eccleſiæ. Tertiò, ſtatuitur, quòd Jus percipiendi Decimas ante Concilium Lateranenſe poſſeſſum à Laicis in Fæudum, non poteſt ab eiſdem Laicis Religioſis donari in Fæudum, niſi de licentia, & conſenſu Ordinarii. Quartò ſtatuitur, quòd Religioſi debent per Diœceſanum compelli, ut ſolvant Decimas Eccleſiis Parochialibus, de his tameǹ rebus, in quibus non ſunt exempti; Ut ſi novas acquirant Poſſeſſiones, ſuper quas exemptionem non impetraverint; nàm de Jure communi Poſſeſſiones tranſeunt cùm retentione ſui oneris: unde ſi prius tales Poſſeſſiones habebant onus decimarum, ità & poſt, niſi extet ſpeciale Privilegium in favorem Religioſorum. Legatur Sanct. Th. 2. 2. quæſt 86. ubi agit de primitiis, & oblationibus, & quæſt. 87. per 4. Articulos de Decimis, & præcipuè art. 1. in corpore ubi ait. *Determinatio decimæ partis ſolvendæ, eſt authoritate Eccleſiæ tempore novæ legis inſtituta, ſecundùm quamdam humanitatem, ut ſcilicet non minus Populus novæ legis Miniſtris novi teſtamenti exhiberet, quàm populus veteris legis miniſtris veteris teſtamenti exhibebat: cùm tamen Populus novæ legis ad majora obligetur, ſecundùm illud Matth. 5. Niſi abundaverit juſtitia veſtra, plus, quàm ſcribarum, & phariſæorum, non intrabitis in regnum Cœlorum, & cùm Miniſtri novi teſtamenti ſint majoris dignitatis, quàm Miniſtri veteris teſtamenti, ut probat Apoſt. 2. ad Corinth. 2. Sic ergo patet quòd ad ſolutionē decimarum homines tenentur, partim quidèm ex jure naturali, partim*

tùm etiam ex inſtitutione Eccleſia, qua tamen penſatis opportunitatibus temporum, & perſonarum, poſſet aliam partem determinare ſolvendam, & art. 3. in reſp. ad 2. ait: *Dicendum, quòd decima perſonales debentur Eccleſia, in cujus Parochia homo habitat; decima verò prædiales rationabiliter magis videntur pertinere ad Eccleſiam, in cujus terminis prædia ſunt poſita, tamen jura determinant, quòd in hoc ſervetur conſuetudo diù obtenta. Paſtor autem, qui diverſis temporibus in duabus Parochiis Gregem paſcit, debet proporiionabiliter utrique Eccleſia decimas ſolvere, & quia ex paſcuis fructus Gregis proveniunt, magis debetur decima Gregis Eccleſia, in cujus territorio Grex paſcitur, quàm illi in cujus territorio Ovile locatur.* Et in ſol. ad 3. ait: *Dicendum, quòd ſicut res nomine decima acceptas poteſt Eccleſia alicui Laico tradere, ita etiam poteſt ei concedere, ut dandas decimas ipſi accipiant, jure accipiendi Miniſtris Eccleſia reſervato, ſive pro neceſſitate Eccleſia, ſicut quibuſdam militibus decima debentur in feudum per Eccleſiam conceſſa, ſive etiam ad ſubventionem pauperum, ſicut quibuſdam Religioſis Laicis, vel non habentibus curam animarum aliqua decima ſunt conceſſa per modum eleemoſyna, quibuſdam tamen Religioſis competit, accipere decimas ex eo, quòd habent curam Animarum.* Legatur per totam quæſtionem.

TITULUS XIV.

De Regularibus, & tranſeuntibus ad Religionem in ſex capita diſtinctus.

Dictum eſt in præcedentibus Titulis de Clericis Sæcularibus, quibus conferuntur Beneficia, Decimæ, Primitiæ, & Oblationes: nùnc eſt agendum de Regularibus, & tranſeuntibus ad Religionem.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 2. tit. 31.

In 1. cap. quod incipit. *Is qui*, ex Innocentio IV. ſtatuitur, quòd qui antè annos pubertatis, ſcilicet antè 14. annum Religionis habitum aſſumpſerit, ſi in anno 15. profeſſionem expreſſam non emiſerit, aur Profeſſionem jam factam antè tale tempus non ratificaverit; aut in tali tempore habitum Profeſſorum non aſſumpſerit, poterit liberè ad Sæculum redire; eſt enim nulliter profeſſus, cùm ex Sacris Canonibus ad validitatem profeſſionis requiratur diſcretio Judicii, quæ regularitèr habetur in anno 15. Si autem habitum ſuſceperit poſt 14. annum, completo anno probationis, validè profeſſionem emittet: habet enim tunc temporis ſufficientem maturitatem Judicii. Habitus autem Profeſſorum dicuntur diſtincti ab habitu Novitiorum, vel ratione coloris, vel ratione benedictionis, quia Profeſſis datur benedictio eorum habitibus; ſecùs verò veſtibus Novitiorum. Advertendum tamen eſt, quòd poſt Concilium Tridentinum ad emittendam ſolemnem profeſſionem, requiritur annus ſextus decimus completus, & non ſufficit quintus decimus.

In 2. cap. quod incipit. *Non ſolùm*, ex Alexandro IV. ſtatuitur, quòd Religio tùm Ordinis Prædicatorum, tum Ordinis Minorum, ſi recipiunt ad profeſſionem Novitium, non completo anno probationis, talis profeſſio nulla eſt, & ipſi nulliter profeſſi poſſunt ad Sæculum redire; quia eſt de ſubſtantia Profeſſionis, ut præmittatur annus integer probationis, niſi interveniat Apoſtolica diſpenſatio.

In 3. cap. quod incipit. *Conſtitutionem*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd conſtitutio illa Alexandri, qua præcipitur Prædicatoribus, & Minoribus, ne ſcilicet recipere poſſint aliquem Novitium ad profeſſionem, vel tacitam, vel expreſſam infra annum probationis, extenditur etiam ad omnes Religioſos Mendicantes ſub pœna ipſis recipientibus, ut remaneant ſuſpenſi à receptione in poſterum, & ſic receptis ſub pœna nullitatis præfatæ profeſſionis: nàm de jure communi probatio integri anni debet præmitti ad profeſſionem.

In 4. cap. quod incipit. *Beneficium*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Clericus habens beneficium Religionem ingrediatur, non ſtatim vacat ejus beneficium, nec

 poteſt

poteſt Epiſcopus illud alteri conferre durante anno probationis, niſi in tribus caſibus hìc expreſſis, ſcilicet. Primò niſi ipſe Clericus intrans Religionem conſenſerit, ut ejus Beneficium alteri conferatur; tunc cùm eſſet quædam ſpecies renunciationis: aſſentienti enim & volenti non fit injuria. Secundò ſi talis ingreſſus Religionem infra annum probationis de licentia Papæ fecerit profeſſionem vel expreſſam, vel tacitam: tunc enim eſſet incorporatus Religioni, nec ad Sæculum poſſet tranſire; unde vacat ejus Beneficium. Tertiò ſi evidenter conſtaret, ingredientem Religionem velle in ea omninò perſeverare, nec unquàm ad Sæculum rediturum; videtur enim in hoc caſu tacitè renunciare tali beneficio. Exceptis his caſibus beneficium ingredientis Religionem non poteſt conferri, niſi completo anno probationis, & facta profeſſione. Pertinet autem ad Epiſcopum, ut interim provideatur tali beneficio de Vicario, cui aſſignanda eſt de fructibus ejuſdem beneficii congrua portio pro illius ſuſtentatione.

In 5. cap. quod incipit. *Qui poſt*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſimplex votum, quod emittit aliquis de certâ Religione intrandâ, tollitur per ſolemnem profeſſionem, quam ille poſtea emiſit intrando aliam Religionem etiam laxiorem: nàm magis ligat votum ſolemne, quàm ſimplex, Verùm tamen eſt, quod iſte tenetur agere pœnitentiam, quòd primum votum ſimplex non adimpleverit, intrando Religionem laxiorem; quòd ſi intraſſet ſtrictiorem, ad pœnitentiam non teneretur, cùm tale votum mutaſſet in melius.

In 6. cap. quod incipit. *Si ad ſolùm Abbatem*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi receptio ad habitum Monachalem ex Privilegio, vel legitimâ conſuetudine ſpectet ad ſolum Abbatem Monaſterii, mortuo tali Abbate, vel vacante tali Abbatiâ, non poterit aliquis recipi in tali Monaſterio ad habitum Monachalem: ſecus autem ſi talis receptio ad habitum ſpectaret infimul ad Abbatem, & Conventum, ſcilicet ad Congregationem Monachorum illius Monaſterii, ut eſt de jure communi: in tali enim caſu; etiam mortuo Abbate poterit quis recipi ad habitum Monachalem de conſenſu Conventus. Legatur S. Th. 2. 2. q. 186. & 187. ubi fusè pertractat de his, quæ pertinent ad ſtatum Religionis, & ad Religioſos.

TITULUS XV.

De Voto, & Voti Redemptione; unico capite comprehenſus.

Quia in Titulo præcedenti dictum eſt de Voto in ſpecie, ſcilicet de Voto Religionis: ideò nunc agitur de Voto in genere, & de modo, quo votum jam factum redimi poſſit. Proponitur ergo Titulus de voto, & voti redemptione.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 3. tit. 34.

In hoc ergo cap. quod incipit. *Quod Votum*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd ſolemnitas voti conſiſtit in quadam ſolemni conſecratione, ſeu perpetuâ mancipatione ad Divinum cultum per mutationem ſtatus; & hæc ſolemnitas voti ex inſtitutione Eccleſiæ habetur in ſuſcipientibus Ordines Sacros, & in emittentibus Profeſſionem ſive expreſſam, ſive tacitam in Religionibus à Sede Apoſtolicâ approbatis. Talis autem ſolemnitas voti efficit, ut quis poſtquàm ſolemniter vovit, ſi matrimonium contrahat, tale matrimonium ſit nullum; nàm votum ſolemne non ſolùm impedit contrahendum, quod etiam facit votum ſimplex, ſed dirimit contractum, quod votum ſimplex non facit: unde qui non obſtante voto ſimplici caſtitatis, aut Religionis Matrimonium contraxit, validè quidem contraxit, ſed illicitè, & debet agere pœnitentiam, & petere diſpenſationem. Stante autem voto ſolemni caſtitatis, aut Religionis, matrimonium contractum nullum eſt; quia quod ſolemniter Deo eſt oblatum, non poteſt ad prophanos uſus converti, eſt enim quædam ſolemnis conſecratio irrevocabilis, & perpetua; unde votum ſolemne non eſt redimibile, ſeu diſpenſabile. Secus dicendum de voto ſimpli-

ſimplici, quòd ex cauſa rationabili poteſt ab Eccleſia redimi, ſeu diſpenſari, aut commutari, aut etiam irritari ab habente facultatem. Sic D. Thom. in Suplemen. 3. p. q. 53. art. 2, in corpore ubi ait: *Dicendum eſt cùm aliis, quòd votum ſolemne ex ſui natura habet, quòd dirimat matrimonium contractum, inquantùm ſcilicet per ipſum homo ſui corporis amiſit poteſtatem, Deo illud ad perpetuam continentiam tradens, ut ex dictis patet, & ideo non poteſt ſeipſum tradere in poteſtatem uxoris, matrimonium contrahendo; & quia matrimonium, quòd ſequitur tale votum, nullum eſt, ideo tale votum dicitur dirimere matrimonium contractum.* Legatur per totam quæſt. Conformiter etiam ad ea, quæ traduntur in hoc cap. 2. 2. qu. 88. art. 11. in corpore ait: *Eſt ergo conſiderandum, utrùm continentia ſit eſſentialiter annexa ei, ad quod votum ſolemnizatur, quia ſi non eſt eſſentialiter annexa, poteſt manere ſolemnitas conſecrationis ſine debito continentia, quod non poteſt contingere, ſi ſit eſſentialiter connexum ei, ad quod votum ſolemnizatur. Non eſt autem eſſentialiter annexum debitum continentia Ordini Sacro, ſed ex ſtatuto Eccleſiæ; unde videtur, quòd per Eccleſiam poſſit diſpenſari in voto continentia ſolemnizato per ſuſceptionem Sacri Ordinis; eſt autem debitum continentia eſſentiale ſtatui Religionis, per quem homo abrenunciat Saculo totaliter Dei ſervitio mancipatus, quod non poſſet ſimul ſtare cùm matrimonio, in quo incumbit neceſſitas procuranda uxoris, & prolis, familia, & rerum, qua ad hoc requiruntur, unde Apoſt. dicit 2. ad Cor. 7. quòd qui eſt cùm uxore, ſolicitus eſt, qua ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt; unde nomen Monachi ab unitate ſumitur per oppoſitum ad diviſionem pradictam; & ideo in voto ſolemnizato per profeſſionem Religionis non poteſt per Eccleſiam diſpenſari, & rationem aſſignat Decretalis, quia caſtitas eſt annexa Regula Monachali.* Legatur per totum articulum, & quæſtionem.

TITULUS XVI.

De Statu Regularium, unico capite comprahenſus.

Dictum eſt ſupra in præcedenti Titulo de Voto ſolemni, quòd ſolemnizatur vel per aſſumptionem Ordinis Sacri, vel per Profeſſionem tacitam, vel expreſſam in Religionibus approbatis: ideò modò ſubnectitur præſens Titulus de ſtatu Regularium, in quo quis ponitur per Profeſſionem ſolemnem.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 3. tit. 35.

In hoc ergo cap. quod incipit. *Periculoſo*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur. Primò conſtitutione perpetuò irrefragabiliter valiturâ, quòd Moniales ſive tacitè, ſive expreſsè profeſſæ cujuſcumque ſint Religionis in quibuslibet mundi partibus exiſtentes, teneantur in ſuis Monaſteriis ſub perpetuâ manere clauſurâ; itaut nulli earum, niſi ex graviſſimâ, & urgentiſſimâ causâ, & de licentia Ordinarii liceat exire extra ſepta Monaſterii, nec aliquam Perſonam etiam honeſtiſſimam intra eadem ſepta Monaſterii admittere, abſquè prædicta licentia, & cauſa rationabili; cùm talis exitus, vel ingreſſus ſint valdè periculoſi honeſtati Monialium, quæ Dei ſervitio conſecrare debent corda ſua, & corpora in omni ſanctimoniâ diligentiſſimè cuſtodire. Secundò ſtatuitur, quòd in hujuſmodi Monaſteriis nulla Monialis recipiatur ſupra numerum taxatum pro tali Monaſterio ſecundùm redditus ſufficientes ad earum ſuſtentationem; & ſi ſupra numerum recipiantur, nulla erit earum receptio. Tertiò ſtatuitur, quòd quando Abbatiſſa tenetur præſtare homagium, ſeu juramentum fidelitatis Principi Laico Patrono talis Monaſterii, tale homagium præſtet per Procuratorem, abſquè eo quod perſonaliter accedat ad Curiam illius Principis: quòd ſi indiſpenſabiliter requiratur talis acceſſus Perſonalis, in tali caſu de licentia Ordinarii, & cùm decenti comitatu accedat Abbatiſſa ad tale homagium præſtandum,

quo

quo præſtito ſtatim ad Monaſterium redeat. Quartò, ſtatuitur, quòd Cauſæ Monaſterii tractentur à Procuratoribus ejuſdem, nec Judices, ſiuè Sæculares, ſive Eccleſiaſtici poſſunt compellere Abbatiſſas, ſivè Prioriſſas ad comparendum perſonaliter in eorum Curiis, ſed ſint contenti admittere earum Procuratores. Quintò, ſtatuitur, quòd executores pro obſervantia hujus Conſtitutionis in materia Clauſuræ Monialium ſunt ipſi Ordinarii Locorum, ſcilicet Epiſcopi, qui in Monaſteria ſibi ſubiecta habent ordinariam poteſtatem; in Monaſteria autèm exempta à Juriſdictione Ordinarii habent poteſtatem delegatam à Papa ex vi hujus Conſtitutionis, in materiâ dumtaxat Clauſuræ, & non in aliis materiis, in quibus pendent à propriis Superioribus. De hac materia agit S. Thom. 2. 2. quæſt. 186. per 10. articulos de ſtatu Religionis, & quæſt. 187. de Religioſis per 6. articulos, ſuper cujus doctrina fundantur, quæ in hoc Titulo, & ſequenti.

TITULUS XVII.

De Religioſis domibus, unico Cap. compræhenſus.

Viſum eſt ſuprà de Perſonis, & ſtatu Religioſorum, eorumque profeſſione: nunc aliquid eſt dicendum de eorum Domibus, ideòque ponitur præſens Titulus.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 3. Titulo 36.

In hoc ergò cap., quod incipit *Religionum*, ex Gregorio X. in Concilio Generali Lugdunenſi, ſtatuitur, nulli eſſe licitum, novum Ordinem, aut Religionem inſtituere, imò ex vi hujus Conſtitutionis revocatos eſſe omnes, & quoſcumque Ordines Mendicantium per Papam non approbatos; Approbatos verò per Papam, ſed poſt Concilium, non poſſe aliquem ad Profeſſionem ulteriùs recipere, nec alias Domos, vel loca acquirere, nec acquiſita ſine licentia alienare, nec extraneis prædicare, Confeſſiones eorum audire, vel ad Sepulturam admittere, impoſita cenſura excommunicationis contrafacientibus. Ratio hujus eſt, quià nimia Religionum diverſitas confuſionem parit in Eccleſia Dei, & contemptum Regularis ſtatus; undè aliqui Ordines parum, vel nihil utilitatis afferentes Eccleſiæ Dei, adinventi poſt Concilium, cum eorum confirmatio per importunitatem fuerit extorta à Summis Pontificibus, & experientiâ ipsâ teſtante, potiùs confuſionem pariant, quam decorem, & juvamen Eccleſiæ Dei, ſupprimuntur modo jam dicto, concedendo hujuſmodi Religioſis, ut poſſint ad illas Religiones tranſire, quæ jam ante Concilium erant cum approbatione Apoſtolica inſtitutæ, quæ ſuut quatuor Mendicantes, ſcilicet Prædicatores, Minores, Heremitani S. Auguſtini, & Carmelitæ. Illas verò Religiones, quæ nullam obtinuerunt confirmationem à Sede Apoſtolica, ſtatuit eſſe omnino reiiciendas, & totaliter revocandas.

TITULUS XVIII.

De Cappellis Monachorum, unico Cap. compræhenſus.

Quià in Superiori Titulo actum eſt de Domibus Religioſis: nunc ſequitur agendum de Cappellis, quæ in Eccleſiis Monachorum, vel Religioſorum ſunt inſtitutæ ad Curam Populi, quibus Cappellis præficiendi ſunt Præsbyteri.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 3. Titulo 37.

In hoc ergò cap. quod incipit. *Præsbyteri*, ex Bonifacio VIII., ſtatuitur, quòd in Cappellis, quæ ſunt in Eccleſiis Monachorum cum obligatione ad curam animarum, itaut ſint Beneficia curata, licèt præſentatio Præsbyteri pro tali curâ ſpectet ad Abbatem, in cujus Eccleſia ſita eſt Cappella. tamen Inſtitutio authoritativa dans curam animarum ſpectat ad Epiſcopum: unde taliter inſtitutus, ſuppoſitâ præſentatione Abbatis, non poterit ab Abbate removeri, ſed ab Epiſcopo,

ad

ad quem ſpectat Inſtitutio, vel deſtitutio, ſuppoſitâ causâ legitima.

TITULUS XIX.

De Jure Patronatus, unico Cap. comprehenſus.

DIctum eſt ſupra de Beneficiis Eccleſiaſticis: ſed quia inter Beneficia Eccleſiaſtica aliqua ſunt Juris Patronatus; ideo ponitur præſens Titulus.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 3. Titulo 38.

In hoc ergo, cap. quod incipit. *Si Laicus*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd donatio Juris patronatus Laici facta loco Eccleſiaſtico, etiam ſinè conſenſu Epiſcopi, tenet, licet aliqualiter præjudicet Juri Epiſcopi, cui tamen Juri per talem donationem ſinè ejus conſenſu factam, non eſt derogatum. Secundò ſtatuitur, quòd Laicus poſſidens tale Jus patronatus habet ad præſentandum tempus ſex Menſium, etiamſi tale Jus patronatus Eccleſia obtinuerit à Laico.

TITULUS XX.

De Cenſibus, Exactionibus, & Procurationibus, in quinque Cap. diſtinctus.

QUià in præcedentibus Titulis actum eſt de quodam Jure, quod competit aliquibus in Beneficiis Eccleſiaſticis, ut de Jure Patronatus, vel de alio Jure, puta Recognitionis, Homagii, Tributi &c.: ideo ponitur præſens Titulus de Cenſibus &c.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 3. Titulo 39.

In primo cap. quod incipit. *Romana Eccleſia*. ex Innocentio IV., ſtatuitur, quòd Archiepiſcopus volens viſitare ſuam Provinciam, ſcilicet Diœceſes Suffraganeorum, debet priùs viſitare ſuam propriam Diœceſim, ſcilicet Cathedralem, Capitulum, & alias Eccleſias ſibi immediatè ſubiectas, Clericos, & Populos earumdem. Secundò, ſtatuitur, quòd Archiepiſcopus viſitans ſuam Provinciam, non poteſt ab Eccleſiis viſitatis recipere, niſi puras procurationes, ſcilicet alimenta, quibus ipſe cum ſuis poſſit moderatè ſuſtentari in tali viſitatione. Tertiò, ſtatuitur, quòd Archiepiſcopus poſt incœptam viſitationem in una Diœceſi, tranſiens ad aliam, non poteſt iterum ad primam redire, niſi de novo reiteret Viſitationem in tota Provincia, ad quam de novo reiterandam, eſt neceſſarium Conſilium, & conſenſus Suffraganeorum, & causa neceſſaria in ſcriptis expreſſa: debet enim reincipere ab illis, qui in prima non fuerunt viſitati. Quartò, ſtatuitur, quòd Archiepiſcopus viſitans Provinciam debet proponere Verbum Dei, inquirere de vita, & moribus Miniſtrorum Eccleſiæ, de pertinentibus ad Divinum Officium, & aliis, quæ ſpectant ad jura Eccleſiarum. Similiter infamatos abſque juramento debet Ordinariis propriis denunciare, ut ſupra ipſos invigilent: Notoria autem crimina debet ipſemet punire. Quintò, ſtatuitur, hanc formam Viſitationis traditam pro Viſitatione Archiepiſcopi, ſervandam eſſe etiam ab Epiſcopis in viſitatione propriæ Diœceſis, ſicut etiam ab aliis Prælatis inferioribus. In Viſitatione autèm, quæ fit à Prælatis Regularibus ſervandæ ſunt conſuetudines, & ſtatuta propriarum Religionum.

In 2. cap., quod incipit. *Exigit*. ex Gregorio X. in Concilio Lugdunenſi, ſtatuitur, omninò ſervandam eſſe Conſtitutionem Innocentii IV. proximè relatam, ut ſcilicet Procurationes, quæ dantur ab Eccleſiis viſitatis Prælatis viſitantibus, non dentur in pecunia, ſed ſolùm in victualibus, moderatè tamen, & tantùm quo ad neceſſitatem; nec à Viſitatoribus, aut eorum Miniſtris accipiantur munera, etiamſi ſpontè offerantur. Similiter quòd Victualia non dentur Viſitatori, niſi ab Eccleſiis viſitatis; ſecùs à non viſitatis. Hæc omnia præcepit Innocentius IV. ſub pœna tranſgredientibus reſtitutionis in duplum, & divinæ maledictionis: Quibus pœnis additur à Gregorio X. in Concilio Lugdunenſi alia pœna, nempè quòd Viſitatores tranſgredientes præfatam Conſtitutionem teneantur infra Menſem

ſol-

ſolvere duplum Eccleſiæ de his, quæ indebitè ab ea receperunt; quòd ſi hoc infra menſem non faciant, incurrunt interdictum, quouſque in duplo ſatisfaciant. Quod intelligitur de Patriarchis, Epiſcopis, Archiepiſcopis, & aliis Viſitatoribus. De aliis autèm minoris conditionis non reſtituentibus in duplo infrà menſem eſt conſtituta pœna, ſcilicet ſuſpenſio à Divinis, quouſque eùm effectu reſtituant duplum, aliàs non erunt abſolvendi à Confeſſariis.

In 3. cap. quod incipit. *Fœlicis*, ex Bonifacio VIII., ſtatuitur, quòd cùm experientia ipſa teſtante prohibitio Innocentii IV., & Gregorii X. nè à Viſitatoribus recipiantur, vèl exigantur ab Eccleſiis, quas viſitant Procurationes in pecunia, ſed ſolum in Victualibus, afferat multa incommoda tùm Perſonis viſitantibus, tùm locis, & Eccleſiis viſitatis: ideò decernit Bonifacius VIII. hac Conſtitutione talem prohibitionem moderari, ſcilicèt ut ſit licitum Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis quibus ex officio incumbit onus viſitandi, à ſpontè volentibus dare pecuniam loco Procurationis prò ſumptibus moderatè faciendis tempore Viſitationis, eam licitè recipere; cùm hoc tamèn quòd ſi Viſitator plures Eccleſias eàdem die viſitet, unâ tantum procuratione ſit contentus: non enìm ſunt multiplicandæ Procurationes, vèl pecuniæ prò Victualibus, ſi eàdem die plures Eccleſiæ viſitantur; debent enìm exigi procurationes, ſeù pecuniæ ab ipſis, pro ſuſtentatione tantùm moderatâ, & congruâ.

In 4. cap., quod incipit *Quamquàm* ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi aliqua Eccleſia, vèl Perſona Eccleſiaſtica pèr laicos fuerit ſubjecta ad ſolvenda Pedagia, vèl Guidagia, ſcilicèt tributa, quæ ſolvuntur à Sæcularibus prò rebus, quæ transferuntur de uno loco ad alium causâ negotiationis; & talis Eccleſia, vèl Perſona Eccleſiaſtica compellatur à ſingulari Perſona puta Principe, aut Judice, aut Birruario, tales ſingulares Perſonæ incurrunt ipſo facto excommunicationem; ſi autèm compellantur ab Univerſitate, talis Univerſitas, ſeu Communitas ſupponitur Interdicto. Eſt enìm de Jure Divino, Canonico, & Civili Eccleſias, & Eccleſiaſticas Perſonas gaudere Immunitate ab his tributis, ſeu Vectigalibus.

In 5. cap., quod incipit *Perpetuò* ex eodem, ſtatuitur, quòd Archiepiſcopus poteſt non ſolum ſemèl, ſed pluriès viſitare totam ſuam Provinciam ex rationabili cauſa; etiàmſi Suffraganei non ſint negligentes. Tempore autèm Viſitationis poteſt Archiepiſcopus non ſolum proponere Verbum Dei, & inquirere de rebus ad divinum cultum ſpectantibus, ſed etiàm Populorum Confeſſiones audire, & pœnitentias injungere ſalutares. Conſule Concilium Tridentinum in decretis de Reformatione poſitis in ſingulis ſeſſionibus.

TITULUS XXI.

De Conſecratione Eccleſiæ, vel Altaris, unico cap. compræbenſus.

QUia in præcedenti Titulo actum eſt de Immunitate Eccleſiæ ab oneribus, ſeu Vectigalibus laicalibus: & quia hoc Privilegium competit Eccleſiis, quatenus ſunt loca Dei ſervitio dicata, & conſecrata; ideò agitur nunc de Conſecratione Eccleſiæ, vel Altaris.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 3. tit. 40.

In hoc ergo cap. quod incipit. *Si Eccleſiam*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd ſi polluatur Eccleſia, quæ pollutio fit, vel per injurioſam ſanguinis humani, vel per libidinoſam humani ſeminis effuſionem in ea factam, ſi contiguum Eccleſiæ ſit Cœmeterium, non ſolùm dicitur polluta Eccleſia, ſed etiam Cœmeterium, undè in eo nullus erit ſepeliendus, uſque quò per purgationem Eccleſię, etiam Cœmeterium dicatur purgatum: Secus ſi Cęmeterium fuerit pollutum, non per hoc Eccleſia illi contigua diceretur polluta. Ratio eſt quia acceſſorium ſequitur principale, ſed non è contrà; Cœmeterium autem reſpectu Eccleſiæ eſt acceſſorium; Eccleſia verò quid principale. Si autem Cœmeterium ſit diſtans ab Eccleſia, ex pollutione Eccleſiæ non ſequitur pollutio Cœmeterii. Similiter ex pollutione unius

Cœ-

Cœmeterii non ſequitur pollutio alterius Cœmeterii, ſi ſint diviſa, etiamſi ſit Janua, per quam de uno fit tranſitus ad aliud. Dictum eſt, qòud ad hoc ut Eccleſia dicatur polluta, effuſio ſanguinis debet eſſe injurioſa, & violenta; ſi enim ſit naturalis, aut voluntaria, non reddit Eccleſiam pollutam. Similiter de effuſione ſanguinis humani dicendum eſt, quòd debet eſſe fornicaria, & omninò illicita: undè aliqui affirmant, Eccleſiam non pollui, ſi Vir reddat in ea debitum conjugale Uxori, licèt contrarium ſit probabilius propter indecentiam actus in tali loco. Ut autem videatur, quanta gravitas malitiæ in peccato ſacrilegii reperiatur, & conſequenter in pollutione Eccleſiæ, oportet conſulere D. Thom. 2. 2. qu. 99. art. 3. in Corpore, ubi ait: *Dicendum, quòd peccatum ſacrilegii in hoc contingit, quòd aliquis irreverenter ſe habet ad rem ſacram. Debetur autem reverentia rei ſacræ ratione Sanctitatis. Et ideò ſecundùm diverſam rationem Sanctitatis rerum ſacrarum, quibus irreverentia exhibetur, neceſſe eſt, quòd ſacrilegii ſpecies diſtinguantur: tantò enim ſacrilegium eſt gravius, quantò res ſacra, in quam peccatur majorem obtinet ſanctitatem. Attribuitur autem Sanctitas & perſonis ſacris, ideſt divino cultui dedicatis, & locis ſacris, & rebus quibuſdam aliis ſacris. Sanctitas autem loci ordinatur ad ſanctitatem hominis, qui in loco ſacro cultum Deo exhibet; dicitur enim 2. Machab. 5. non propter locum, gentem, ſed propter gentem Dominus locum elegit. Et ideò gravius peccatum eſt ſacrilegium, quo peccatur contra perſonam ſacram, quàm quo peccatur contra locum ſacrum. Sunt tamen in utraque ſacrilegii ſpecie diverſi gradus ſecundùm differentiam perſonarum, & locorum ſacrorum &c.*

TITULUS XXII.

De Reliquiis, & Veneratione Sanctorum, unico cap. comprœhenſus.

Dictum eſt in præcedenti Titulo de Conſecratione Eccleſiæ, vel Altaris: ſed quia in Eccleſiis, & Altaribus conſecratis ſolent apponi Reliquiæ Sanctorum; ideò immediatè adnectitur præſens titulus.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 3. Tit. 49.

In hoc ergo cap. quod incipit. *Glorioſus Deus.* ex Bonifacio VIII. ſtatuitur quòd Feſta duodecim Apoſtolorum, quatuor Evangeliſtarum, & quatuor Doctorum Eccleſiæ, SS. Gregorii, Auguſtini, Ambroſii, & Hyeronimi debent ſingulis annis per omnes Eccleſias ſub ritu duplici ſolemniter celebrari. Pro elucidatione hujus Tituli legatur S. Thom. 3. p. qu. 25. art. 6., ubi agit de adoratione, quæ debetur Reliquiis Sanctorum, & in argumento, ſed contra ait: *Dicitur in libro de Eccleſiaſticis dogmatibus, Sanctorum Corpora, & præcipuè Beatorum Martyrum reliquias, ac ſi Chriſti membra, ſinceriſſimè honoranda credimus. Si quis contra hanc ſententiam velit eſſe, non Chriſtianus, ſed Eunomianus, & Vigilantianus creditur.* Legatur per totum Articulum.

TITULUS XXIII.

De Immunitate Eccleſiarum, Cœmeteriorum, & aliorum locorum Religioſorum, in 5. cap. diſtinctus.

Quia dictum eſt de Immunitate Perſonarum Eccleſiaſticarum à Pædagiis, & Tributis Sæcularibus: nunc agendum eſt de Immunitate, qua gaudent Eccleſiæ ipſæ, & Cœmeteria; quatenùs ſunt loca Dei ſervitio mancipata: ideòque ponitur præſens Titulus.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 3. Tit. 49.

In 1. cap. quod incipit. *Quia nonnulli,*

nulli, ex Alexandro IV. ſtatuitur, quòd Principes, aut Magiſtratus laicales, quicumque illi ſint, non poſſunt Tallias, vel exactiones exigere ab Eccleſiis, vel Eccleſiaſticis Perſonis pro rebus, vel Poſſeſſionibus acquiſitis, vel acquirendis, nec illos compellere ad illas diſtrahendas, & extrà ſuas manus ponendas. Hujuſmodi enim Poſſeſſiones Eccleſiaſticæ, ſicut etiam ipſæ Perſonæ gaudent Immunitate tùm jure divino, tùm humano.

In 2. cap. quod incipit. *Decet*, ex Gregorio X. in Concilio Lugdunenſi ſtatuitur, Fideles teneri maximam exhibere Eccleſiis, utpotè locis Deo dicatis, venerationem; ac reverentiam; undè eis dato humili ingreſſu ad Eccleſias, debent Fideles, excluſis clamoribus, negociationibus, vanis colloquiis, judiciis ſpecialiter criminalibus, aliiſque prophanis exercitiis, orationibus vacare, & ea ſolùm agere, quæ ad Dei cultum, & ad animarum ſalutem ſpectant: nè ubi eſt peccatorum venia poſtulanda, ibi peccandi detur occaſio, aut depræhendantur peccata committi.

In 3. cap. quod incipit. *Clericis*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd non eſt licitum laicis Perſonis, ſeu Magiſtratibus ſæcularibus imponere Clericis Collectas, Tallias, & onera, ſicuti nec eſt licitum Eccleſiaſticis, ſive Sæcularibus, ſive Regularibus aliquid ſolvere hujuſmodi Magiſtratibus ſæcularibus ſub quocumque prætextu, ſcilicet gratitudinis, ſubventionis, doni, aut remunerationis abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia ſub pœna excommunicationis, ipſo facto incurrendæ, tam Laicis compellentibus Clericos ad ſolvendum, quàm Clericis abſq; licentia ſolventibus, aut conſentientientibus ad ſolutionem: gaudent enim Clerici Immunitate, ut dictum eſt.

In 4. cap. quod incipit. *Quoniam*, ex eodem ſtatuitur, ipſo facto pœnam excommunicationis incurrere eos, qui impediunt recurrentes ad Sedem Apoſtolicam in cauſis ſpectantibus ad Forum Eccleſiaſticum, ſivè impedientes in hujuſmodi cauſis, quæ vel de jure, vel ex approbata conſuetudine ſpectant ad Eccleſiaſticum Judicem, ut v. g. impedientes, ne impetrentur literæ ab Apoſtolica Sede, vel nè impetratæ non admittantur, vel recognoſcantur. Hanc eamdem excommunicationem ſtatuit incurrere omnes, & ſingulos, qui impediunt cauſas Eccleſiaſticas agitari in Eccleſiaſtico Foro, vel eas trahunt ad laicale Tribunal.

In cap. 5. quod incipit. *Eos qui*, ex eodem ſtatuitur, quòd Principes, ſeu Magiſtratus laicales non poſſunt ſuis Subditis laicis prohibere, nè Perſonis Eccleſiaſticis exhibeant communia obſequia, ut ipſis vendere, vel ab ipſis emere, aliaque eis præſtare, quæ illis neceſſaria ſunt ad eorum ſuſtentationem. Licèt enim hoc præceptum ſit directum ad Subditos ſæcularis Poteſtatis; indirectè tamen lædit Immunitatem Eccleſiaſticorum; undè Magiſtratus ſæculares, qui faciunt tales prohibitiones, eo ipſo incidunt in pœnam excommunicationis.

TITULUS XXIV.

Nè Clerici, vel Monachi ſæcularibus negotiis ſe immiſceant, in 3. cap. diſtinctus.

Dictum eſt ſupra de Clericis, eorumque privilegiis, & Immunitatibus: ſed quia Clerici, vel Monachi immiſcendo ſe negotiis ſæcularibus, & ſæculariter vivendo, merentur propria Privilegia amittere; cùm ille mereatur amittere Privilegium, qui Privilegio malè utitur, ideò ponitur præſens Titulus.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 3. Tit. 50.

In 1. cap. quod incipit. *Statutum*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd illa Decretalis Honorii Papæ III. *Super Specula*, qua ſtatuit, nè Clerici habentes Dignitatem, aut Perſonatum poſſint àudire leges, ſcilicet Civiles, aut Phyſicam, ſcilicet Medicinam, quam prohibitionem Clemens IV. extendit etiam ad Clericos habentes Eccleſias Parochiales, non debet extendi ad Clericos habentes Eccleſias Parochiales, niſi iſtæ ſint Plebaniæ, ſcilicet habentes ſub ſe Cappellas cum Vicariis perpetuis, qui non poſſint amoveri:

veri: nam eo ipſo quòd ſint tales, videntur habere quamdam Speciem Perſonatus; undè illis licitum non eſt audire leges, aut Phyſicam, ſed potius ſtudio Sacræ Theologiæ incumbere, aut Juri Canonico pro debita adminiſtratione ſui Officii. Hoc dicitur de Curato eo anno, quo adhuc non eſt promotus ad Sacerdotium: nàm Clericus eo ipſo quod eſt Sacerdos, non poteſt audire leges, aut Phyſicam ſine diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ; hæc enim applicatio ad leges civiles, & medicinam non eſt proportionata ſtatui Sacerdotali.

In 2. cap. quod incipit. *Ut periculoſa*, ex eodem ſtatuitur, quòd Religioſus, qui causâ ſtudii ſine licentia ſui Prælati exit è Monaſterio, & dimiſſo habitu accedit ad aliquam Univerſitatem, ut ibi ſtudiis incumbat, eo ipſo incurrit excommunicationem, ſicut etiam eamdem excommunicationem incurrunt Doctores illius Univerſitatis, ipſum ad Scholas recipientes: ſecus ſi retento habitu, & de licentia ſui Superioris hoc fecerit, dummodò non audiat leges Civiles, aut Phyſicam, ſcilicet Medicinam.

In 3. cap. quod incipit. *Epiſcopus*, ex eodem ſtatuitur, quòd Epiſcopus, vel alius Prælatus juriſdictionem habens temporalem, ſi homicidio, aut alio gravi maleficio in terris ſuæ Juriſdictionis commiſſo, præcipiat ſuo Locumtenenti, aut Judici Sæculari, ut ſuper delictum commiſſum veritatem inquirens, Juſtitiæ debitum exequatur, propter hoc irregularitatem non incurrit, etiamſi Judex, aut Locumtenens contra Malefactorem ad pœnam ſanguinis procedat, ſervato Juris ordine. Ratio eſt, quia licèt Clericis non ſit licitum cauſas ſanguinis agitare, eas tamen, cùm Juriſdictionem obtinent temporalem, debent, & poſſunt abſque metu irregularitatis, aliis delegare, quod Clericis prohibitum non eſt; dummodò tamen ipſe Prælatus non mandet Reum affici ultimo ſupplicio, ſed ſolùm in generali, ut adminiſtretur bona Juſtitia. Videatur S. Thom. 2. 2. quæſt. 187. art. 2. in corpore, ubi ait: *Dicendum, quòd ſtatus Religionis eſt ordinatus ad perfectionem Charitatis conſequendam, ad quam quidem principaliter pertinet Dei dilectio, ſecundariò autem dilectio proximi. Et ideò Religioſi præcipuè, & propter ſe, debent intendere ad hoc, quòd Deo vacent. Si autem neceſſitas proximis immineat, eorum negotia ex Charitate agere debent, ſecundùm illud ad Galatas 6. Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti; quia in hoc ipſo, quòd proximis ſerviunt propter Deum, dilectioni divinæ obſequuntur; unde dicitur Iacob. 1. Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc eſt, viſitare Pupillos, & Viduas in tribulatione earum. Gloſſa ibidem, ſuccurrere eis, qui carent præſidio, in tempore neceſſitatis. Eſt ergo dicendum, quòd causâ cupiditatis ſæcularia negotia, nec Monachis gerere, nec Clericis licet; causâ verò charitatis ſe negotiis ſæcularibus cum debita moderatione ingerere poſſunt, ſecundùm Superioris licentiam in miniſtrando, & dirigendo &c.*

Finis Libri Tertii, Sexti Decretalium.

LIBER QUARTUS SEXTI DECRETALIUM

In tres Titulos diſtributus.

TITULUS PRIMUS.

De Sponſalibus, & Matrimoniis, unico cap. comprœhenſus.

CUM in præcedentibus Libris actum ſit de Clericis, & de his, quæ ad Clericos ſpectant, in hoc libro eſt agendum de his, quæ ad ſtatum laicalem pertinent, ſcilicet de Sponſalibus, & Matrimoniis: ideò ponitur præſens Titulus.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 4. Titulo 1.

In hoc ergò cap. quod incipit. *Ex Sponſalibus*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd ex Sponſalibus puris, & abſolutis, videlicet non conditionatis, & certis, cùm certa ſcilicet, & individua perſona, & non vaga, validis ex parte conſenſus utriuſque partis, licet aliàs invalidis ex alio capite, puta propter impedimentum conſanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, voti, Religionis &c. oritur impedimentum Juſtitiæ publicæ honeſtatis, ratione cujus neuter illorum poſt dicta ſpontanea poteſt validè contrahere Matrimonium cùm conſanguineis alterius; eſt enim Juſtitia publicæ honeſtatis Impedimentum impediens, & dirimens Matrimonium, ſivè contrahendum, ſivè contractum; etiamſi Sponſalia illa ſint ex aliquo capite invalida, dummodo non ſint invalida ex parte conſenſus. Eſt exemplum de Sacerdote contrahente Sponſalia cùm Berta, quam ducere non poteſt in Uxorem Frater talis Sacerdotis: Secùs ſi eſſent invalida talia ſponſalia ratione conſenſus. Videatur S. Thomas in Supplemento 3. p. quæſt. 43. ubi per tres Art. agit de Sponſalibus, & in ſequentibus quæſtionibus de Matrimonio, ejuſque impedimentis.

TITULUS II.

De Deſponſatione Impuberum unico capite comprœhenſus.

DIctum eſt ſuprà in præcedenti Titulo de Sponſalibus, ex quibus oritur impedimentum publicæ honeſtatis, ſi aliàs Sponſalia illa non ſint nulla ex defectu conſenſus, ut plerumque accidit in Sponſalibus contractis intèr Impuberes, prò quibus Parentes, vel alij nomine eorum contrahunt Sponſalia: ideò de hujuſmodi Sponſalibus contractis antè legitimam ætatem, & abſquè ſufficienti uſu rationis nunc agendum eſt.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 4. Titulo 2.

In hoc ergò cap., quod incipit *Si Infantes*, ex Bonifacio VIII., ſtatuitur, quòd ſi contingat Sponſalia contrahi intèr Infantes minores ſeptennio, vèl inter unum minorem ſeptennio, & alium majorem, cum ex ſe nulla ſint ex defectu conſenſus, ſaltèm ex parte unius, non inducunt impedimentum Juſtitiæ publicæ honeſtatis, nec

nec validantur præciſè tractu temporis, niſi in ætate debita adveniat novus conſenſus, vel expreſſus, vel ſaltèm tacitus per mutuam cohabitationem eorumdem. Secundò, ſtatuitur, quòd ſponſalia contracta per verba de præſenti inter Impuberes, vel inter Puberem, & Impuberem non habent vim Matrimonii ex defectu ætatis, etiamſi ſint per verba de præſenti: ſunt tamen vera Sponſalia de futuro, & inducunt impedimentum publicæ honeſtatis. Tertiò, ſtatuitur, quòd Sponſalia contracta à Parentibus, vel ab aliis prò abſentibus Filiis non ſunt valida, quouſque Filii non præbent conſenſum, vel expreſsè, vel tacitè: validitas enim contractus conſiſtit in aſſenſu contrahentium. Videatur D. Thomas in ſupplem. 3. par. quæſt. 43. artic. 2. in ſol. ad 1. ubi ait: *Dicendum, quòd ſi ante annos Pubertatis fiunt contractus ſponſalium per alium, ambo, vel alter reclamare poſſunt: Undè nihil tunc actum eſt, adeo, quòd nec aliqua affinitas contrahitur ex hoc; & ideo Sponſalia, quæ inter aliquos per perſonas alias contrahuntur, robur habent, inquantum illi, inter quos contrahuntur, ad ætatem debitam venientes, non reclamant, ex quò intelliguntur conſentire his, quæ per alios facta ſunt.* Legatur per totum articulum.

TITULUS III.

De Cognatione Spirituali, in tria capita diſtinctus.

Dictum eſt de duobus impedimentis impedientibus Matrimonium, & dirimentibus contractum, ſcilicet de Impedimento publicæ honeſtatis, & de impedimento ætatis: ſequitur modò agendum de impedimento Cognationis Spiritualis, quod ſimiliter impedit, & dirimit contractum. Eſt autem cognatio Spiritualis quædam propinquitas, quæ oritur inter Perſonas ratione collationis Baptiſmi, aut Confirmationis.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 4. Titulo 11.

In 1. cap., quod incipit. *Nedùm.* ex Bonifacio VIII., ſtatuitur, quòd Cognatio Spiritualis oritur ex Baptiſmo, nedum inter Baptizatum, & levantem ipſum ex Sacro Fonte, ſed inter eumdem Baptizatum, & uxorem levantis; ſi tamen talis Uxor fuerit à Marito jam carnaliter cognita, ratione cujus facti ſunt duo jàm in carne una; ſimiliter inter baptizatum, & Filios, ſeu Filias ipſius levantis; ſimiliter inter levantem, & Patrem, & Matrem ipſius baptizati. Oritur ſimiliter talis Cognatio Spiritualis ratione Baptiſmi inter Baptizantem, & baptizatum, & Patrem, & Matrem baptizati, & inter Baptizantem, & Patrinum, Filioſque; Filiaſque Patrini. Quæ Cognatio Spiritualis oritur etiam ex collatione Sacramenti Confirmationis inter Confirmantem, & confirmatum, inter confirmantem, & Patrem, & Matrem confirmati, intèr confirmatum, & Patrinum, ejuſque Filios, & Filias, & Uxorem Patrini. Hoc ſtatutum fuit jure antiquo; cæterum jure novo ex Tridentino reſtricta eſt hæc cognatio ſpiritualis, ut ex Baptiſmo ſolùm oriatur intèr Baptizatum, & Patrinum, ſive levantem, & Uxorem Patrini, ſeù levantis, & inter Patrinum, & Patrem, & Matrem naturalem Baptizati. Similitèr inter Baptizantem, & Baptizatum, & Patrem, & Matrem Baptizati. Quod etiàm ſtatutum eſt de cognatione ſpirituali, quæ oritur ex ſuſceptione Sacramenti Confirmationis: itaut jure novo ablata ſit cognatio ſpiritualis, quæ jure antiquo dicebatur Confraternitas, & relicta ſit ſolùm Compaternitas, & Commaternitas.

In 2. cap., quod incipit. *Per Catechiſmum*, ex eodem, ſtatuitur, quòd per Catechiſmum, qui eſt inſtructio baptizandi circà Articulos Fidei, quæ fit adultis baptizandis ante fores Eccleſiæ; antequam recipiant Baptiſmum, contrahitur quidem cognatio Spiritualis, ſed hæc cognatio, licèt impediat Matrimonium contrahendum, non tamen dirimit contractum, ſicut facit cognatio ſpiritualis orta in ſuſceptione Baptiſmi: eſt enim hæc majoris efficaciæ, & virtutis.

In 3. cap., quod incipit. *Quamvis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in levatione Infantis ex ſacro Fonte unus tantùm intervenire debet, ſicut etiam in Chriſmate Fron-

Frontis: tamèn ſi plures intervenirent, & omnes tamquam Patrini, vel Marrinæ levent, vel tangant Infantem, in tali elevatione omnes contrahunt cognationem Spiritualem. Quæ tamen cognario Spiritualis non contrahitur in ſuſceptione aliorum Sacramentorum.

Legatur S. Thom. in ſupplemen. 3. par. quæſt. 56., ubi per quinque articulos de cognatione ſpirituali agit, & præcipuè artic. 1. in Argumen. ſed contra ait: *Quantò aliquod vinculum ſanctius eſt, tantò magis eſt cuſtodiendum, Sed vinculum Spirituale eſt ſanctius, quàm corporale. Cúm ergo vinculum propinquitatis corporalis matrimonium impediat, videtur etiam, quòd cognatio ſpiritualis idem faciat. Præterea: In Matrimonio coniunctio animarum eſt principalior, quàm coniunctio corporum, quia præcedit ipſam. Ergo multo fortius ſpiritualis cognatio matrimonium impedire poteſt, quàm carnalis.*

Et in Art. 2. ad 1. ait: *Dicendum, quòd duplex eſt carnalis nativitas. Prima in Utero, in quo adhuc id, quod natum eſt, eſt adeó debile, quòd non poſſit extra exponi ſinè periculo, & huic nativitati aſſimilatur regeneratio per baptiſmum, in quo regeneratur aliquis quaſi adhuc fovendus intra uterum Eccleſiæ. Secunda eſt Nativitas ex utero, quando jàm quod natum erat in utero, tantùm roboratum eſt, quòd poteſt ſine periculo exponi exterioribus, quæ nata ſunt corrumpere, & huic aſſimilatur Confirmatio, per quam homo roboratus exponitur in publicum ad confeſſionem Nominis Chriſti, & ideò congruè per utrumque iſtorum Sacramentorum contrahitur Spiritualis cognatio.*

Et in Artic. 3. in corpore habetur: *Dicendum, quòd ſicut in generatione carnali aliquis naſcitur ex Patre, & Matre; ita in generatione ſpirituali aliquis renaſcitur filius Dei, ſicùt Patris; & Eccleſia, ſicut Matris; Sicut autem ille, qui Sacramentum confert, gerit Perſonam Dei, cujus inſtrumentum, & Miniſter eſt, ita ille, qui baptizatum ſuſcipit de Sacro Fonte, aut confirmandum tenet, gerit Perſonam Eccleſiæ, Unde ad utrumque cognatio ſpiritualis contrahitur.*

Inſuper Articulo 4. in Corpore ait: *Dicendum, quòd aliquis poteſt fieri alicujus Compater dupliciter. Uno modo per actum alterius, qui baptizat, vel in ipſo baptiſmo ſuſcipit filium ejus, & ſic Cognatio Spiritualis non tranſit à viro in uxorem, niſi forte ille ſit filius uxoris, quia tùnc directè uxor contrahit Cognationem Spiritualem, ſicut & Vir. Alio modo per actum proprium, ſicut cum levat filium alterius de Sacro Fonte, & ſic cognatio ſpiritualis tranſit ad Uxorem, quam jam carnaliter cognovit; non autem ſi nondùm ſit matrimonium conſummatum, quia nondum effecti ſunt una caro, & hoc eſt per modum cujuſdam affinitatis: Undè etiam pari ratione videtur tranſire ad mulierem, quæ eſt carnaliter cognita, quamvis non ſit Uxor: Undè verſus.*

Quæ mihi, vel cujus natum mea fonte levavit,
Hæc mea Commater, fieri mea non valet Uxor.
Si qua mea natum non ex me fonte levavit,
Hanc poſt fata mea non inde vetabor habere.

Legatur per totam quæſtionem, & ſingulos Articulos, ex quibus elucidantur, quæ in hoc titulo habentur.

Finis Quarti Libri Sexti Decretalium.

LIBER

LIBER QUINTUS SEXTI DECRETALIUM

In XII. Titulos diſtinctus.

TITULUS PRIMUS.

De Accuſationibus, Inquiſitionibus, & Denunciationibus in duo capita diſtinctus.

Dictum eſt in præcedentibus Titulis, & libris, quo Ordine à Judice Eccleſiaſtico, ſive Ordinario, ſivè Delegato ſint tractandæ cauſæ Civiles ad Forum Eccleſiaſticum ſpectantes: nunc eſt agendum de Cauſis Criminalibus, quandò ſcilicet à Judice Eccleſiaſtico tractandæ ſunt, & terminandæ. Pro cujus rei intelligentia eſt ſupponendum, quòd in hujuſmodi cauſis eſt triplex modus procedendi, ſcilicet per viam Inquiſitionis. Secundò per viam accuſationis, & tertiò per viam denunciationis. Primus modus eſt, cùm Judex ex officio procedit ad inquirendum de crimine patrato, quis nàm fuerit Reus. Secundus, quandò Judex procedit prævia accuſatione alicujus, qui accuſat Reum Judici, ad effectum ut puniatur. Tertius, quandò Reus denunciatur Judici non tamquàm puniendus ex rigore juſtitiæ, ſed ut corrigendus amore charitatis. In primo modo procedendi, ſcilicet per viam Inquiſitionis, neceſſe eſt, ut Reus antequàm à Judice conſtituatur, ſit apud Judicem diffamatus per Teſtes, aut indicia ſufficientia. In ſecundo modo requiritur, ut accuſans obliget ſe ad pœnam talionis ad probandum ea, quæ deponit contra Reum, & in tertio modo requiritur, quòd ille, qui intendit denunciare, primò præmiſerit fraternam, & charitativam correctionem erga Reum, qui ſi non reſipuerit, tunc poterit denunciari Judici, ad effectum ut corrigatur.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 5. tit. 1. His ſuppoſitis.

In 1. cap. quod incipit. *Poſtquàm*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd licet diffamatio Rei debeat præcedere inquiſitionem Judicis; ſicut etiam teneatur Judex poſt inquiſitionem præbere Reo inquiſito capitula inquiſitionis, quæ habentur in Judicio contra ipſum, ut poſſit reſpondere: tamen ſi Judex conſtituat Reum non diffamatum, nec illi aſſignet capitula Inquiſitionis; & Reus ſic conſtitutus à Judice confiteatur ſuum delictum, quod commiſit, debebit à Judice condemnari, quia confeſſio propria Rei ſufficit abſquè alia probatione, ſeu diffamatione: ſecus autem ſi Reus non fuiſſet confeſſus, ſed negando commiſiſſe delictum opposuiſſet Judici, ſe non eſſe diffamatum in tali crimine: tunc enim condemnari non poteſt.

In 2. cap. quod incipit. *Si is cui*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi Judex inquirens de qualitate criminis, conſtituat Reum non diffamatum de tali crimine, & Reus non neget ſe commiſiſſe crimen, ſed ſolùm neget ſe commiſiſſe tali, vel tali modo: ex eo quod tacitè videatur fateri crimen quo ad ſubſtantiam, non poteſt poſtea opponere Judici, quòd ipſe non

ſit

ſit diffamatus in tali crimine, quia per tacitam confeſſionem criminis ceſſit juri ſuo circa diffamationem; unde poterit condemnari ſaltem quoad ſubſtantiam criminis, quam videtur fuiſſe confeſſum: secùs ſi primò oppoſuiſſet Judici, ſe non eſſe diffamatum in tali crimine. Pro elucidatione hujus tituli, & plena intelligentia de modo accuſationis, & denunciationis, legatur S. Thom. 2. 2. q. 33. art. 7. in corp. ubi ait: *Dicendum, quòd circa publicam denunciationem peccatorum diſtinguendum eſt; aut enim peccata ſunt publica, aut ſunt occulta. Si quidem ſint publica, non eſt tantùm adhibendum remedium ei qui peccavit, ut melior fiat, ſed etiam aliis, in quorum notitiam devenit, ut non ſcandalizentur; & ideo talia peccata ſunt publicè arguenda, ſecundùm illud Apoſt. 1. ad Timot. 5. peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant, quod intelligitur de peccatis publicis, ut Auguſt. dicit in lib. de Verb. Dom., ſi verò ſint peccata occulta, ſic videtur habere locum, quod Dominus dicit, ſi peccaverit in te Frater tuus; quando enim te offendit publicè coram aliis, jam non ſolùm in te peccat, ſed etiam in alios, quos turbat: ſed quia etiam in occultis peccatis poteſt parari proximorum offenſa, ideo adhuc videtur diſtinguendum eſſe. Quædam enim peccata occulta ſunt, quæ ſunt in nocumentum proximorum, vel corporale, vel Spirituale, puta ſi aliquis occultè tractet, quomodò civitas tradatur hoſtibus, vel ſi hæreticus privatim homines à fide avertat; & quia ille, qui ſic occultè peccat, non ſolùm in ſe peccat, ſed etiam in alios, oportet ſtatim procedere ad denunciationem, ut hujuſmodi nocumentum impediatur, niſi fortè aliquis firmiter æſtimaret, quòd ſtatim per ſecretam admonitionem poteſt hujuſmodi mala impedire, quadam verò peccata ſunt, quæ ſolùm ſunt in malum peccantis, & ejus, in quem peccatur, vel quia à peccante ſolùm læditur, vel ſaltem ex ſola notitia, & tunc ſolùm ad hoc tendendum eſt, ut fratri peccanti ſubveniatur; & ſicut Medicus corporalis ſanitatem ægroto confert, ſi poteſt ſine alicujus membri abſciſſione, ſi autem non poteſt, abſcindit membrum minus neceſſarium, ut vita totius conſervetur, ita etiam ille, qui ſtudet emendationi Fratris, debet, ſi poteſt, ſic emendare Fratrem, quantùm ad conſcientiam, ut fama ejus conſervetur &c.* Legatur per totum articulum, & quæſtionem. Ulterius eàdem 2. 2. q. 67. art. 3. ad 2. ſic ait: *Dicendum, quòd publica infamia habet locum accuſatoris; unde ſuper illud Gen. 4. Vox ſanguinis fratris tui &c. dicit Gloſſa, evidentia perpetrati ſceleris accuſatore non eget; in denunciatione verò non intenditur punitio peccantis, ſed emendatio, & ideo nihil agitur contra eum: cuius peccatum denunciatur, ſed pro eo: & ideo non eſt ibi neceſſarius accuſator; pœna autem infertur propter rebellionem ad Eccleſiam, quæ quia eſt manifeſta, tenet locum accuſatoris. Ex eo autem, quòd ipſe judex videt, non poteſt procedere ad ſententiam ferendam, niſi ſecundùm ordinem publici judicii, quod tenet locum accuſationis.* Tandem S.Th. q. 68. art. 4. ponit pænam talionis pro Accuſatoribus his verbis: *Dicendum, quòd Accuſator in cautâ accuſationis conſtituitur pars intendens ad pænam accuſati; ad Judicem autem pertinet, ut inter eos Juſtitiæ æqualitatem conſtituat, Juſtitia autem æqualitas hoc requirit, ut nocumentum, quod quis alteri intentat, ipſe patiatur, ſecundùm illud Exod. 21; oculum pro oculo, dentem pro dente, & ideo juſtum eſt, ut ille, qui per accuſationem aliquem in periculum gravis pœna inducit, ipſe etiam ſimilem pœnam patiatur.*

TITULUS II.

De Hæreticis in capita 20. *diviſus*.

Actum eſt in ſuperiori Titulo de modis, quibus proceditur ad inquirendum de veritate criminis: nunc agendum eſt de ipſis criminibus; ſed quia inter crimina principalem locum tenet, ratione ſuæ gravitatis, crimen hæreſis, quo immediatè læditur Divina Majeſtas in materia Fidei: ideo proponitur Titulus de Hæreticis.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 5. Titulo 7.

In 1. cap. quod incipit. *Quoniam*, ex Gregorio IX. ſtatuitur, quòd Clericus

in

in Sacris conſtitutus ſi incidat in hæreſim, eſt degradandus; & licèt ad degradandum Clericos in Sacris conſtitutos ex jure communi requirantur ſex Epiſcopi; tamen ſi degradentur propter crimen hæreſis, ſufficit proprius Epiſcopus unà cum Abbatibus, & Capitulo ſuæ Cathedralis. Quæ degradatio propter hæreſim ſemper eſt facienda, cùm hac tamen differentia, quòd ſi talis Sacerdos, vel Clericus in Sacris conſtitutus inciderit in hæreſim primâ vice, eſt degradandus, & perpetuo Carceri mancipandus, vel immurandus, ut dicitur in Sacris Canonibus, ad effectum ut perpetuam agat pœnitentiam in pane triſtitiæ, & aqua doloris; ſi autem ex ſpeciali gratia ſucceſſu temporis liberetur, & denuò reincidat in hæreſim, & ſit relapſus; tunc eſt denuò degradandus a ſuo Epiſcopo, & tradendus Curiæ Sæculari, ut debitâ pœnâ ignis mulctetur juxta Leges Civiles lib. 9. cap. de Hæreticis, & Crimine ſacrilegii.

In 2. cap. quod incipit. *Quicumque*, ex Alexandro IV. ſtatuitur. Primò quòd excommunicationem ipſo facto incurrit, qui ſepelierit in loco Sacro Cadaver ejus, quem novit fuiſſe Hæreticum, & in hæreſi mortuum, aut ejuſdem receptoris, defenſoris, fautoris &c. nec poterit à tali excommunicatione abſolvi, niſi priùs ipſe propriis manibus corpus Hæretici, vel fautoris &c. ex Sepulchro extraxerit, in locum prophanum projiciendum: talis autem locus, ubi ſepultum fuit corpus Hæretici, vel fautoris &c. remanet prophanus, nec in eo ampliùs Catholici erunt ſepeliendi. Secundò ſtatuitur, quòd non licet Laicis publicè, vel occultè diſputare de Myſteriis Fidei; & hoc prohibetur ſub pœna excommunicationis ferendæ. Tertiò ſtatuitur, quòd Hæretici, & Filii Hæreticorum uſquè ad ſecundam generationem; imo receptatores, defenſores, fautores, vel in eis credentes ſunt omninò inhabiles ad beneficia Eccleſiaſtica, & ad publica officia Magiſtratus, & eorum electio ad ipſa ipſo facto eſt nulla. Quartò ſtatuitur, quòd collatio beneficii Eccleſiaſtici facta alicui Catholico ad preces Hæreticorum reddit ipſum inhabilem ad recipiendum tale beneficium; & ſi ſcienter ipſum recipiat, reddit eumdem inhabilem non ſolùm ad illud retinendum, ſed ad quæcumque alia obtinenda. Quintò ſtatuitur, quòd emancipatio Filiorum, aut Servorum facta ab Hæreticis eſt omninò nulla, etiamſi delictum hæreſis paternum poſt emancipationem Filiorum, aut ſervorum fuerit manifeſtatũ; dummodò ante talem emancipationem prædictus Pater, aut Dominus fuerit Hæreticus, licet occultus: ratio eſt, quia Pater, aut Dominus, eo ipſo quòd incidit in hæreſim, privatur Patriâ poteſtate, & dominio erga Filios, & Servos; unde illos non poteſt emancipare.

In 3. cap. quod incipit. *Filii*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in caſu, quo aliquis in articulo, vel periculo mortis conſtitutus petierit Hæreticorũ conſolationem, quam ſolent dare per benedictionem, & manuum impoſitionem, unde talis efficitur ſuſpectus de hæreſi: in tali caſu non eſt credendum nec Filiis, nec Hæredibus talis defuncti, ſi intendant probare, talem petiiſſe præfatam conſolationem, dum non erat ſanæ mentis, præſertim ſi aliàs erat ſuſpectus, aut diffamatus de hæreſi. Quâ ſuſpicione ceſſante poſſunt in cauſa admitti Teſtes fide digni, & non ſuſpecti, nec familiares, ad probandum, quòd prædictus non erat ſanę mentis: quo probato, ceſſat præſumptio, quòd ſit mortuus in hæreſi.

In 4. cap. quod incipit. *Super eo*, ex eodem, ſtatuitur, quòd licet verum ſit, quòd Eccleſia numquàm claudit gremium redeunti ad fidem, tamen relapſis in hæreſim, & converſis, licet propter hoc Eccleſia non neget Sacramentum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, ipſos tamen tradit Curiæ Sæculari propter bonum commune Fidei, ne ipſi iterum revertantur ad hæreſim, & in exemplum aliorum.

In 5. cap. quod incipit. *In Fidei favorem*, ex eodem, ſtatuitur, quòd in favorem Fidei ad probandum contra Hæreticos, Schiſmaticos, aut eorum receptatores, defenſores, fautores &c. poſſunt admitti in Teſtes excommunicati, & participes, & ſocii criminis, præſertim in deficientia aliorum Teſtium, dummodò tamen ex veroſimilibus conjecturis, & circumſtantiis, ſic teſtificantes falſa non dicere præſumantur. T t In

In 6. cap. quod incipit. *Præſidentes*, ex eodem, ſtatuitur, quòd quotieſcumque agitur cauſa Fidei ab Ordinariis, vel eorum Miniſtris, aùt ab Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, ipſis eſt licitum pro conficiendo Proceſſu, vel pro executione ſententiæ petere auxilium brachii Sæcularis contrà inquiſitos; etiamſi tales Magiſtratus, ſeu Principes Sæculares ſint excommunicati, aut poſſideant dominium non de Jure, ſed tantum de facto: Et ipſi Principes Sæculares tenentur ipſis auxilium præſtare in favorem Fidei.

In 7. cap. quod incipit. *Cùm Contumacia*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi quis ſuſpectus de hæreſi, & citatus ab Ordinario, vel Inquiſitore hæreticæ pravitatis non compareat, & propter talem contumaciam ſit excommunicatus, & in dictâ excommunicatione per annum perſeveret, debebit poſt talem annum damnari tamquam hæreticus: talis enim contumacia ſic continuata præbet fundamentum vehementiſſimæ, & violentæ præſumptionis.

In 8. cap. quod incipit. *Accuſatus*, ex eodem ſtatuitur, Primò, quòd quis ſuſpectus vehementer de hæreſi, licèt non plenè convictus per probationes, & Teſtes, abjurando in judicio talem hæreſim; ſi poſtea inveniatur in talem hæreſim eſſe lapſum, & de facto talem hæreſim profiteri, condemnandus eſt tamquam Relapſus, ſcilicet tradendus Curiæ Sæculari, quià fictione juris ſupponitur etiam primâ vice propter vehementem ſuſpicionem, fuiſſe hæreticum: ſecùs ſi ſuſpicio fuit levis, & abjuravit de levi. Secundò ſtatuitur, quòd qui tamquàm hæreticus circà unum Articulum Fidei talem hæreſim abjuravit, & generaliter, ut moris eſt, abjuraverit omnem aliam hæreſim, ſi inciderit in aliam hæreſim contrà diſtinctum Fidei Articulum dicendus eſt Relapſus, & tamquam Relapſus erit puniendus, quià cùm abjuraverit omnem hæreſim, incidendo in aliquam, dicitur Relapſus. 3. ſtatuitur, quòd qui convictus de aliqua hæreſi, ſi poſt abjurationem Hæreticos receptet, viſitet, aſſociet, eis favorem præſtet, aut munera mittat, aut recipiat, præſumitur relapſus, & tamquàm relapſus eſt puniendus, quia hæc ſunt ſigna ſatis violenta, quòd ad eamdem hæreſim redierit. 4. ſtatuitur, quòd Teſtis in cauſa hæreſis, licet in principio falſum deponat, & ſit perjurus, tamen ſi zelo fidei poſtea velit corrigere, quod dicit, eſt audiendus, & aſſerendo oppoſitum ei quod jam depoſuit, meretur fidem, ſi tamen ex indiciis conſtet ipſum veritatem fateri. 5. ſtatuitur, quòd Inquiſitores ſuper hæreſi deputati non debent ſe intromittere in cauſis divinationis, aut Sortilegii, niſi hæ cauſæ contineant manifeſtè hæreſim, aut abuſum Sacramentorum, ſed tales cauſas debent relinquere ſuis Judicibus judicandas. 6. ſtatuitur, quòd Inquiſitores non debent ſe intromittere in cauſis Uſurarum: hæ enim cauſæ ad alios Judices ſpectant. 7. ſtatuitur, quòd Inquiſitores poſſunt, & debent compellere Hæredes eorum, qui licet Catholici, fuerunt tamen fautores Hæreticorum, & ob id inquiſiti, & convicti, eiſque fuit impoſita pænitentia in bonis temporalibus, quam pœnitentiam morte præventi non adimplerunt: undè in defectum eorum Inquiſitores debebunt compellere Hæredes, ut eam adimpleant: ſi tamen talis pænitentia fuerit injuncta antè mortem prædictorū fautorum: ſecùs ſi poſt eorum mortem. 8. ſtatuitur, quòd Hæreticus poteſt etiam poſt mortem declarari talis, ad effectum confiſcandi ejus Bona, 9. ſtatuitur, quòd Clerici inſtruentes, & conſiliantes Hæreticos, nè Inquiſitores contrà ipſos veritatem inveſtigent, ab eiſdem Inquiſitoribus puniri poſſunt, & debent tamquàm Hæreticorum fautores. Religioſi autem idem facientes, aut in hæreſim lapſi, aut Hæreticis dantes auxilium, & favorem, ab iiſdem Inquiſitoribus debent ſeverius puniri: quia eorum ſtatus perfectionis magis aggravat delictum.

In 9. cap. quod incipit. *Statutum*, ex Urbano IV. ſtatuitur, quòd ſtatuta edita à laica poteſtate, per quæ impeditur, aut retardatur Officium SS. Inquiſitionis, ſive directè, ſive indirectè, ſunt omninò nulla, & revocanda, vel ſaltem moderanda, taliter quòd per illa Inquiſitionis proceſſus non impediatur, nec aliqualiter retardetur. Ad quod compellendi ſunt Magiſtratus Sæculares per Eccleſiaſticas Cenſuras.

In

In 10. cap. quod incipit. *Ne aliqui*, ex Clemente IV. ſtatuitur, quòd Officium Inquiſitoris contra hæreticam pravitatem commiſſum alicui à Summo Pontifice non expirat per mortem committentis; undè poterit talis Inquiſitor omnia agere, quæ ad ſuum ſpectant Officium, etiàm mortuo Pontifice, non ſolùm quoad cauſas jam cæptas, ſed etiàm quoàd cauſas ſuccedentes: & hoc in favorem Fidei.

In 11. cap. quod incipit. *Ut officium*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi à Papa ſint delegati duo, vel tres Inquiſitores in eâdem Provincia contrà hæreticos, vel fautores &c. poterunt, vel conjunctìm, vel ſeparatim procedere unuſquiſque, prout meliùs fuerit prò cauſarum diſcuſſione: in quibus Cauſis Inquiſitores debent, metui hominum Dei timorem anteponere. 2. ſtatuitur, quòd Inquiſitores debent recipere Hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos verè pænitentes, mediâ abjuratione publicâ, vel privatâ, & illos abſolvere, dummodo eorum converſio non ſit ſimulata, & fraudolenter facta. 3. ſtatuitur, quòd cum cauſæ fidei ſint graviſſimæ, debent cùm magna cautela, & diligentia tractari: undè in his cauſis Inquiſitor debet Teſtes examinare in præſentia duarum honeſtarum Perſonarum; & Notarius fideliter tenetur dicta Teſtium ſcribere; poterit tamèn eſſe Notarius in dictis cauſis etiam Sacerdos, & Religioſus, dummodò ſit aptus, & capax talis officii, & ad illud ab Inquiſitore aſſumptus, & hoc in favorem Fidei. 4. ſtatuitur, quòd Inquiſitores poſſunt procedere per Cenſuras contra eos, qui voluerint impedire, vel differre Inquiſitionis negotium: & ſi opus fuerit, poterunt invocare auxilium brachii Sæcularis, quod Poteſtates, & Officiales laici tenentur præſtare. Imo tales Officiales Laici poſſunt compelli ab Inquiſitoribus, ut præſtent Juramentum de tali auxilio præſtando in favorem Fidei, cùm opus fuerit; & ad hoc compelli poſſunt per Cenſuras.

In 12. cap. quod incipit. *Ut commiſſi*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd ad hoc ut Inquiſitores contra hæreticam pravitatem poſſint utiliùs commiſſum ſibi Officium exequi; neceſſè, & rationabile eſt; ut facultatem habeant committendi ſuis Vicariis in partibus citationes, & ſententiarum denunciationes: Similiter, ut habeant facultatem vocandi peritos, Clerum, & Populum, ut eis aſſiſtant, ſi opus fuerit. 3. ut habeant poteſtatem procedendi contrà illos, qui de ſua in aliam Provinciam ſe tranſtulerunt. 4. ut habeant poteſtatem repetendi libros, & Proceſſus alibi tranſmiſſos, commutandi, & mitigandi pænas, privandi, & privatos declarandi Officiis, honoribus, & dignitaribus Hæreticos, fautores, & defenſores eorum; ita tamen, ut hoc fiat de Ordinariorum, vel in eorum abſentia, de eorum Vicariorum conſilio, & aſſenſu, niſi iidem ſcienter talibus Beneficia contuliſſent. Virtute ergo præſentis Decretalis Bonifacius VIII. prædictas facultates Inquiſitoribus contra hæreticam pravitatem tribuit, ut in Officio ſibi commiſſo liberiùs, & ſecuriùs procedant.

In 13. cap., quod incipit. *Contra Chriſtianos*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Baptizati, ſi ad Iudaiſmum tranſeant, puniendi ſunt tamquam Hæretici, & Apoſtatæ à Fide, etiamſi dicant, ſe fuiſſe baptizatos ex metu; dummodò tamen non fuerit aperta, & abſoluta violentia. Violentia enim cauſat involuntarium ſimpliciter, non autem metus etiam gravis; hic enim ſolùm cauſat involuntarium ſecundùm quid: undè in caſu erunt validè baptizati, & proindè tamquam Apoſtatæ puniendi erunt ab Inquiſitoribus.

In 14. cap. quod incipit. *Decrevit*, ex eodem, ſtatuitur, quòd licet Bona Mariti damnati propter crimen hæreſis Fiſco ſint addicta, non per hoc confiſcatur Dos ejus Uxoris Catholicæ, & Innocentis, ſi tamèn ipſa non contraxit Matrimonium cum illo, ſciens ipſum eſſe Hæreticum. In tali enim caſu ipſa eſſet ſuſpecta de hæreſi, & contrà eam eſſet procedendum.

In 15. cap. quod incipit. *Statutum*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Conſtitutiones Innocentii, & Alexandri, quibus ſtatuitur, ne Filii Hæreticorum, aut eorum fautorum &c. ſint capaces ad recipienda Beneficia Eccleſiaſtica, aut publica Offi-

cia, ſunt intelligendæ de Filiis eorum Hæreticorum, qui in hæreſi deceſſerunt, non verò de Filiis eorum, qui licet aliquando hæreſim profeſſi ſint, poſtea antè mortem ſunt Eccleſiæ reconciliati. Filii ergò Hæreticorum impœnitentium, imò, & eorum Filii, & Nepotes, ſcilicet in primo, & ſecundo gradu ex linea paterna, & in primo tantùm gradu ex linea materna, ſunt incapaces ad recipienda Beneficia Eccleſiaſtica, & ad publica Officia, vel Magiſtratus &c. ſunt enim infamiâ notati.

In 16. cap., quod incipit, *Inquiſitores*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Inquiſitores hæreticæ pravitatis ab Apoſtolica Sede deputati, non poſſunt abſque ſpeciali mandato Papæ inquirere contrà Epiſcopum: quòd ſi Epiſcopus ſit culpabilis, erit Papæ denunciandus, & ex illius ſpeciali facultate contra ipſum erit procedendum. Et hoc propter reverentiam, & dignitatem Epiſcopalem.

In 17. cap., quod incipit, *Per hoc*, ex eodem ſtatuitur, quòd per hoc, quòd Papa deleget generaliter Inquiſitoribus cauſas ad Sanctum Officium ſpectantes, non propter hoc intendit derogare authoritati Epiſcoporum, quorum quilibet poteſt in ſua Diœceſi procedere in eiſdem cauſis ad Sanctum Officium ſpectantibus cùm Inquiſitoribus diviſim, vel communiter: imò tam Inquiſitor, quam Epiſcopus poſſunt diviſim ſententiam in eadem cauſa proferre; in qua ſi diſcordent, debent Papæ referre. In his autem cauſis ſi Epiſcopi procedant, debent ſervare modum Inquiſitoribus per Sacros Canones impoſitum, ut ſupra ſtatutum eſt.

In 18. cap. quod incipit, *Ut Inquiſitionis*, ex eodem ſtatuitur. quòd Domini temporales, ſeu laici Magiſtratus tenentur Epiſcopis, & Inquiſitoribus hæreſis non ſolum non reſiſtere, ſed eis omninò parere, & auxilium præſtare in Cauſis Fidei, in quibus tamen ipſi Domini temporales nullatenus ſe poſſunt ingerere, quoad cauſarum cognitionem: ſunt enim cauſæ totaliter Eccleſiaſticæ, & Spirituales, nec poſſunt ipſi, nec eorum Miniſtri favere inquiſitis, aut depræhenſis in Sancto Officio, aut ab eo damnatis ſub pœna excommunicationis, in qua ſi inſordeſcant per annum, tamquam Hæretici præſumuntur.

In cap. 19., quod incipit. *Cùm ſecundum*, ex eodem; ſtatuitur, quòd Bona Hæreticorum eo ipſo ſunt Fiſco addicta: ſi enim ſecundùm leges civiles confiſcantur Bona eorum, qui crimina licet gravia commiſerunt, inferiora tamen reſpectu hæreſis, quod eſt inter omnia crimina maximum, & læſæ Majeſtatis divinæ; multò magis Bona Hæreticorum eo ipſo ſunt confiſcanda. Verum tamen eſt, quod Fiſcus eorum Bonorum non poterit accipere poſſeſſionem, quouſque à Iudice Eccleſiaſtico Reus non fuerit tamquam Hæreticus publicè condemnatus per ſententiam, & declaratus: debet enim ſententia præcedere executionem pœnæ.

In cap. 20., quod incipit, *Statuta*, ex eodem, ſtatuitur, quòd hoc eſt ſpeciale Privilegium in causâ hæreſis in favorem Fidei, quòd in his cauſis procedatur ſimpliciter, & de plano, ſinè ſtrepitu Judicii, dicta Teſtium, vel eorum nomina recipiendo, nec nomina Accuſatorum, aut eorum dicta ſint publicànda, ſi periculum timeatur: in quo caſu ſufficit, ut nomina, & dicta eorum regiſtrentur in Proceſſu, & manifeſtentur duabus gravibus, & honeſtis Perſonis cùm Juramento, & pœnâ excommunicationis, nè ea manifeſtent. *Si autem* nullum ſit periculum, nomina, & dicta Teſtium, & Accuſatorum poterunt manifeſtari, ut eſt de Jure communi. Videatur D. Th. 2. 2. qu. 11. art. 3. in corpore ubi ſic ait: *Ex parte Eccleſiæ eſt miſericordia ad errantium converſionem, & ideo non ſtatim condemnat, ſed poſt primam, & ſecundam correptionem, ut Apoſt. docet; Poſtmodùm verò ſi adhuc hæreticus pertinax videatur, Eccleſia de ejus converſione non ſperans, aliorum ſaluti providet, eum ab Eccleſia ſeparando per excommunicationis ſententiam, & ulterius relinquit eum judicio ſæculari à mundo exterminandum per mortem &c.* & art. ſequenti in corpore addit: *Eccleſia primò quidem revertentes ab hæreſi non ſolùm recipit ad pœnitentiam, ſed etiàm conſervat eos in vita, & interdùm*

dùm reſtituit eos diſpenſativè ad Eccleſiaſticas dignitates, quas prius habebant, ſi videantur verè converſi, & hoc pro bono pacis frequenter legitur eſſe factum. Sed quando recepit iterùm relabuntur, videtur eſſe ſignum inconſtantiæ eorum circa fidem; Et ideo ulterius redeuntes recipiuntur quidèm ad pœnitentiam, non tamen ut liberentur à ſententia mortis. Legatur per totam quæſtionem.

TITULUS III.

De Schiſmaticis, unico Capite compræhenſus.

POſtquam in ſuperiori Titulo dictum eſt de Hæreticis: nunc ſequitur agendum de Schiſmaticis, qui vel ſunt Hæretici negantes unitatem Eccleſiæ, vel eam dividentes, aut ſunt præcisè Rebelles Capiti Eccleſiæ, ipſum nolentes recognoſcere, neque ei obedire. Undè Schiſma dupliciter ſumitur, ſcilicet propriè, & formaliter, pro eo, qui tenet, poteſtatem Eccleſiæ, quæ in ſuo tantum reſidet Capite, ſcilicet Romano Pontifice, poſſe dividi, & in plures partiri tamquam in Suprema Capita, quod eſt contra illum Fidei Articulum: *Credo in unam Sanctam Eccleſiam Catholicam &c.* Alio modo Schiſma, ſivè Schiſmaticus ſumi poteſt largo quodam modo, pro eo, qui licet credat unitatem Eccleſiæ, & unum eſſe illius Caput; tamen illi ſubiici non vult, ſed ſit inobediens, & rebellis, ejuſque præceptis reſiſtit cum contumacia.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 5. Titulo 8.

In hoc ergo cap., quod incipit. *Ad ſuccidendos &c.* ex Bonifacio VIII., ſtatuitur, quòd qui contra Eccleſiam, & Romanum Pontificem in ſuperbiam elatus præſumpſerit rebellare, ejus mandatis non obediendo, imo ejus præceptis reſiſtendo, eaque ſpernendo, ejuſque electionem, & legitimam Pontificatus poſſeſſionem impugnando, tamquam Schiſmaticus ab Eccleſia eſt habendus, & tamquam talis omnibus pœnis Schiſmaticis debitis eſt condemnandus, ſcilicet, excommunicatione, & privatione omnium Bonorum tàm Spiritualium, quàm Temporalium. Undè cum Iacobus, & Petrus de Columna ejus Nepos, olim S. R. E. Cardinales, in hujuſmodi delicta inciderint, licèt aliàs moniti, & paternè expectati, numquam reſipuerint, ſed in pejus præcipitantes contra authoritatem ejuſdem Pontificis contumaces extiterint: ideò tales declarat Schiſmaticos, & ut Schiſmaticos privat Cardinalatus honore, omnique alio Beneficio tàm Eccleſiaſtico, quàm temporali, eoſque, & eorum Conſanguineos ex eàdem familia deſcendentes declarat perpetuò ad ea inhabiles, eoſque tamquàm excommunicatos, & Eccleſiæ Rebelles, ſtatuit eſſe ab omnibus fugiendos, damnando eàdem excommunicatione Papæ reſervatâ eorum fautores, defenſores, & receptatores. Quæ pœnæ pro ſimilibus exceſſibus erunt ſimiliter impoſterum Schiſmaticis infligendæ, ut Schiſmaticorum audacia, ad exemplum aliorum, condignè reprimatur. Videatur D. Thom. 2. 2. quæſt. 39. Art. 4. in corp. ubi ſic ait: *Dicendum, quòd per quæ peccat quis, per ea debet puniri, ut dicitur Sapientiæ 11. Schiſmaticus autem in duobus peccat. In uno quidem, quia ſeparat ſe à communione membrorum Eccleſiæ, & quantum ad hoc conveniens pœna Schiſmaticorum eſt, ut excommunicentur. In alio verò, quia ſubdi recuſant Capiti Eccleſiæ, & ideo, quia coerceri nolunt per ſpiritualem poteſtatem Eccleſiæ, juſtum eſt, ut poteſtate temporali coerceantur.* Legatur per totam quæſtionem.

TITULUS IV.

De Homicidio, in tria Capita diſtinctus.

POſtquàm actum eſt ſupra de Hæreticis, & Schiſmaticis, qui contrà Eccleſiam militant: nunc eſt agendum de Homicidio, quò Eccleſiæ membra interimuntur.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 5. Titulo 12.

In

In 1. cap., quod incipit. *Pro humani*, ex Innocentio IV. ſtatuitur, quòd pœnam excommunicationis ſtatim incurrit, qui mandaverit, aliquem ex Chriſtianis per Aſſaſſinos interfici, etiàm fortè morte non ſequutâ: eamdemque pœnam incurrunt eorum Receptores, defenſores, & fautores &c.; taleſque mandantes, aùt interfici facientes per Aſſaſſinos aliquem ex Chriſtianis; & ultra pœnam excommunicationis incurrunt etiam pœnam privationis omnium Bonorum Eccleſiaſticorum, cujuſcumque fuerint dignitatis, & præeminentiæ.

In 2. cap., quod incipit. *Prælatis*, ex Bonifacio VIII., ſtatuitur, quòd abſquè ſcrupulo Irregularitatis poſſunt Clerici tùm Regulares, tùm Sæculares recurrere ad Iudicem ſæcularem contrà ſuos malefactores, & contrà eos conqueri, etiamſi tales pro Maleficiis patratis in Eccleſiaſticos puniri mereantur pœnâ ſanguinis; dummodò tamen tales Eccleſiaſtici Accuſantes ſuos malefactores proteſtentur, quòd pœnam ſanguinis non intendunt: hoc enim non eſt in mortem per ſe influere, ſed ſolum per accidens, & materialiter.

In 3. cap., quod incipit. *Is qui*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi quis mandet alteri, ut percutiat, & verberet aliquem, ſi ex tali percuſſione, aut verberatione ſequatur mors verberati, vel percuſſi, talis mandans eſt reus homicidii, quia mandat actionem periculoſam mortis, & efficitur irregularis: eſt enim tale homicidium voluntarium in cauſa. Videatur D. Thom. 2. 2. quæſt. 64. Art. 4. in corpore ubi ait: *Dicendum, quòd non licet Clericis occidere dupliciter. Primò quidem, quia ſunt electi ad Altaris miniſterium, in quo repræſentatur paſſio Chriſti occiſi, qui cum percuteretur, non repercutiebat, ut dicitur 1. Petr. 2. & ideo non competit, ut Clerici ſint percuſſores, aut occiſores; debent enim Miniſtri ſuum Dominum imitari, ſecundùm illud Eccleſ. 10. ſecundùm judicem Populi, ſic & Miniſtri ejus. Alia ratio eſt, quia Clericis committitur miniſterium novæ legis, in qua non determinatur pœna occiſionis, vel mutilationis corporalis. Et ideo ut ſint idonei Miniſtri novi Teſtamenti, debent à talibus abſtinere*. Legatur per totam quæſtionem, ubi fusè pertractat ea, quæ ad homicidium pertinent.

TITULUS V.

De Uſuris, in duo Cap. diſtinctus.

Dictum eſt in præcedenti Titulo de Homicidio: ſed quia Uſurarius recipiendo Uſuras non ſolum eſt Homicida ſui Ipſius, & propriæ animæ, ſed etiam aliorum, ab eis indebitè extorquendo ſecundum ſanguinem, ſcilicet pecunias ei non juſtè ſolvendas; ideò ponitur præſens Titulus de Uſuris.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 5. Titulo 19.

In 1. cap., quod incipit. *Uſurarum voraginem*, ex Gregorio X. in Generali Concilio Lugdunenſi, ſtatuitur, Decretum Concilii Lateranenſis eſſe ubique per omnes Orbis partes omninò obſervandum, quo præcipitur omnibus Dominis, Principibus, & Univerſitatibus totius Chriſtiani Orbis, ne permittant alienigenas in ſuis Terris, & Dominiis conducere domos ad exercendum Uſuras, vel ad hunc effectum conductas habere, nec alicui particulari liceat prædictas domos locare, ſi tale fœnus prætendant exercere. Et hoc ſub pœna interdicti Univerſitatibus Temporalibus, ſi hoc permittant, quouſque Vſurarios à propriis Terris non expellant; Epiſcopis autem ſub pœna ſuſpenſionis; inferioribus vero Eccleſiaſticis ſub pœna excommunicationis. Principibus vero Sæcularibus ſub pœna quidèm excommunicationis non ſtatim incurrendæ, ſi Uſurarios permittant; ſed ſi præmiſsâ admonitione ab Epiſcopo, ipſi non ſtatim Vſurarios expellant à ſuis Terris, poterunt, & debebunt ab Epiſcopo excommunicari. Et hoc propter maximum damnum, quod afferunt Vſurarii, tùm in ſpiritualibus, tùm in temporalibus Chriſti Fidelibus: undè meritò non ſunt tolerandi.

In 2. cap., quod incipit *Quamquàm*

cx

ex eodem, ſtatuitur, quòd manifeſti Uſurarij non debent ſepeliri in loco Sacro, etiàmſi in morte mandaverint Hæredibus, ab eis fieri reſtitutionem iis, à quibus uſuras receperunt. Debent ergò, ut ſepeliantur in loco ſacro, præmittere reſtitutionem Uſurarum, vèl ſaltem dare cautionem idoneam arbitrio Epiſcopi, ut quantocyùs fiat talis reſtitutio. 2. ſtatuitur, quòd Teſtamenta ipſorum, niſi priùs factâ reſtitutione, aùt cautione datâ de reſtituendo, nulla ſunt, nèc licet alicui eis intereſſe, vel ea rogare. Similitèr non licet eos ad confeſſionem admittere, & eos abſolvere, niſi factâ reſtitutione, aùt cautione datâ. Lucrum enìm, quod ex Uſuris percipitur eſt omninò illicitum, & contrà Juſtitiam commutativam, undè neceſſarium eſt illud reſtituere. Sic D. Thomas 2.2. quæſt. 78. art. 3. ubi ait: *Dicendum, quòd res quadam ſunt, quarum uſus eſt ipſa rerum conſumptio, quæ non habent uſufructum ſecundùm jura; & ideò ſi talia fuerint per uſuram extorta, puta, denarij, triticum, vinum, aut aliquid huiuſmodi, non tenetur homo ad reſtituendum, niſi id, quod accepit, quià id quod de tali re eſt acquiſitum, non eſt fructus huiuſmodi rei, ſed humanæ induſtriæ, niſi fortè per detentionem talis rei alter ſit damnificatus, amittendo aliquid de bonis ſuis, tunc enìm tenetur ad recompenſationem nocumenti. Quædam verò res ſunt, quarum uſus non eſt earum conſumptio, & talia habent uſufructum, ſicut domus, & ager, & alia huiuſmodi, & ideo ſi quis domum alterius, vel agrum per uſuram extorſiſſet, non ſolùm teneretur reſtituere domum, vel agrum, ſed etiàm fructus inde perceptos, quià ſunt fructus rerum, quarum alius eſt dominus, & ideò ei debentur.* Legatur per totam quæſtionem.

TITULUS VI.

De Exceſſibus Prælatorum, & Subditorum, unico cap. comprehenſus.

Quià in ſuperioribus Titulis aliqua dicta ſunt de delictis Clericorum Subditorum: nunc aliquid brevitèr dicendum eſt de delictis, in quæ incidunt aliquandò Prælati, & Superiores.

Agitur de hac materia in Decretalibus libro 5. Titulo 31.

In hoc ergo cap. quod incipit *Cùm ex eo* ex Bonifacio VIII., ſtatuitur, quòd Mendicantes non poſſunt acquirere nova loca ad habitandum in Civitatibus, nèc jam acquiſita dimittere, alienare, vendere, aut commutare ſine expreſſa licentia Romani Pontificis, qui hoc concedat cum clauſula derogatoria præſentis Decretalis: aliàs totum ſit irritum, & inane, & hoc propter frequentes inquietitudines, iurgia, & ſcandala, quæ ex his oriuntur inter Eccleſias Parochiales, & Mendicantes. Hæc tamèn prohibitio ceſſat, ſi Mendicantes acquirant nova loca in Campeſtribus, ſiuè locis ſylveſtribus prò hæremiticâ vitâ ducenda, quæ acquiri poſſunt de licentia ſuorum Superiorum; hæc enim loca nullas afferunt lites. Videatur D. Thom. 2. 2. quæſt. 185. ubi per octo Articulos agit de iis, quæ ſpectant ad Prælatos, & Epiſcopos, ex quibus elucidantur, quæ in hoc titulo continentur.

TITULUS VII.

De Privilegijs, in duodecim Capita diſtinctus.

Dictum eſt in præcedenti Titulo de exceſſibus Prælatorum: & quià frequentèr accidit, quòd Subditi proptèr exceſſus Prælatorum nimis gravati recurrunt ad Sedem Apoſtolicam prò obtinendo Privilegio exemptionis; ideo immediate ſubnectitur Titulus de Privilegiis, in quo Titulo, occaſione Privilegii exemptionis tractatur etiàm de aliis Privilegiis.

Agitur

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 5. Titulo 33.

In 1. cap., quod incipit *Volentes* ex Innocentio IV. in Concilio Generali Lugdunenſi, ſtatuitur, exemptos, aut Privilegiatos per Sedem Apoſtolicam, non poſſe conveniri, vèl puniri, vèl compelli niſi à propriis Judicibus, ut ſunt Mendicantes reſpectu ſuorum Superiorum; hoc tamen non obſtante, eos poſſe conveniri ab Ordinariis, & puniri ratione delicti, ſi delictum ab eis fuerit commiſſum extra locum exemptum, ſcilicèt extrà ſepta Monaſterii. Similitèr eoſdem poſſe conveniri ab Ordinariis ratione Contractus, ſi contractus fuerit initus extrà locum exemptum, vel res, de qua eſt lis, ſit extrà ſepta Monaſterii privilegiati. In his enim caſibus, licèt tales Privilegiati ſint exempti ratione domicilii, pendent tamen à Judicio Epiſcopi ratione delicti, aut contractus, aut rei litigioſæ, ſi hæc contingat extrà loca exempta. Ulterius ſtatuitur, quòd Monachi exempti non poſſunt ſuſpendi, interdici, aut excommunicari niſi à propriis Superioribus; ſuſpendi tamen interdici, & excommunicari poterunt ab Epiſcopo, ſi tales Monachi exiſtant in Monaſteriis, quæ ſunt Prioralia, ſuprà quæ habet Juriſdictio Epiſcopus: nàm tale Privilegium conceditur Monachis exiſtentibus in Monaſteriis Abbatialibus, quæ à Jurisdictione Epiſcopi ſunt exempta.

In 2. cap., quod incipit *Cum de diverſis* ex eodem, ſtatuitur, quòd multùm conveniens eſt, quòd ſit in Urbe Roma Studium Generale Juris, tùm Civilis, tùm Canonici pro commoditate, & profectu eorum, qui ad Urbem accedunt: unde per præfatum Pontificem conſtituitur Romæ Studium Generale cùm omnibus gratiis, & Privilegiis, quibus gaudent cœtera Srudia Generalia, ſeu Univerſitates, taliter quòd ibidem Studentes, licèt Eccleſiaſtici, poſſint ſuos proventus integrè recipere pro tempore, quo eis conceditur abſentia ab Eccleſia ratione ſtudiorum, quibus ſtudiis completis poterunt ibidem laureari.

In 3. cap. quod incipit. *Abbates*, ex Alexandro IV. ſtatuitur, quòd Privilegium Apoſtolicum conceſſum Abbatibus impartiendi benedictionem ſolemnem Populo, intelligitur, ut illam poſſint conferre tantummodò in propriis Eccleſiis, ſeu Cappellis ab eis poſſeſſis pleno jure, & non extra, ſcilicet in via, nec in Caſtris, ſeu Villis, ſicut faciunt Epiſcopi. Similiter talem benedictionem ſolemnem poſſunt impartiri Populo in Officio ſolemni, ſcilicet poſt Laudes, poſt Miſſam, & poſt Veſperas. Cùm enim benedicere ſolemnirer Populo ſit proprium Epiſcoporum, tale Privilegium conceſſum Abbatibus eſt ſtrictè interpretandum: ſicut & Privilegium conceſſum Abbatibus conferendi primam Tonſuram, ſolùm intelligitur reſpectu eorum, qui Monachalem habitum induunt, & profeſſionem emittunt.

In 4. cap. quod incipit. *Authoritate*, ex eodem, ſtatuitur, quòd exempti, ut Mendicantes, in locis non exemptis conſtituere non poſſunt Oratoria, vel Cappellas ſine Diœceſanorum licentiâ; alias à Diœceſanis puniri poſſunt, & interdici. In locis verò exemptis nova Oratoria, & Cappellas publicas non poſſunt conſtruere ſine licentia Papæ, ſi aliàs ad hoc non habeant ſpeciale Privilegium. Secundò ſtatuitur, quòd exempti, non poſſunt ratione exemptionis ad ſe avocare cauſas proprias ſuorum liberorum hominum, etiamſi illi ſint ſui Cenſuales: quia Privilegium exemptionis non extenditur ad Colonos, ſeu Cenſuales exemptorum; cùm tales ſint liberi, non ſervi, habeantque cauſas proprias, quarum commodum, ſeu intereſſe ſpectat ad ipſos, & non ad exemptos: unde à propriis Judicibus debent judicari.

In 5. cap. quod incipit. *Ne aliqui*, ex Clemente IV. ſtatuitur, quòd Privilegium Papæ conceſſum alicui Perſonæ particulari, ne ſcilicet poſſit excommunicari, ſuſpendi, aut interdici, non eſt extendendum ad ſententias Ordinariorum, niſi hoc exprimatur; unde poterit Ordinarius talem Perſonam particularem ſic privilegiatam excommunicare, ſuſpendere, vel interdicere juſtis ex cauſis: ſecùs ſi tale Privilegium fuiſſet à Papa conceſſum alicui Communitati, puta alicui Ordini, aut loco Religioſo; tales enim Mo-

nachi

nachi illius Religionis, ſeu Monaſterii non poterunt, nec etiam ab Epiſcopo excommunicari, ſuſpendi, aut interdici: & ratio diverſitatis eſt, quia primum Privilegium utpotè ſingulari Perſonæ conceſſum, eſt reſtringendum; ſecus Privilegium conceſſum Communitati. Si autèm ſimile Privilegium conceſſum ſit Regibus, eorumque Filiis, & Fratribus, licet hæ Perſonæ ſint particulares; tamen ratione dignitatis eſt amplè interpretandum, ne ſcilicet poſſint ab Ordinario Cenſuris puniri.

In 6. cap. quod incipit. *Ut Apoſtolicæ*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Abbates, & alii inferiores Prælati, quibus tantùm ex Privilegio Sedis Apoſtolicæ fuit conceſſus uſus Pontificalium, Mitræ, Baculi, Paſtoralis, Anuli, & Sandalium, ſi interveniant in Concilio Provinciali, aut in Synodo Epiſcopali, & ſint exempti, & immediatè ſubjecti Sedi Apoſtolicæ, poſſunt uti in tali occaſione Mitrâ aurifriſiatâ, non tamen quæ aureas, aut argenteas laminas, vel gemmas habeat: ſi autem non ſint exempti, debebunt tantum uti Mitrâ ſimplici albâ. Et hoc ad denotandam differentiam dignitatum, & ut non æquiparentur Epiſcopis. In aliis verò locis exemptis, & non exemptis poterunt uti Mitris totiès, & eo modo quo eis permittunt Privilegia ab Apoſtolica Sede conceſſa.

In 7. cap. quod incipit. *Cum Perſonæ*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd qui allegat Apoſtolicum Privilegium exemptionis à Juriſdictione Epiſcopi, tenetur tale Privilegium oſtendere Epiſcopo, vel illis, qui ab Epiſcopo deputantur ad hunc effectum; qui autem abſquè allegatione Privilegii probat præſcriptionem, tenetur ſimiliter coram Epiſcopo, vel ab eo deputatis perſonis, probare talem præſcriptionem ab ejus authoritate, & Juriſdictione eſſe legitimam, fuiſſe incæptam, & continuatam ſemper bonâ fide per totum tempus neceſſarium ad legitimam præſcriptionem. Qui autem utrumque allegat, ſcilicet Privilegium, & inſimul legitimam præſcriptionem, tenetur per Teſtes utrumque legitimè probare: quibus non probatis, poſſeſſio ſtat pro Juriſdictione Ordinarii, quæ de jure communi ad omnes Eccleſiaſticos ſuæ Diœceſis ſe extendit.

In 8. cap. quod incipit. *Epiſcoporum*, ex eodem ſtatuitur; quòd Regulares, ſeu Sæculares Sacerdotes, qui gaudent Privilegio exemptionis à Sede Apoſtolica, ſi ſcienter celebrent, vel celebrare faciant publicè in Civitatibus, & locis interdictis, vel excommunicatos, vel interdictos publicè ad Divina Officia, & Sacramenta, vel ad Sepulturam admittant, ultra alias pœnas alibi expreſſas, incurrunt Interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ per hanc Decretalem. Verumtamen eſt, quòd exempti, ut Regulares, poſſunt tempore Interdicti, januis clauſis, non pulſatis campanis, & ſubmiſsâ voce, ejectis excommunicatis, & interdictis, in propriis Eccleſiis celebrare Divina Officia. Hoc enim conceditur ex vi Privilegii.

In 9. cap. quod incipit. *Per exemptionem*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi à Papa eximitur aliqua Eccleſia à juriſdictione Epiſcopi, per tale Perivilegium dicuntur exempti omnes Miniſtri talis Eccleſiæ, vel Religioſi talis Monaſterii; quia talis exemptio non eſt ſolùm localis, ſed etiam realis, unde extenditur ad Perſonas ad talem Eccleſiam ſpectantes; non tamen extenditur ad Parochum illius Eccleſiæ, nec ad Parochianos ejuſdem, quia Parochus, quatenùs eſt talis, pendet à juriſdictione Epiſcopi, ad quem ſpectat ejus approbatio, & facultas ad regendas Oves talis Parochiæ. Si autem Privilegium exemptionis à juriſdictione ſit conceſſum Canonicis alicujus Eccleſiæ, tale Privilegium non extenditur ad Cappellanos, & Clericos illius: ſi autem Clericis ſit conceſſum, extenditur etiam ad Canonicos, & Cappellanos illius Eccleſiæ; quia etiam iſti in favorabilibus veniunt nomine Clericorum Eccleſiæ.

In 10. cap. quod incipit. *Si Papa*, ex eodem, ſtatuitur, quòd non omnia verba Papæ, quæ præſeferunt aliquam formam Privilegii, important exemptionem à juriſdictione Ordinarii; ſed ea tantùm, quæ in diſpoſitione, & aſſertione ex vi verborum expreſsè concedunt ta-

lem exemptionem, Ut ſi Papa aliquos Religioſos commendandos vocet eos Filios Eccleſiæ Romanæ, ſibique dilectos; vel eis concedat, ut non poſſint ab aliis excommunicari, ſuſpendi, aut interdici, non propter hoc dicuntur exempti à juriſdictione Epiſcopi; ſecùs ſi Papa in ſuo Privilegio eos taliter commendaret, ut reciperet illos in Filios, Eccleſiæ Romanæ immediatè ſubjectos, eximendo eos à juriſdictione Ordinarii, aut præcipiendo, quòd in ſignum libertatis exemptionis eis collatæ ſolvant quotannis aliquod Tributum Romanæ Eccleſiæ, tunc enim exprimeretur mens Pontificis concedentis exemptionem. Igitur in interpretatione Privilegiorum, ad videndum, quæ inferant exemptionem, & quæ non, attendenda ſunt verba ipſa aſſertiva Summi Pontificis, in quibus ſi exprimatur exemptio, vel libertas à juriſdictione Ordinarii, ſunt Privilegia exemptiva; ſecùs ſi hoc non exprimant; Privilegia enim debent ſtrictè interpretari, cùm ſint contra jus commune.

In 11. cap. quod incipit, *Licet vobis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd illi, qui à Sede Apoſtolicâ obtinuerunt Privilegium, ut tempore interdicti januis clauſis, non pulſatis campanis, excluſis excommunicatis, & interdictis, ſubmiſsâ voce, poſſint in propriis Eccleſiis celebrare Divina Officia, extraneos non poſſunt admittere; ſi autem ſingularis perſona fuerit taliter privilegiata, ut poſſit admitti; in tali caſu poterunt admitti tantùm ejus Familiares neceſſarii, ut ſunt Servi: ſecùs dicendum eſt de Familiaribus Conventuum exemptorum, ad quos non ſe extendit tale Privilegium, ſed tantùm ad eos, qui ſunt propriè de Familiâ ibidem commorantes; eos verò, qui culpâ ſuâ, vel conſilio, aut favore dederunt cauſam Interdicto; eſtò aliàs eſſent privilegiati, nullatenus admittere poſſunt.

In 12. cap. quod incipit. *Quoniam*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Epiſcopis, aliiſque majoribus dignitatibus ex Privilegio Sedis Apoſtolicæ eſt licitum celebrare, vel facere celebrare coram ſe, ſuiſque Familiaribus in Altari Viatico, cùm pluries contingat in itinere, & viſitatione ſuarum Diœceſum non habere commoditatem celebrandi in Eccleſiâ, & aliàs non ſit decens, ut Epiſcopus non celebret, vel ſaltem non audiat Miſſam quotidiè; unde per hanc Decretalem conceditur Privilegium utendi Altari portatili. Legatur S. Th. 1. 2. qu. 96. de Poteſtate legis humanæ per totam quæſtionem, & præcipuè art. 1. ad 2. ubi ſic habet: *Sunt enim quædam, quæ ſimpliciter in communi ponuntur, & hæc ſunt Leges communes &c. quædam verò ſunt, quæ ſunt communia quantum ad aliquid, & ſingularia quantùm ad aliquid, & hujuſmodi dicuntur Privilegia, quaſi leges privatæ, quia reſpiciunt ſingulares Perſonas &c.*

TITULUS VIII.

De Injuriis, & Damno dato unico capite comprehenſus.

POſtquàm dictum eſt in præcedentibus Titulis de criminibus, & delictis publicis; nunc eſt agendum de delictis, & offenſionibus privatis, quibus unus alterum offendit, eique damnum infert.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 5. tit. 36.

In hoc ergo cap. quod incipit. *Et ſi pignorationes*, ex Gregorio X. in Concilio Lugdunenſi, ſtatuitur, pignorationes, ſeu, ut vulgò dicitur, repræſalias concedendas, vel conceſſas à Principibus, vel Magiſtratibus, non eſſe extendendas ad Perſonas Eccleſiaſticas, nec contra eorum bona; hæc enim ſunt immunia ab hujuſmodi oneribus. Qui autem contrafecerit, ſi eſt Perſona particularis, puta Princeps, aut Rex, incurrit excommunicationem; ſi autem Univerſitas, aut Magiſtratus incurrunt interdictum, niſi infra menſem revocent talem extenſionem ad Eccleſiaſticos. Legatur S. Th. ad Rom. 13. lect. 1. ubi ait; *Et ideo cùm Principes noſtri ſuo regimine Deo miniſtrent, à Populo debent tributa ſuſcipere, quaſi ſtipendia ſui Miniſterii &c.* & infra ſubdit: *Ab hoc tamen debito liberi ſunt Clerici ex Privilegio Principum, quod quidem æquita-*

tem

tem naturalem habet; unde etiam apud Gentiles liberi erant à tributis illi, qui vacabant rebus Divinis, legitur enim Gen. 47. quòd Joſeph ſubjecit Pharaoni totam terram Ægypti præter terram Sacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis, quibus, & ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebātur; & infra dicitur, quòd in univerſa terra Ægypti quinta pars ſolvitur, abſque terra Sacerdotali; quæ libera erat ab hac conditione; hoc autem ideo æquum eſt, quia ſicut Reges ſollicitudinem habens de bono publico in bonis temporalibus, ita Miniſtri Dei in Spiritualibus; & ſic per hoc, quòd Deo in Spiritualibus Miniſtrant, recompenſant Regi, quòd pro eorum pace laborant.

TITULUS IX.

De Pœnis in quinque cap. diſtinctus.

Dictum eſt in præcedentibus Titulis de Delictis tùm publicis, tùm privatis: nunc ſequitur agendum de Pœnis; pœnæ enim delictis correſpondere debent.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 5. tit. 37.

In 1. cap. quod incipit. *Romana Eccleſia*, ex Innocentio IV. ſtatuitur, quòd Archiepiſcopus viſitans Provinciam ſuam, aut mittens Miniſtros ad convocandum Suffraganeos ad Concilium Provinciale, ſi ipſe, aut aliquis ex ſuis Miniſtris paſſus ſit injuriam, aut damnum à Subditis ſuffraganeorum, ſecundùm jus antiquum poterat ipſe Archiepiſcopus per ſe punire tales injuriantes, ſeu damnificantes, ſi propter hoc ejus juriſdictio impediebatur: nunc verò jure novo poterit idem Archiepiſcopus eos punire ex proprio officio, etiamſi per tales injurias, & damna non fuerit impedita, nec turbata ejus juriſdictio; cùm ad id habeat ſufficientem authoritatem, cùm injuria facta Miniſtro, aut Servo Miniſterium Domini exercenti, videatur facta ipſi Domino; unde ad ipſum ſpectat hujuſmodi Reos punire.

In 2. cap. quod incipit. *Degradatio*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quòd Degradatio, quæ nihil aliud eſt, quàm expoliatio, vel exauthorizatio graduum Eccleſiaſticorum, quos quis recepit ab Eccleſia, non tamen quoad characterem, quia hic eſt indelebilis, ſed quoad exercitium; fieri debet à proprio Epiſcopo per expoliationem veſtimentorum, vaſorum, librorum &c. quos quis recepit in ſuſceptione ordinum, quos talis degradandus habet. Fit enim ad inſtar, & ad eum modum, quo exauthorizantur milites cùm propter grave delictum privantur Inſigniis militaribus, & tamquàm infames rejiciuntur à Militia. Degradatio autem eſt duplex, alia purè verbalis, cùm ſcilicet propter aliquod delictum quis deponitur ab exercitio Ordinum, & declaratur ſuſpenſus, vel irregularis, quæ pœna imponi poteſt à ſolo Epiſcopo, & ab eodem poteſt remitti, & condonari: alia degradatio dicitur realis, & effectiva, quæ ex Sacris Canonibus jure antiquo fieri debet à proprio quidem Epiſcopo, ſed in præſentia aliorum, taliter quòd ad degradandum Epiſcopum, duodecim Epiſcopi ſint præſentes, ad degradandum Sacerdotem ſex, ad degradandum Diaconum, aut Subdiaconum ad minus tres; ad degradandum verò exiſtentem in Minoribus Ordinibus ſufficit præſentia proprii Epiſcopi, aut ejus Vicarii Generalis cùm aſſiſtentia aliquorum Sacerdotum. Hoc fuit ex jure antiquo, cæterùm ex jure novo Concilii Tridentini ſeſſ. de Reformatione cap. 4. ad degradandum etiam Sacerdotem, ſufficit præſentia proprii Epiſcopi, aut alterius Epiſcopi ab eo deputati cùm aſſiſtentia quinque, vel ſex Abbatum habentium ex Privilegio uſum Pontificalium; vel ſi tales facilè inveniri non poſſunt in ea Civitate, ſufficient totidem Doctores, & Perſonæ digniores in Sacra Theologia. Verba autem, quibus Epiſcopus degradans in degradando Reum uti debet, ſunt iſta: *Auferimus à te poteſtatem conſecrandi, vel miniſtrandi &c.* auferendo ab eo vaſa, veſtes ſacras, librum &c. uſquè ad raſuram capitis; itaut nullum appareat veſtigium Ordinis Clericalis, ſicque degradatus manet expoliatus omni Privilegio tùm Fori, tùm Canonis, ac proinde poterit conſignari brachio Sæculari, ut puniatur.

In

In 3. cap., quod incipit. *Quamvis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd licèt Carcer de Iure Civili ſit introductus ad cuſtodiam Reorum pendente accuſatione, non ad eorum pœnam: tamen ex Iure Canonico poteſt Iudex Eccleſiaſticus Clericum jàm convictum, vel confeſſum de crimine patrato ipſum damnare ad Carcerem perpetuum, vel ad tempus juxta gravitatem delicti. Ratio eſt, quià Iudex Eccleſiaſticus, cùm non habeat poteſtatem ſanguinis, poteſt ex rationabili cauſa mortis pœnam commutare in carcerem perpetuum, vel ad tempus.

In 4. cap., quod incipit, *Ubicumque*, ex eodem, ſtatuitur, quòd pœna, quæ imponitur alicui Reo, & ejus Poſteris, ut privatio Nobilitatis, infamia &c. non extendi debet ad Poſteros lineæ fœmininæ, ſed tantùm ad Poſteros lineæ Maſculinæ: nàm ſicut Filii per rectam lineam deſcendentes nobilitantur radiis Patrum, ſicùt & Uxores radiis Maritorum, ità Filii alicujus criminoſi, qui condemnatus eſt non ſolùm in ſe, ſed in ſua poſteritate, ignobilitantur proptèr delictum Patris, vel Avi &c. Deſcendentes verò ex Filiabus talem non ſubeunt pœnam, niſi in Iure, vel per ſententiam Iudicis hoc fuerit expreſſum.

In 5. cap., quod incipit, *Fœlicis*, ex eodem, ſtatuitur, hoſtiliter inſequentes, percutientes, incarcerantes, aut invitos detinentes aliquem, vel aliquos S. R. E. Cardinalium, graviſſimis pœnis eſſe puniendos. Primò pœna perpetuæ infamiæ, & confiſcationis omnium Bonorum, eoquòd committant crimen læſæ Majeſtatis, quod crimen incurritur non ſolùm ab eo, qui committit in Principem, ſed etiam qui committit in ejus Conſiliarios, & Aſſiſtentes, ut ſunt Cardinales reſpectu Papæ. Secundò efficiuntur inteſtabiles tàm activè, quàm paſſivè: non enim poſſunt nec teſtari, nèc de aliorum Teſtamentis participare. Tertiò, eorum Domus, vel habitationes debent funditus deſtrui, nèc ampliùs reædificari. Quartò, eorum Debitores non tenentur eis debita perſolvere. Quintò, ſi aliàs habeant aliquod Beneficium Eccleſiaſticum, vel aliquis eorum habeat Filium, aùt Nepotem habentem ſimilia Beneficia, non ſolum ipſi principales, ſed eorum Filii, & Nepotes ipſo facto ſunt tali Beneficio privati; etiamſi eſſet Beneficium Dignitatis, ut Epiſcopus. Et hoc in odium Patris, vel Patrui, & inſuper redduntur incapaces cujuſcumque alterius Beneficii obtinendi. Sextò. Tales, & eorum Filii, & Nepotes ex recta linea ſunt etiam incapaces Officiorum Publicorum etiam Sæcularium tamquàm infames. Septimò. Tales inſequentes, vel detinentes &c. eo ipſo incurrunt excommunicationem, à qua non poſſunt abſolvi, niſi ab ipſo Papa, excepto mortis articulo, & tunc cum debitâ cautione ſatisfaciendi, & pœnitentiam agendi. Octavò. extenduntur hujuſmodi pœnæ, proportionabiliter tamen, ad eos, qui purè dant conſilium, aut favorem, ut tales detineant, vel inſequantur Cardinales; imò etiàm in eos qui hoſtilitèr inſequuntur, incarcerant, percutiunt, aùt occidunt familiares Domini Papæ, aùt S. R. E. Cardinalium, ſi hoc fecerint in odium, ſeu vindictam Papæ, vel Cardinalium; ſunt enim ſpecialibus pœnis mulctandi. Nonò. Tales pœnas aggravat, & ſeveriores pronunciat contrà occidentes S. R. E. Cardinales, quos præcipit etiam eſſe puniendos à Magiſtratibus juxtà leges Civiles, taleſque Magiſtratus Sæculares obligat ad ſervandam, & executioni mandandam præſentem Conſtitutionem ſub pœna excommunicationis ipſis Principibus Sæcularibus, & ſub pœna Interdicti ipſis Civitatibus, ſi infrà menſem à notitia delicti non puniverint delinquentes. Ultimò tandem ſtatuit, in loco, ubi commiſſum eſt crimen occiſionis Cardinalis, qualibet Dominica inter Miſſarum ſolemnia eſſe promulgandam ſententiam excommunicationis in omnibus Eccleſiis contrà tales ſacrilegos: qui ſi ad pœnitentiam velint redire, eos Mater Eccleſia miſericorditer recipiet, ſed præmiſſa debita, & congrua pœnitentia prò tanto facinore commiſſo juxtà tenorem Sacrorum Canonum, qui tùm in præſenti, tùm in Conſtitutione Honorii Papæ III. in hac materia adducuntur, ut videre eſt in Textu.

Ti-

TITULUS X.

De Pœnitentiis, & Remiſſionibus in tria capita diſtinctus.

POſtquàm in ſuperiori Titulo actum eſt de pœnis imponendis in Foro Judiciali; nunc eſt agendum de Pœnitentiis, quæ imponuntur in Foro Pænitentiali, quę Pænitentiæ, licèt in Primitiva Eccleſia eſſent determinatæ, talitèr quod prò quolibet mortali Confeſſor teneretur dare pęnitentiam 7. annorum; tamèn Jure novo relinquitur arbitrio Confeſſarii, qui debet imponere pænitentias in Sacramentalibus Confeſſionibus, tùm ſalutares, tùm præſervativas, & medicinales, magis, vel minùs graves proportionalitèr ad crimina perpetrata judicio prudentis, & diſcreti Viri.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 5. Titulo 38.

In 1. cap., quod incipit *Romana Eccleſia* ex Innocentio IV., ſtatuitur, quòd ſi Archiepiſcopus alicujus Provinciæ indigens eleæmoſynis prò conſtruenda, vel reſarcienda propria Eccleſia Cathedrali, mittat Quæſtores per Diæceſes Suffraganeorum ad eas colligendas; tales Quæſtores cùm licentia Epiſcopi poſſunt quidèm monere, & horrari Fideles illius Provinciæ ad porrigendas manus adjutrices tali Fabricæ, non tamèn poſſunt eos compellere citando, aùt pœnam imponendo, quià Archiepiſcopus in tali caſu non habet Juriſdictionem in Foro contentioſo ſupra Subditos ſuorum Suffraganeorum. Poterit tamen hujuſmodi porrigentibus eleæmoſynam ad tale opus pium elargiri Indulgentias 40. dierum, juxtà Statutum Concilii Generalis Lateranenſis, ut conceditur Epiſcopis.

In 2. cap., quod incipit *Si Epiſcopus* ex Bonifacio VIII., ſtatuitur, quòd impetrans à Papa, vel ab Epiſcopo facultatem eligendi ſibi Confeſſarium idoneum, quem voluerit, à quo poſſit abſolvi ab omnibus peccatis; non propter hoc poteſt ab eo abſolvi à peccatis reſervatis Papæ, aut Epiſcopo, niſi hoc expreſsè ponatur in conceſſione. Nàm per illam generalem conceſſionem non veniunt conceſſa ea, quæ quis eſſet veroſimiliter negaturus: unde requiritur particularis expreſſio, ut talis Confeſſor poſſit abſolvere à reſervatis. 2. ſtatuitur, quòd nulla conſuetudine introduci poteſt, quod quis poſſit ſibi eligere Confeſſorem, quem voluerit, ſi aliàs teneatur confiteri proprio Parocho, ut de Jure communi antiquitus tenebantur Fideles, aliàs eorum confeſsio erat nulla.

In 3. cap. quod incipit *Indulgentiæ* ex eodem ſtatuitur, quòd Indulgentiæ conceſſæ ab uno, vel pluribus Epiſcopis in Eccleſiarum Dedicationibus iis, qui viſitant tales Eccleſias, vel manus adjutrices porrigunt prò earum ornamentis, non valent, ſi tales Indulgentiæ excedant Statutum Concilii Generalis Lateranenſis ſub Innocentio III., quo cavetur, ne Epiſcopi, ſeu Archiepiſcopi in Dedicatione Eccleſiarum poſsint concedere Indulgentias pluſquàm unius anni: in aliis verò caſibus ſolùm concedere poſſunt Indulgentias 40. dierum. Quòd ſi Epiſcopi in hoc excedant, non valent tales Indulgentiæ, ſaltem quò ad id in quo excedunt, ut dicit Panormitanus; licèt Dominicus de Sancto Geminiano teneat eas non valere omninò, quià ſunt contrà Decretum Concilii Generalis. Videatur D. Thomas in ſupplemento 3. par. quæſt. 20. artic. 1. ad 1. ubi ſic habet. *Dicendum, quòd ad abſolutionem à peccato requiritur duplex poteſtas, ſcilicet poteſtas ordinis, & poteſtas Juriſdictionis. Prima quidem poteſtas æqualiter eſt in omnibus Sacerdotibus, non autèm ſecunda, & ideo ubi Dominus Joan. 20. dedit omnibus Apoſtolis communiter poteſtatem remittendi peccata, intelligitur de poteſtate, quæ conſequitur ordinem (unde, & Sacerdotibus, quandò ordinantur illa verba dicuntur) ſed Petro ſingulariter dedit poteſtatem dimittendi peccata, Matth. 16. ut intelligatur, quòd ipſe præ aliis habet poteſtatem juriſdictionis; poteſtas autem ordinis quantùm eſt de ſe ſe extendit ad omnes abſolvendos, & ideo indeterminatè Dominus dicit, quorum remiſeritis peccata, intelligens tamen, quòd uſus illius poteſtatis eſſe deberet, præſuppoſitâ poteſtate Petro collata*

lata

Digitized by Google

lata ſecundùm ipſius ordinationem. Et in ſolutione ad 2. *Dicendum, quòd clavis materialis non poteſt aperire, niſi ſeram propriam, nec aliqua virtus activa poteſt agere niſi in propriam materiam; materia autèm propria poteſtatis ordinis efficitur aliquis per juriſdictionem, & ideo non poteſt aliquis clave uti in eum, in quem juriſdictio non datur*. Legatur per totam quæſtionem.

TITULUS XI.

De Sententia excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti in 24. capita diſtinctus.

QUià in Superioribus Titulis actum eſt de Pœnitentiis, ſeù pœnis, quæ dantur Reis propter crimina commiſſa, ſive dentur à Judice in Foro contentioſo, ſivè à Confeſſario in Foro animæ, ſeù pœnitentiali; cumque Cenſura excommunicationis videatur habere rationem pœnæ, ſpecialiter cum eſt à jure, cum ſopponat delictum, propter quod incurritur, licet poſſit ferri ab homine præcisè ob contumaciam, & inobedientiam: ideò hìc adnectitur Titulus de excommunicatione, & inſimul de ſuſpenſione, & Interdicto, quæ ſimiliter ſunt pœnæ Eccleſiaſticæ, quæ in aliquibus conveniunt cum excommunicatione, & in aliquibus diſſerunt.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 5. Titulo. 39.

In 1. cap. quod incipit. *Cùm medicinalis*, ex Innocentio IV. in Concilio Lugdunenſi ſtatuitur, Iudices Eccleſiaſticos debere eſſe valdè diſcretos, & prudentes in ferenda ſententia excommunicationis contrà ſubditos; debent enim eam ferre in ſcriptis, & non ſufficit, ut eam ore proferant. Secundò debent in tali ſententia exprimere cauſam, propter quam talis reus excommunicatur, ut appareat, an ſit juſta, vel injuſta. Tertiò Reo excommunicato petenti tenetur talis Iudex dare infrà menſem exemplar talis ſententiæ, ut poſſit Reus appellare, ſi velit. Prælatus autem Eccleſiaſticus has conditiones, vel unam ex illis non obſervans, præterquàm reddit nullam talem ſententiam excommunicationis, & à Superiore omninò abſque difficultate annullandam, ipſe eſt puniendus per menſem pœnâ ſuſpenſionis à Divinis, & ab ingreſſu Eccleſiæ, & condemnandus in expenſis: & ſi in tali ſuſpenſione celebret, redditur Irregularis, nec poteſt abſolvi, ſeu diſpenſari niſi à Summo Pontifice. Decet enim, graviſſimam pænam Eccleſiaſticam, qualis eſt excommunicatio non ferri, niſi præviâ, maturâ conſideratione, diſcretione, & judicio.

In 2. cap. quod incipit. *Solet*, ab eodẽ in eodem Concilio, ſtatuitur, eum qui petit abſolvi ad cautelam, aſſerens excommunicationis ſententiam in ſe latam eſſe nullã, eſſe abſolvendum, non obſtante quacumque conſuetudine, niſi probetur infrà octo dies ipſum fuiſſe excommunicatum prò manifeſto delicto; tunc enim non conceditur talis abſolutio ad cautelam, cùm indigeat abſolutione abſolutâ. Qui autèm nititur probare, ſe fuiſſe excommunicatum à Judice inferiori, poſtquàm ipſe appellavit ad Superiorem, in Foro Judiciali erit vitandus tamquàm excommunicatus, quouſque non evidenter probet intentum; quià poſſeſſio ſtat prò excommunicatione: extrà Judicium verò non erit vitandus, nec habebitur, ut excommunicatus, quouſque declaretur à Judice Superiori.

In 3. cap. quod incipit. *Statuimus*, ex eodem in eodem Concilio, ſtatuitur, excommunicationem latam à Judice Eccleſiaſtico contrà aliquem communicantem cùm excommunicato majori excommunicatione in locutione, & ſimilibus, non præmiſſâ canonicâ adminitione, non valere: Cum enim excommunicatio ſit pœna medicinalis, debet eam præcedere paterna, & ſalutaris monitio.

In 4. cap. quod incipit. *Quià*, ex eodem, ſtatuitur, Epiſcopos non incurrere ipſo facto excommunicationem, ſuſpenſionem, aùt Interdictum, niſi in Jure hoc expreſſe habeatur, ſcilicet, *quòd etſi Epiſcopi hoc facientes, ſint eo ipſo excommunicati &c.* Unde Epiſcopus ſi excommunicet ſuum ſubditum oretenùs, vel non expreſsâ cauſâ in ſcriptis, vel non exhi-

bitâ copiâ ſententiæ; licèt talis excommunicatio ſit nulla, ipſe tamen Epiſcopus non incurrit ſuſpenſionem, quià hæc ſuſpenſio non ſe extendit ad Epiſcopos, cùm ibi Epiſcopi non exprimantur.

In 5. cap. quod incipit. *Romana Eccleſia*, ex eodem in eodem Concilio, ſtatuitur. Primò Archiepiſcopos non poſſe relaxare ſententias latas à ſubditis ſuorum Suffraganeorum, puta ab Archidiacono, vel Abbate &c. niſi ubi fuerit conſuetudo in contrarium. Ratio eſt, quia à ſententia Archidiaconi, vel Abbatis appellandum eſt ad Epiſcopum, nec poteſt Archiepiſcopus aſſumere cauſas, quæ immediatè ſpectant ad Epiſcopum, 2. ſtatuitur, Generale ſtatutum Archiepiſcopi non obligare niſi ſubditos ſuæ particularis Diœceſis; ad hoc enim ut comprænhændat omnes ſubditos illius Provinciæ, debet eſſe factum in Concilio Provinciali, & de conſenſu Suffraganeorum, 3. ſtatuitur excommunicationem, vel aliam Cenſuram latam prò præteritis, aut præſentibus culpis eſſe injuſtam, niſi præceſſerit paterna monitio; unde talis ſententia eſt à Superiore revocanda abſquè difficultate, 4. ſtatuitur, prò culpis futuris, puta ſi non ſatisfaciant infrà tale tempus &c. non eſſe ferendam ſententiam excommunicationis, niſi mora, culpa, vel offenſa tales habeant circumſtantias, quòd hoc juſtè requirant, 5. ſtatuitur, quòd excommunicationis ſententia numquàm eſt ferenda in Univerſitatem, aut Collegium, nè ſubiiciant excommunicationi etiam Innocentes, ſed ſolum poſſunt excommunicari Perſonæ particulares, quæ inventæ fuerint culpabiles: Pœna enim in excommunicatis ſupponit culpam.

In 6. cap. quod incipit. *Dilecto*, ex eodem in eodem Concilio ſtatuitur, Prælatum Eccleſiaſticum licitè, & validè ſe poſſe tueri, ſicut & Jura ſuæ Eccleſiæ, Spirituali gladio, ſcilicet Eccleſiaſtica cenſura contra potentiam temporalem. Cenſuræ enim ſunt Jura propria Eccleſiæ.

In 7. cap. quod incipit. *Venerabilibus*, ex eodem ſtatuitur. Primò, quòd Archiepiſcopi non poſſunt abſolvere excommunicatum à Subditis Suffraganeorum; benè tamen poſſunt abſolvere excommunicatum ab ipſis Suffraganeis, vel ab Officialibus eorumdem, ſi talis excommunicatio fuerit injuſta, & excommunicatus appellaverit ad Archiepiſcopum. Ratio hujus eſt, quià Archiepiſcopus non eſt Iudex competens ſubditorum ſuffraganei, ſed ipſemet Suffraganeus, ut dictum eſt ſupra cap. 5. undè ad ipſum, & non ad Metropolitanum eſt recurrendum: ſecùs loquendo de ſententiis ipſorum Suffraganeorum, vel eorum Officialium, ſi injuſtè excommunicati à Suffraganeis appellent ad Metropolitanum; poterit enim eos abſolvere, quià in caſu appellationis eſt Iudex competens Suffraganeorum. 2. ſtatuitur, quòd Archiepiſcopus, ad quem appellavit ſubditus injuſtè excommunicatus à Suffraganeo, ante cauſæ cognitionem debet excommunicatum abſolvere, datâ ab eo cautione de ſtando ſententiæ, & parendo Iuri, ſi aliàs excommunicatio non ſit lata à Suffraganeo pro manifeſta injuria, & offenſa; in tali enim caſu non abſolvitur reus, ſed ei cōceduntur octo dies, infrà quos ſi non probet excommunicationem fuiſſe injuſtam, reiicitur talis appellatio, & confirmatur ſententia Suffraganei. Tertiò, ſtatuitur, quòd excommunicatio lata à Iudice inferiori poſt Appellationem interpoſitam, non ſtatim debet à Superiore pronunciari nulla, quià poteſt dari caſus, quòd Appellatio illa non ſubſiſtat: poterit tamèn dari relaxatio ad cautelam, antequàm cognoſcatur de meritis cauſæ. Et idem dicitur, ſi ſit appellatum à ſententia lata per intolerabilem errorem, & talis error probabiliter defendatur. Quartò, ſtatuitur, quòd ſi Archiepiſcopus cognoſcit excommunicationem latam à Suffraganeo contrà ſuum Subditum eſſe juſtam, debet cauſam remittere Suffraganeo: Si verò cognoſcat eſſa iniuſtam, debet eam iniuſtam declarare, & à tali ſententiâ abſolvere Reum. Si eſt dubium de juſtitiâ, vel iniuſtitiâ ſententiæ, poſſet Reus relaxari, quià non eſt evidens probatio contrà ipſum: honeſtius tamèn eſt, ut ab Archiepiſcopo remittatur Suffraganeo, ut eum abſolvat. Quintò, ſtatuitur, quòd Archiepiſcopus in his caſibus, in quibus poteſt excommunicare, poteſt emen-

emendas pecuniarias exigere, ſi aliàs ſit in hujuſmodi locis conſuetudo, aliàs non.

In 8. cap., quod incipit. *Decernimus*, ex Alexandro IV., ſtatuitur, quòd Judex Eccleſiaſticus tenetur compellere per Cenſuras, prævià tamèn monitione, Judices Sæculares, ut omninò repellant excommunicatos à ſuis Curiis, nèc admittant eos ad agendum, patrocinandum, aut teſtificandum in eis: hujuſmodi enim actus ſunt prohibiti excommunicatis, & nullius valoris.

In 9. cap., quod incipit. *Conſtitutionem*, ex Gregorio X. in Concilio Generali Lugdunenſi, ſtatuitur, quòd ſi Prælatus Eccleſiaſticus velit excommunicare nominatìm participantes cum aliquo à ſe excommunicato majori excommunicatione, ac proindè vitando, poterit quidèm tales participantes cum eo nominatìm excommunicare; ſed ad hoc ut teneat talis excommunicatio, debet præcedere eorum monitio Canonica facta eis nominatìm, nec ſufficit in genere. Monitio autem Canonica debet eſſe trina per diſtinctionem temporis intèr unam, & aliam monitionem, vel poteſt eſſe una pro trina, diſtinguendo in tali monitione ſaltem duos dies pro prima, duos dies pro ſecunda, & duos dies prò tertia; ſicque poſt ſex dies, ſi non reſipiſcant, poterunt excommunicari. In caſu autèm neceſſitatis poteſt unica tantùm admonitio præcedere abſque prorogatione temporis; ut in caſu, quo Prælatus Eccleſiaſticus moneat Raptorem Puellæ, vel alienæ Uxoris, aliàs eum excommunicabit; In tali enim caſu poteſt eum unica monitione monere, ut ſtatim vel infra duas horas eam reſtituat, aliàs excommunicabitur: Et ratio eſt, quia cauſæ neceſſitas non permittit intervalla temporis.

In 10. cap. quod incipit. *Præſenti*, ex eodem ſtatuitur, quòd in Generali Interdicto alicujus Civitatis, vel Collegii non habet locum relaxatio ad cautelam. Licet enim relaxatio ad cautelam habeat locum in excommunicatione, ut ſupra dictum eſt de Iudice, ad quem quis appellat, aſſerens fuiſſe à Iudice inferiori injuſtè excommunicatum, & talis Iudex Superior ante remiſſionem cauſæ ipſum Reum abſolvit ab excommunicatione ad cautelam, ad effectum, ut ille poſſit ſuam cauſam defendere, Teſtes adducere &c. talis tamen abſolutio, vel relaxatio non habet locum in Interdicto Generali, quia qui comprænditur ſub Interdicto generali, poteſt ſe defendere, & ſuam cauſam proſequi abſque relaxatione Interdicti; unde talis relaxatio ad Interdictos non extenditur.

In 11. cap. quod incipit. *Quicumque*, ex eodem ſtatuitur, quòd excommunicatus à Iudice Eccleſiaſtico, ſi mandet ſubditis ſuis, vel Amicis, aut Servis, ut occidant, vel vulnerent, aut hoſtiliter detineant eum, qui ipſum excommunicavit, aut aliquem ex Miniſtris, vel ex ſuis Conſanguineis; vel illis præceperit, aut eos rogaverit, ut damnum in eorum Bonis inferant; ſi re integrâ non revocet tale mandatum, aùt conſilium, eo ipſo in aliam excommunicationem incidit, in qua ſi per duos Menſes perſeveraverit, non poterit abſolvi niſi à Papa; Et idem dicendum eſt de Mandatariis, & executoribus acceptantibus Mandatum. Ad revocandum autem mandatum damnificandi in Bonis datur tempus octo dierum, re tamen integrâ, ſcilicet nullo damno ſecuto. Eamdem pænam extendit ad eos, qui motu proprio in vindictam excommunicationis eadem operantur contra excommunicationem, vel Miniſtros, vel Conſanguineos.

In 12. cap. quod incipit. *Si Judex*, ex Bonifacio VIII. ſtatuitur, quod ſi à Iudice laico ſit captus, & incarceratus aliquis Reus, qui in Iudicio proteſtatur, ſe eſſe Clericum, & ſpectare ad Iudicem Eccleſiaſticum; Deciſio talis controverſiæ ſpectat ad Iudicem Eccleſiaſticum, cùm ſit cauſa ſpiritualis. An autem ſtatim Iudex Laicus debeat iſtum Reum remittere ad Forum Eccleſiaſticum? Reſpondetur cùm diſtinctione; vel enim iſte Reus reputatur Clericus communi fama, & exiſtimatione Populi, & pro Clerico ſe gerebat ante incarcerationem, & in iſto caſu fit ſtatim remiſſio ad Judicem Eccleſiaſticum. Si autem nulla ſint ſigna Clericatus, & ipſe ut laicus ſe habebat, ſæcula.

cularitet vivendo, & tamquàm Laicus ſemper ſit exiſtimatus; in tali caſu non conſtito apud Judicem Eccleſiaſticum de Clericatu, remittitur ad Judicem Laicum, qui contra ipſum non poteſt procedere in cauſa principali, quouſque à Judice Eccleſiaſtico non fuerit deciſum, ipſum non eſſe Clericum, nec gaudere immunitate Fori.

In 13. cap. quod incipit. ***Statutum***, ex eodem, ſtatuitur, quòd non ſolùm excommunicatio major lata à Judice Eccleſiaſtico contra aliquem participantem cùm excommunicato vitando eſt nulla, ſi non præceſſerit canonica admonitio, ut dictum eſt ſuprà ex Gregorio X. ſed nec etiam cenſura ſuſpenſionis, vel Interdicti ligat hujuſmodi participantem, vel participantes, ſi antè tales cenſuras non fuerint canonicè moniti: hæ enim pœnæ feruntur in contumaces, qui ut dicantur tales, debent priùs canonicè moneri.

In 14. cap. quod incipit. ***Licet***, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi quis à ſententiâ interlocutoriâ legitimè appellaverit, ſed per ſuam negligentiam non fuerit proſecutus appellationem, ſicque appellatio efficiatur diſerta; ſi interim Judex, à quo fuit appellatum, cauſam principalem proſequatur, & ferat ſententiam excommunicationis contra eum, qui appellavit, tamquàm contra contumacem, Iſte, licet revera injuſtè excommunicatus, quia excommunicatio lata eſt poſt legitimam appellationem, ac proindè invalidè lata, attamen quia ex propriâ negligentiâ non fuit proſecutus debito tempore appellationem; præſumitur invalidè appellaſſe, ac proinde præſumptione juris, talis excommunicatio præſumitur valida, unde taliter excommunicatus erit vitandus, quouſquè oſtenderit coram Judice excommunicante, ipſum legitimè appellaſſe ad Judicem ad quem: in quo caſu ceſſabit excommunicatio, ut potè lata poſt legitimam appellationem.

In 15. cap. quod incipit. ***Si Clericus***, ex eodem, ſtatuitur, quòd Prælatus, vel Judex Eccleſiaſticus præcipens capi per Birruarios laicos, & per ipſos incarcerari aliquem Clericum, etiamſi non incorrigibilem, non per hoc incurrit excommunicationem, ſicut nec ipſi Laici capientes, cùm hoc non fiat ſuadente Diabolo, ſed zelo juſtitiæ; ſi autem talis Clericus detentus det Fidejuſſores de parendo juri, poterit è Carcere liberari; ſi aliàs non adſit juſta cauſa eum retinendi.

In 16. cap. quod incipit. ***Si ſententia***, ex eodem, ſtatuitur, quòd in caſu, quo interdicatur Clerus alicujus Civitatis, non per hoc intelligitur interdictus Populus ejuſdem Civitatis, nec è converſo, ſcilicet interdicto Populo intelligitur interdictus Clerus: hæc enim duo ſunt diverſi ſtatus, ſcilicet Clericalis, & Laicalis, unde unum non venit nomine alterius. Si autem Civitas interdicatur propter delictum Principis, aut Gubernatoris, Cives ejuſdem Civitatis, qui non fuerunt culpabiles in tali interdicto, extra prædictam Civitatem poterunt audire Divina, & percipere Sacramenta; ſecùs autem in ea Civitate, quæ ſubjacet Interdicto, niſi in aliquibus diebus in jure expreſſis. In aliis autem diebus tempore Interdicti ſolùm adminiſtrari poſſunt prædictis Laicis Baptiſmus, Confirmatio, & etiam Sacramentum Pœnitentiæ.

In 17. cap. quod incipit. ***Si Civitas***, ex eodem, ſtatuitur, quòd interdictâ Civitate, ſuburbia illius, & ædificia illi adhærentia dicuntur interdicta; ſicut etiam interdictâ Eccleſiâ, cappella contigua, & Cœmeteriũ illi adhærens dicuntur interdicta: nàm acceſſorium ſequitur principale, non tamen è contra.

In 18. cap. quod incipit. ***Is qui***, ex eodem, ſtatuitur, quòd Sacerdos celebrans in Eccleſiâ pollutâ, ſicut etiam celebrans præſente excommunicato vitando, licet mortaliter peccet, & ſit puniendus graviter ab Epiſcopo, non tamen propter hoc incurrit Irregularitatem, quia hoc non eſt expreſſum in jure; Irregularitas autem non incurritur, niſi in jure ſit expreſſa. Sacerdos autem ſcienter celebrans in loco interdicto irregularitatem incurrit, & ſit ineligibilis, & caret voce in electione, nec poteſt abſolvi, vel diſpenſari, niſi authoritate Apoſtolicâ, hoc enim eſt in jure expreſſum.

In 19. cap. quod incipit. ***Quoniam***,

ex eodem, ſtatuitur, quòd etiàm tempore Interdicti, ab Epiſcopo in die Cœnæ debet confici novum Chriſma, vetere combuſto: nàm cùm tempore Interdicti adminiſtrentur hæc duo Sacramenta, ſcilicet Baptiſma, & Sacramentum Confirmationis, & ad hæc requiratur neceſſariò Chriſma, quo a Baptizante ungitur Baptizandus in vertice, & ab Epiſcopo confirmandus in fronte; ideo per Interdictum non eſt prohibitum, renovare Chriſma quolibet anno, cùm non ſit licitum uti Chriſmate veteri.

In 20. cap. quod incipit. *Is cui*, ex eodem, ſtatuitur, quòd Sacerdos ſuſpenſus, vel Interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, ſi durante tali ſuſpenſione, vel Interdicto, de facto Eccleſiam ingrediatur, & ibi celebret Divina, efficitur Irregularis, eo quòd celebret in cenſura, per quam celebrationem incurritur Irregularitas. Similiter ſi idem Sacerdos, eſtò non violaverit cenſuram celebrando, mortuus ſit tempore talis Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, & non pœnituerit, non erit ſepeliendus in loco Sacro, niſi relaxato Interdicto, quod fieri poteſt etiam poſt mortem. Si autèm talis Sacerdos ſuſpenſus, vel Interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ à ſuo Epiſcopo, appellet ad Superiorem, non propter hoc, tempore appellationis, ſuſpenditur talis pœna, ſed perſeverat uſquè ad ſententiam diffinitivam Judicis Superioris: eſt enim appellatio quoad devolutivum, non quoad ſuſpenſivum.

In 21. cap. quod incipit. *Religioſo*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi aliquis Religioſus Clericum Sæcularem percuſſerit, poterit abſolvi ab Epiſcopo illius loci, in iis caſibus, & circumſtantiis, in quibus Epiſcopus poteſt abſolvere Clericum Sæcularem percutientem alium, ſcilicet ſi percuſſio ſit levis, non enormis; ſi ratione infirmitatis, aut paupertatis, aut ex alia legitima cauſa non poteſt ad Urbem accedere. In his caſibus, ſicut Epiſcopus poteſt abſolvere Clericum percutientem alium Clericum, ita poterit abſolvere Religioſum, qui percuſſit Clericum Sæcularem. Extra hos caſus abſolutio ſpectat ad Sedem Apoſtolicam. Secundò ſtatuitur, quòd percutiens Novitium, etiam antè emiſſam profeſſionem, incurrit excommunicationem; quia Novitii etiam in anno probationis gaudent Privilegio Fori, & Canonis, & hoc in favorem Religionis.

In 22. cap. quod incipit. *Eos qui*, ex eodem, ſtatuitur, quòd ſi aliquis pœnitens propter mortis periculum abſolvatur à ſimplici Confeſſario, non habente aliàs authoritatem abſolvendi à cenſuris reſervatis, & ſit abſolutus cùm hac circumſpectione, quòd ſi convaleſcat, ſe præſentabit Confeſſori habenti authoritatem ipſum abſolvendi directè: ſi talis pœnitens convaleſcens non ſe præſentet, cùm commodè poterit, reincidit in caſdem cenſuras, à quibus neceſſariò eſt abſolvendus ab habente authoritatem. Hæ enim abſolutiones dantur ad reincidentiam: & idem eſt dicendum de his, qui ſunt abſoluti cùm obligatione denunciandi.

In 23. cap. quod incipit. *Cùm quis*, ex eodem, ſtatuitur, quòd percuſſio Clerici facta nomine alicujus Tertii, licèt ab illo Tertio non mandata, ſi tamen ab illo Tertio rata habeatur, itaut eam approbet tamquàm factam nomine ſuo, tali Tertio moraliter imputatur, itaut ſit excommunicatus: nam ratihabitionem mandato comparari non eſt dubium; ſecus ſi percuſſio non ſit facta nomine illius.

In 24. cap. quod incipit. *Alma Mater*, ex eodem, ſtatuitur. Primò, quòd tempore Interdicti Sacramentum Pœnitentiæ non ſolùm non eſt negandum exiſtentibus in periculo mortis, ſed nec etiam ſanis, niſi iſti ſint excommunicati, aut dederint occaſionem Interdicto. In quo caſu ut abſolvantur, debent priùs ſatisfacere, prout de jure, vel ſaltem dare debitam cautionem ſatisfaciendi. Secundò ſtatuitur, quòd Eccleſiaſtici etiam tempore Interdicti tenentur Divina Officia in Eccleſiis perſolvere, aliàs non lucrarentur diſtributiones; ſed hujuſmodi Officia debent celebrare januis clauſis, ſubmiſſâ voce, non pulſatis Campanis, & excluſis ab Eccleſia excommunicatis, & interdictis. Tertiò ſtatuitur, quòd quater in anno, tempore Interdicti, ſcilicet in die Nativitatis Domini, in die San-

Sancto Paſchæ, in die Pentecoſtes, & in die Aſſumptionis B. Mariæ Virginis licitum eſt Eccleſiaſticis celebrare Divina, pulſatis Campanis, januis apertis, & cantando, admiſſis etiàm Interdictis, ſed non excommunicatis: dummodò tamèn hi, qui ſunt interdicti, & cauſam dederunt Interdicto, non appropinquent Altari, ſed ſtent à longè pœnitentiam agentes; In reliquis obſervandum eſt Jus antiquum, ut habetur in Decretalibus. Videatur D. Thomas in ſupplem. 3. par. q. 21. de Excommunicatione uſque ad 24. incluſivè, & præcipuè art. 2. quæſtionis 21. in corpore, ubi ait: *Dicendum, quòd Judicium Eccleſiæ conforme debet eſſe Judicio Dei, Deus autèm peccatores multipliciter punit, uno modo flagellis caſtigando, ut ad bonum eos trahat, alio modo hominem ſibi relinquendo, ut auxiliis ſubtractis, quibus à malo præpediebatur, ſuam infirmitatem cognoſcat, & humilis ad Deum redeat, à quo ſuperbus diſceſſerat; Et quantum ad utrumque Eccleſia in excommunicationis ſententia Divinum Judicium imitatur; Inquantùm enim aliquem à communione fidelium ſeparat, ut erubeſcat, imitatur Divinum Judicium, quo per flagella caſtigat, inquantum autèm, à Suffragiis, & aliis ſpiritualibus ſeparat, imitatur Divinum Judicium, quo hominem ſibi relinquit, ut per humilitatem ſe ipſum cognoſcens ad Deum redeat*; & art. 5. quæſtionis ſequentis in corpore ait. *Dicendum, quod excommunicari non debet aliquis, niſi pro peccato mortali; peccatum autem in actu conſiſtit, actus autèm non eſt communitatis, ſed ſingularium perſonarum, ut frequenter, & ideo ſinguli de communitate excommunicari poſſunt, non autem ipſa communitas. Et ſi aliquando etiam actus ſit alicujus totius multitudis, ut quando multi navem trahunt, quam nullus per ſe trahere poſſet, tamen non eſt probabile, quòd aliqua communitas in tota ad malum conſentiat, quin aliqui ſint diſſentientes, & quia non eſt Dei, qui judicat omnem terram, ut condemnet juſtum cùm impio, ut dicitur Geneſ. 18. ideo Eccleſia, quæ Dei Judicium imitari debet, ſatis providè ſtatuit, ut communitas non excommunicetur, ne collectis zizaniis, ſimul eradicetur, & triticum.* Hæc D. Thom.

TITULUS XII.

De Verborum Significatione, in quinque capita diſtinctus.

QUià in ſuperioribus libris, & Titulis, in quibus actum eſt de Judicibus poteſtatem habentibus Ordinariam, aut delegatam, de Judiciis, ſcilicet de modo procedendi in Foro Judiciali Eccleſiaſtico, de honeſtate, & vita Clericorum, itèm de Sponſalibus, & Matrimoniis, & tandem de Pœnis, quibus debent puniri ab Eccleſiaſticis Judicibus delinquentes, quæ omnia Apoſtolicis Conſtitutionibus, & Decretalibus Epiſtolis ſunt ordinata, & comprobata; poſset oriri dubium circà ſignificationem aliquorum verborum, quæ ambiguitatem, ſeu obſcuritatem præſeferunt; ideò ad majorem eorum explicationem adnectitur præſens Titulus de Verborum Significatione.

Agitur de hac materia in Decretalibus lib. 5. Titulo 40.

In 1. cap., quod incipit *Veniens* ex Innocentio IV., ſtatuitur, quòd verba hujus Privilegii, quo Papa recipit aliquos in proprios, & ſpeciales Filios Eccleſiæ Romanæ, non important exemptionem ipſorum à Juriſdictione Ordinarii, niſi hoc exprimatur in tali Privilegio: ſed ſolùm important, quòd tales non poſſint excommunicari, interdici, aut ſuſpendi, niſi à Papa. Similitèr ſi aliquibus detur Privilegium, ut de Terris deſertis non ſolvant Decimas; nomine Terræ deſertæ venit Terra, quæ ab immemorabili non fuit culta, vel ſi culta fuit, non fuit culta à Chriſtianis, ſed ab Infidelibus, quæ Terræ ſi acquirantur à Privilegiatis, & manibus, aut ſumptibus propriis excolantur, non ſubduntur Decimis: ſecùs ſi dentur aliis, ut excolantur.

In 2. cap., quod incipit. *Conſtitutionem* ex Nicolao III., ſtatuitur, quòd in materia electionis idem æſtimatur, ſi opponatur electo, aut eligendo defectus evidens v. g. carentia viſus, ſcientiæ, aut memoriæ &c. ac defectus manifeſtus v. g.

Crimen publicum, & notorium, quod facilè poteſt probari; hæc enim antè confirmationem probari debent, aliàs non excluditur electus ab electione; imò Accuſator ſeverè punitur. Similitèr ſtatuitur, eos dici Conjuratores, & Conſpiratores, qui cùm Juramento, & etiàm ſine eo, conveniunt ſimul de non recipiendo, v. g. in numero Canonicorum aliquem ad Papæ mandatum, & de reſiſtendo Papæ omnibus ſuis viribus. Iſti dicuntur Conjuratores, & Conſpiratores, & tamquàm tales ſunt graviter puniendi; nàm talis reſiſtentia eſt illicita, & deteſtabilis.

In 3. cap., quod incipit *Exiit*, *qui ſeminat*, ex eodem, proponuntur, & reſolvuntur prò quiete conſcientiæ Fratrum Minorum quædam dubia, quæ tunc temporis exorta erant circà intelligentiam aliquorum Præceptorum, ſeu Verborum, quæ ſunt in Regula S. Franciſci.

Quorum primum erat. An Fratres Minores ex vi Regulæ teneantur obſervare non ſolùm omnia præcepta, ſed & omnia conſilia Evangelica, per hoc, quod dicitur in principio Regulæ. *Regula, & vita Fratrum Minorum hæc eſt, ſcilicet Domini Noſtri Jeſu Chriſti Sanctum Evangelium obſervare, vivendo in obedientia, ſinè proprio, & in Caſtitate?*

Secundò. Dubitatum fuit, an liceret Fratribus Minoribus aliquid habere proprium, ſcilicet poſsidere Conventus, Eccleſias, Viridaria, Bibliothecas in eorum domibus, & alia &c. eò quòd dicitur in Regula, quòd *Fratres hujuſmodi nihil ſibi approprient, nèc domum, nèc locum, nèc aliquam rem, non ſolùm in particulari, ſed nèc etiàm in communi?*

Tertium dubium erat. Quomodò poſſint hujuſmodi Religioſi in ſuis neceſſitatibus ſuſtentari, cum ex vi Regulæ ſint incapaces poſſidendi temporalia, tùm in particulari, tùm in communi? Videtur enim, quòd hoc ſit, vel manifeſtè tentare Deum, qui operetur ſemper miracula in eorum conſervatione, vel exponere ſe evidenti periculo moriendi ex neceſſitate, contra Jus naturale.

Quartò dubitatum fuit. Apud quem reſideret dominium, ſeù proprietas earum rerum, quarum uſus hujuſmodi Fratribus conceditur, vel ex eleæmoſynis, vel ex donatione, vel ex liberalitate? cùm enim ipſi ſint incapaces dominii, etiam in communi, & donantes per hujuſmodi dona transferant à ſe dominium illarum rerum, quæritur in quem, vel in quos tale dominium transferatur? Res enim illæ aut mobiles, aut immobiles alicui acquiruntur quoad proprietatem, & alicujus debent eſſe.

Quintum Dubium fuit: An aliquando hujuſmodi Religioſis licitum ſit recipere per ſe, vel per alios pecuniam in caſu neceſſitatis, cùm hoc ſpecialitèr, & cùm præcepto ſit prohibitum in Regula, & aliàs neceſſitas legem non habet?

Sextò dubitabatur, quomodò iſti Religioſi poſſint, & debeant ſe gerere circa ea, quæ ipſis relinquuntur à Teſtatoribus, ſi ſint Bona immobilia?

Septimò Quæſitum fuit: an iſti Religioſi, non obſtante tàm rigoroſà paupertate, poſſint commutare libros, quos habent duplicatos, & alia mobilia ipſis ſuperflua?

Octavò dubitatum fuit: An tales Fratres poſsint habere plures Tunicas, cùm in Regula dicatur, quòd *Fratres tantùm habeant unam Tunicam cum Caputio, & aliam ſinè Caputio?*

Nonum erat dubium: An omnes Fratres Minores tenerentur laborare propriis manibus, cùm in Regula dicatur, quòd *Fratres, quibus Deus dedit gratiam laborandi, laborent fidelitèr, & devotè; ità tamèn quod Orationis fervor, & devotionis ſpiritus non extinguatur?*

Decimò Dubitatum fuit circà ea, quæ in fine vitæ impoſuit Fratribus ſuis B. Franciſcus, ut ſcilicet non gloſſent Regulam, intelligendo eam ſub diverſis ſenſibus, & explicationibus, ſed eam explicent, & intelligant ad literam. Quòd non faciant recurſus ad Sedem Apoſtolicam prò ejus moderatione, & alia quædam, quæ difficilia videntur, ut poſſint exactè obſervari. Et hæc quæ ultimò præcepit S. Franciſcus, ſuum vocavit Teſtamentum. Dubitatum fuit, an ad iſta, quæ compræhenduntur in tali veluti Teſtamento B. Franciſci, teneantur Fratres ex vi Regulæ, itàut peccent ea non obſervando?

vando? Hæc ſunt dubia propoſita Pontifici, quibus ità reſpondit.

Ad primum, quòd Fratres Minores tenentur quidèm ad omnia præcepta Evangelica, & ad tria Conſilia, ſcilicèt ad Obedientiam, Paupertatem, & ad Caſtitatem, non tamèn ad omnia alia Conſilia Evangelica, quæ dicuntur ſupererogationis; & hoc patet ex litera ipſius Regulæ, in qua dicitur *vivendo in Obedientia, ſine proprio, & in Caſtitate.*

Ad ſecundum dicitur, Fratres Minores non habere dominium, ſeu proprietatem, nèc etiàm in communi, rerum, quas habent, ſivè ſint immobiles, ſivè mobiles, ſed ſolùm habere, ſeu poſſidere uſum facti, qui uſus conſiſtit in uſu rei, abſquè illius proprietate, & dominio. Hujuſmodi autèm uſus facti non præjudicat omnimodæ paupertati, cui opponitur proprietas, & dominium, & non uſus ex conſenſu, & licentiâ Superioris: hoc autèm non eſt ſibi aliquid appropriare, ſed frui uſu ſibi conceſſo amovibiliter.

Ad tertium dubium reſpondetur, quòd totalis abdicatio proprietatis, vel dominii, quam profitentur Fratres Minores tùm in communi, tùm in particulari ex præſcripto Regulæ, non efficit eos Tentatores Dei, nec homicidas ſui ipſius: ſic enim ſe ipſos committunt Divinæ Providentiæ in vivendo, ut viam non contemnant proviſionis humanæ. Cùm enim juxtà promiſſum Salvatoris numquàm deficiet Fides Eccleſiæ; hinc eſt, quòd ex his, quæ offeruntur liberaliter, vel de his, quæ mendicantur humiliter, vel de his, quæ acquiruntur laborando, qui triplex vivendi modus in Regula providetur expreſsè, ſufficienter poſſunt ſuſtentari. Dicitur enim in Evangelio: *Primum quærite Regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.*

Ad quartam dubitationem dicitur, quòd dominium Rerum ſivè Immobilium, ſive Mobilium, quas prò uſu facti acquirunt Fratres Minores; reſidet apud Sedem Apoſtolicam, quæ hujuſmodi Fratres recepit in proprios, & ſpeciales Filios cùm omnibus ad ipſos ſpectantibus, ipſis relinquendo uſum facti, & ſibi aſſumendo proprietatem, & dominium.

Ad quintum dicitur, numquàm eſſe licitum Fratribus Minoribus nec per ſe, nec per alios, etiam in propriis neceſſitatibus recipere pecuniam, cum hoc ſit expreſsè prohibitum in Regula. Verum tamen eſt, quod cuilibet Monaſterio aſſignatur à Sede Apoſtolica, aut à Cardinali Protectore, Syndicus, ſeu Procurator laicus, ad quem ſpectat providere in hujuſmodi neceſſitatibus Fratrum, cui poſtea Fratres correſpondent ex his, quæ habent ex eleæmoſynis.

Ad ſextum dicitur, quòd ſi aliquis in Teſtamento reliquit aliquod Bonum immobile, puta Domum, vel Vineam, ad hoc ut ab eis poſſideatur, talis Legati non ſunt capaces; undè debent illud renunciare: Si autèm relinquatur talis res immobilis ad effectum, ut vendatur, & pecunia, indè habita applicetur Fabricæ Conventus, vel Eccleſiæ, aùt neceſſitati Fratrum; poterit tale legatum acceptari à Syndico Apoſtolico, apud quem eſt deponenda pecunia habita ex venditione, ad effectum ut exequatur intentio Teſtatoris.

Ad ſeptimum reſpondetur affirmativè, dummodò talis commutatio fiat cum licentia Superiorum, & in alia Mobilia ſi autem ſint vendenda, hoc fieri non poteſt, niſi per Syndicum Apoſtolicum, & ab eo pecunia inſumenda in neceſſitatibus Fratrum.

Ad octauum dicitur, quòd in tantum præcipitur in Regula, ut habeant tantùm unam Tunicam cum Caputio, & unam ſinè Caputio, ut ex hoc præcludatur omnis ſuperfluitas in veſtibus; cùm hoc tamen ſtat, quòd in Regionibus frigidis, & juxtà circumſtantias perſonarum debent Fratres provideri ſufficienter de veſtibus neceſſariis juxta diſcretionem, & Charitatem Superiorum.

Ad nonum reſpondetur, quòd laborare propriis manibus non eſt ſub præcepto Regulæ omnibus, & ſingulis Fratribus, ſed tantùm illis, qui veniunt ad Religionem prò laborando, & aliis inſerviendo. Alii autem, qui applicantur in Scholis ad effectum legendi, & prædicandi, non tenentur ad laborandum.

Ad 10. dicitur, quòd jam ex Gregorio

gorio IX. tale dubium fuit reſolutum, ſcilicet quòd ea, quæ Beatus Franciſcus in fine vitæ commendavit, & veluti Teſtamentum ipſius fuit receptum, non ſunt præcepta, quæ obligent tamquam ex Regula: quia ea fuerunt tamquam conſilia privatâ authoritate propoſitâ, non capitulari conſenſu mandata ſub præcepto, ac proindè ad ea non tenentur ſub mortali. Cui declarationi Gregorii IX. remittit ſe præſens Pontifex Nicolaus III.

In fine hujus Decretalis Summus Pontifex, poſtquàm præcepit omnibus, & ſingulis Fratribus Minoribus, Regulam Sancti Franciſci circa ea dubia ſic eſſe interprætandam, declarandã, & obſervandã, deinde prohibet ne ſub pœna excommunicationis Papæ reſervatæ aliter interprætandi, & declarandi præfatam Regulam, & dubia, facultate aliqua utantur. Et ſub eâdem prohibet, nè aliquis audeat gloſſare hanc Decretalem, quam dicit eſſe legendam, accipiendam, & obſervandam juxtà ſenſum proprium, & literalem.

In 4. cap., quod incipit. *Privilegium*, ex Bonifacio VIII., ſtatuitur, quòd ſi Papa concedat Privilegium Spirituale, ſcilicet ut non poſſint excommunicari, & ſuſpendi, aliquibus Religioſis commorantibus in Cellis ad contemplandum, & Deo vacandum; ſimùlque concedat, quòd tales Cellæ non poſſint interdici, niſi à Papa, & ejus Legato: nomine Cellarum in tali Privilegio intelliguntur loca ſecreta, & ſolitaria, quæ ab aliorum hominum convictu ſunt ſpecialiter ad contemplandum deſtinata; licet enim Cella communiter ſumpta ſignificet Cameram particularem cujuſcumque Religioſi in Monaſterio commorantis: propriè tamen Cella, quæ dicitur à Celando, ſignificat eum locum particularem ab aliis ſegregatum extrà, vel intrà ſepta Monaſterii, conceſſum Religioſo, ut ibi vitæ totaliter contemplativæ poſſit ſe applicare, quod conceditur à Superioribus vel perpetuò, vel ad tempus.

In 5. cap. quod incipit. *Sicut nobis*, ex eodem ſtatuitur, quòd ſi alicui Prælato, puta Epiſcopo, concedatur à Papa Privilegium, ut poſſit conferre Beneficia ſuorum Clericorum cedentium, vel decedentium, appellatione Clericorum ſuorum, non veniunt omnes Clerici ſuæ Diæceſis, ſed ſolùm illi Clerici, qui ſunt in continuo ſervitio dicti Epiſcopi, & vivunt expenſis illius, etiamſi aliquandò eos pro gerendis negotiis Epiſcopi abeſſe contingat. Ratio eſt, quià tale Privilegium conceſſum Epiſcopo, ut poſſit conferre Beneficia vacantia ſuorum Clericorum, eſt Privilegium odioſum, ſcilicet contrà jus commune, cùm auferat poteſtatem conferendi talia Beneficia quibus de Jure ſpectat; unde eſt ſtrictè interprætandum prò Clericis tantùm ſibi familiaribus, commenſalibus, & inſervientibus; ſecus ſi eſſet Privilegium purè gratioſum: tunc enim nomine ſuorum Clericorum ſignificarentur omnes Clerici ſibi ſubjecti. Gratiæ enim ſunt ampliandæ, & odia reſtringenda.

Finis Quinti Libri, Sexti Decretalium.

ELEN-

ELENCHUS
Titulorum Sexti Libri Decretalium Liber primus.

Titulus I. *De Summa Trinitate, & Fide Catholica, unico capite comprahenſus.* pag. 253.
Titulus II. *De Conſtitutionibus, in duo capita diſtinctus.* pag. 253.
Titulus III. *De Reſcriptis, in 14. capita diſtinctus.* pag. 254.
Titulus IV. *De Conſuetudine, in 4. capita diſtinctus.* pag. 258.
Titulus V. *De Poſtulatione Prælatorum, unico capite comprahenſus.* pag. 259.
Titulus VI. *De Electione, & Electi Poteſtate, in 47. capita diſtinctus.* pag. 260.
Titulus VII. *De Renunciatione in duo capita diſtinctus.* pag. 269.
Titulus VIII. *De ſupplenda negligentia Prælatorum, in quatuor capita diſtinctus.* pag. 270.
Titulus IX. *De Temporibus Ordinationum, & qualitate Ordinandorum in 4. capita diſtinctus.* pag. 271.
Titulus X. *De ætate, & qualitate, & Ordine præficiendorum, unico capite comprahenſus.* pag. 272.
Titulus XI. *De Filiis Presbyterorum, & aliis illegitimè natis in duo capita diſtinctus.* pag. 273.
Titulus XII. *De Bigamis unico capite comprahenſus.* pag. 273.
Titulus XIII. *De Officio Vicarii in tria capita diſtinctus.* pag. 174.
Titulus XIV. *De Officio, & poteſtate Delegati in 16. cap. diſtinctus.* pag. 274.
Titulus XV. *De Officio Legati, in 5. capita diſtinctus.* pag. 277.
Titulus XVI. *De Officio Ordinarii in 9 capita diſtinctus.* pag. 276.
Titulus XVII. *De Majoritate, & Obedientia unico capite comprahenſus.* pag. 280.
Titulus XVIII. *De Pactis in tria capita diſtinctus.* pag, 280.
Titulus XIX. *De Procuratoribus in 9. capita diſtinctus.* pag. 281.
Titulus XX. *De his, quæ vi, metuſue cauſa fiunt, unico capite comprahenſus.* pag. 284.
Titulus XXI. *De Reſtitutione in integrum, in duo capita diſtinctus.* pag. 284.
Titulus XXII. *De Arbitris, in duo capita diſtinctus.* pag. 285.

ELEN-

Digitized by Google

ELENCHUS Secundi Libri.

Titulus I. *De Judiciis, in tria cap. diſtinctus.* pag. 286.
Titulus II. *De Foro competenti, in tria capita diſtinctus.* pag. 287.
Titulus III. *De Litis conteſtatione in duo capita diſtinctus.* pag. 287.
Titulus IV. *De Juramento Calumniæ, in tria capita diſtinctus.* pag. 288.
Titulus V. *De Reſtitutione Spoliatorum, in duo capita diſtinctus.* pag. 289.
Titulus VI. *De Dolo, & Contumacia, in duo cap. diſtinctus.* pag. 289.
Titulus VII. *De eo qui mittitur in poſſeſſionem cauſa rei ſervandæ, unico capite compræhenſus.* pag. 290.
Titulus VIII. *Ut lite pendente nihil innovetur, in duo capita diſtinctus.* pag. 290.
Titulus IX. *De Confeſſis, in duo capita diſtinctus.* pag. 290.
Titulus X. *De Teſtibus, & Atteſtationibus, in tria capita diſtinctus.* pag. 291.
Titulus XI. *De Jurejurando, in tria capita diſtinctus.* pag. 292.
Titulus XII. *De Exceptionibus, in duo capita diſtinctus.* pag. 293.
Titulus XIII. *De Præſcriptionibus, in duo capita diſtinctus.* pag. 294.
Titulus XIV. *De Sententia, & re judicata, in quinque capita diſtinctus.* pag. 294.
Titulus XV. *De Appellationibus, in 12. capita diſtinctus.* pag. 295.

ELENCHUS Tertii Libri.

Titulus I. *De vita, & honeſtate Clericorum capite unico compræhenſus.* pag. 299.
Titulus II. *De Clericis conjugatis unico capite compræhenſus.* pag. 299.
Titulus III. *De Clericis non reſidentibus in Eccleſia, vel Præbenda unico capite compræhenſus.* pag. 300.
Titulus IV. *De Præbendis, & Dignitatibus in 41. cap. diſtinctus.* pag. 300.
Titulus V. *De Clerico ægrotante, vel debilitato, unico capite compræhenſus.* pag. 308.
Titulus VI. *De Inſtitutionibus, in duo capita diſtinctus.* pag. 308.
Titulus VII. *De Conceſſione Præbendæ, & Eccleſiæ non vacantis in 8. capita diſtinctus.* pag. 309.
Titulus VIII. *Ne Sede vacante aliquid innovetur, unico capite compræhenſus.* pag. 311.
Titulus IX. *De rebus Eccleſiæ non alienandis, in duo capita diſtinctus.* pag. 311.
Titulus X. *De Rerum permutatione, unico cap. compræhenſus.* pag. 321.
Titulus XI. *De Teſtamentis, & ultimis voluntatibus, in duo capita diſtinctus.* pag. 312.

Titulus XII. *De Sepulturis in quinque capita diſtinctus.* pag. 313.
Titulus XIII. *De Decimis, Primitiis, & Oblationibus, in duo capita diſtinctus.* pag. 314.
Titulus XIV. *De Regularibus, & tranſeuntibus ad Religionem in ſex capita diſtinctus.* pag. 315.
Titulus XV. *De Voto, & Voti Redemptione, unico capite comprehenſus.* pag. 316.
Titulus XVI. *De Statu Regularium, unico capite comprehenſus.* pag. 317.
Titulus XVII. *De Religioſis domibus, unico cap. comprehenſus.* pag. 318.
Titulus XVIII. *De Cappellis Monachorum, unico capite comprehenſus.* pag. 318.
Titulus XIX. *De Jure Patronatus, unico cap. comprehenſus.* pag. 319.
Titulus XX. *De Cenſibus, Exactionibus, & Procurationibus, in quinque capita diſtinctus.* pag. 319.
Titulus XXI. *De Conſecratione Eccleſiæ, vel Altaris, unico capite comprehenſus.* pag. 320.
Titulus XXII. *De Reliquiis, & Veneratione Sanctorum, unico cap. comprehenſus.* pag. 321.
Titulus XXIII. *De Immunitate Eccleſiarum, Cœmeteriorum, & aliorum locorum Religioſorum, in 5. cap. diſtinctus.* pag. 321.
Titulus XXIV. *Nè Clerici, vel Monachi ſæcularibus negotiis ſe immiſceant, in 3. cap. diſtinctus.* pag. 322.

ELENCHUS Quarti Libri.

Titulus I. *De Sponſalibus, & Matrimoniis, unico capite comprehenſus.* pag. 324.
Titulus II. *De Deſponſatione Impuberum unico capite comprehenſus.* pag. 324.
Titulus III. *De Cognatione Spirituali, in tria capita diſtinctus.* pag. 325.

ELENCHUS Quinti Libri.

Titulus I. *De Accuſationibus, Inquiſitionibus, & denunciationibus in duo capita diſtinctus.* pag. 327.
Titulus II. *De Hæreticis in capita 20. diviſus.* pag. 328.
Titulus III. *De Schiſmaticis, unico capite comprehenſus.* pag. 333.
Titulus IV. *De Homicidio, in tria capita diſtinctus.* pag. 333.
Titulus V. *De Uſuris, in duo capita diſtinctus.* pag. 334.
Titulus VI. *De Exceſſibus Prælatorum, & Subditorum; unico capite comprehenſus.* pag. 335.

Titulus VII. *De Privilegiis, in duodecim capita diſtinctus.* pag. 335.
Titulus VIII. *De injuriis, & damno dato unico capite compræhenſus.* pag. 138.
Titulus IX. *De Pœnis in quinque capita diſtinctus.* pag. 339.
Titulus X. *De Pœnitentiis, & Remiſſionibus in tria capita diſtinctus.* pag. 341.
Titulus XI. *De Sententia excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti in 24. capita diſtinctus.* pag. 342.
Titulus XII. *De Verborum Significatione, in quinque capita diſtinctus.* pag. 347.

TITU-

TITULUS DE REGULIS JURIS CANONICI

Octuaginta octo Regulas complectens.

PRO complemento Sexti libri Decretalium, in quo per quinque libros Bonifacius VIII. ſua, & aliquorum Pontificum Anteceſſorum ſuorum Decreta, ſeu Decretales Sanctiones collegit, & promulgavit, quibus determinatur quid faciendum in cauſis particularibus; poſtmodùm tradit generales Regulas Juris Canonici, quarum cognitio valdè omnibus utilis eſt, & neceſſaria, cùm ex notitia talium Regularum facilis ſit deciſio, & determinatio Cauſarum in particulari: Particularia enim pendent ab Univerſalibus. Quare autem Bonifacius has Regulas appoſuerit in fine, & non in principio Sexti, cùm ex Philoſopho ab Univerſalibus ſit incipiendum, aliqui reſpondent, quòd hoc fecit, ut melius memoriæ tradantur, cùm ea quæ in fine afferuntur, fortius memoriæ remaneant impreſſa. Sed melius reſpondetur, dicendo, quòd hoc fecit ad oſtendendum, quòd Jus non ſumitur à Regula, ſed Regula à Jure. Jus enim ſumitur ab æquitate, quam dictat lumen naturalis Judicij à Deo inditum mentibus hominum. Ex his ergo determinationibus Juris in particulari conſurgunt Regulæ generales ad cognoſcendum in univerſali, quid ſit licitum, & quid non, quid faciendum ſit, & quid omittendum. Conſultò ergo poſt particulares determinationes, appoſitæ ſunt Regulæ Generales Juris Canonici, quibus Judices Eccleſiaſtici regulari, & dirigi debent in ſuis Judiciis, nè errent.

PRIMA IGITUR REGULA HÆC EST.

Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licitè abſque inſtitutione Canonica obtineri.

HÆc Regula deſumpta eſt ex pluribus locis Juris Canonici, præſertim ex cap. *Deinceps*, cauſa *16.* q. 7., ubi dicitur; quòd ſpoliatus aliquo Beneficio, quod priùs per multos annos poſſedit, ſi petat reſtitutionem ſui Beneficii, debet oſtendere tale Beneficium obtinuiſſe per Canonicam Inſtitutionem. Canonica autem inſtitutio eſt Jus ſpirituale, ſivè Titulus, qui confertur à Prælato Eccleſiaſtico habente facultatem ſupèr tale Beneficium. Diſtinguitur autèm Inſtitutio à Collatione, & Præſentatione: nàm Præſentatio fit a Patrono etiam Laico, Collatio autèm eſt, cùm Beneficium pleno Jure pertinet ad Prælatum Eccleſiaſticum,

 qui

qui confert Beneficium, & inſtituit in Beneficiatum quem ipſe eligit. Inſtitutio autem pura eſt, cùm à Prælato Eccleſiaſtico inſtituitur in Beneficiatum, ille, qui ei à Patrono eſt præſentatus.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia beneficium Eccleſiaſticum, ſeu jus, quod acquirit Beneficiatus in ſuo beneficio, eſt jus Spirituale: igitur non poteſt conferri niſi à Prælato Eccleſiaſtico per Canonicam Inſtitutionem; licet enim Laicus poſſit nominare, ſeu præſentare beneficiandum, non tamen poteſt dare illi Inſtitutionem in re Spirituali. Pertinet ergo hoc ad Epiſcopum de jure communi, vel ad Papam, vel ad alium habentem talem facultatem Eccleſiaſticam.

Unum tamen eſt obſervandum pro dilucidatione hujus Regulæ, quòd licèt jure antiquo, ſpoliatus ſuo beneficio, quod poſſedit per plures annos, repetens poſſeſſionem talis beneficii, fuiſſet obligatus probare, ſe fuiſſe Canonicè inſtitutum in tali beneficio; jure tamen novo ex Regulis Cancellariæ ſtatutum eſt, ad tollendas lites, quòd ſufficiat talem ſpoliatum probare per Teſtes fide dignos, ipſum poſſediſſe tale beneficium per triennium quietè, & pacificè: ex hoc enim præſumitur ipſum obtinuiſſe per Canonicam Inſtitutionem.

REGULA II.

Poſſeſſor malæ fidei nullo tempore non præſcribit.

HÆc Regula deſumpta eſt ex Titulo de Præſcriptione, ubi per multa capitula ſtatuitur, quòd ad legitimè præſcribendum requiritur bona fides in Poſſeſſore, quæ bona fides debet in eo continuare per totum tempus neceſſarium ad præſcribendum; undè qui bona fide, ideſt bonâ conſcientiâ emit rem alienam, putans eſſe rem vendentis, ſed poſt aliquod tempus ſcivit, rem illam fuiſſe furto ablatâ, talis emptor non præſcribit, ſed renetur eam reſtituere Domino. Si autem bona fides in emptore duravit per totum tempus requiſitum ad præſcriptionem juxta qualitatem rei venditæ, puta per 20., 30. aut 40. annos; in tali caſu ex vi legis rem illam facit ſuam. Ratio autem quarè ad præſcribendum requiratur bona fides toto tempore requiſito ad præſcriptionem, & poſſeſſor malæ fidei numquàm præſcribat, eſt, quia qui poſſedit rem alienam malâ fide, ſive mala fides ſit à principio, ſive ſuperveniat tempore ante præſcriptionem, talis ſic poſſidens retinēdo rem, quam ſcit, vel dubitat eſſe alienam, manet in ſtatu peccati mortalis; & quò diutiùs retinet rem alienam, quam poteſt, & debet reſtituere, gravius peccat; igitur non præſcribit, etiamſi rem alienam retineat per longiſſimum tempus.

Huic Canonicæ determinationi videtur adverſari Lex Civilis, quæ requirit quidem bonam fidem in poſſidente rem alienam in principio poſſeſſionis, ſed eam non requirit in eodem poſſidente rem alienam, etiamſi non ſit tranſactum tempus ad præſcribendum. Rationem adducunt Juriſtæ, quia hoc permittitur in pœnam veri Domini, quia verus Dominus tenebatur omnem diligentiam adhibere ad recuperandam rem ſuam: omittendo ergo talem diligentiam, punitur per Legem, ut amittat dominium rei ſuæ. Cœterùm Jus Canonicum, quod reſpicit non ſolùm ad bonum temporale, ſed multò magis ad bonum Spirituale Animæ, ſtatuit, poſſeſſorem malæ fidei, ſive mala fides ſit à principio, ſive infra tempus præſcriptionis, nunquàm poſſe præſcribere, quia, ſtante malâ fide, retinendo rem alienam manet in peccato mortali; undè numquàm præſcribit: ad præſcribendum enim requiritur bona fides continuata. Lex autem Civilis ſolùm attendit ad bonum commune temporale; undè in pœnam illius, qui eſt negligens in recuperandâ re ſuâ, non eſt mirum, quòd permiſerit poſſidenti rem alienam malâ fide per ſpatium longiſſimi temporis, eam præſcribere. Leges tamen Civiles per Canonicas ſunt emendandæ.

REGULA III.

Sine Poſſeſſione Præſcriptio non procedit.

HÆc Regula deſumitur ex pluribus Textibus Juris, ſed præcipuè ex cap. *Cauſa* de Præſcriptione in Decretalibus, ubi ſtatuitur, quòd Laicus numquàm poteſt præſcribere jus ſpirituale ſpectans ad Perſonam Eccleſiaſticam, quia Laicus numquàm poteſt habere jus nec habendi, nec verè, & legitimè poſſidendi rem Spiritualem, ſcilicet nec quoad proprietatem, nec quoad veram poſſeſſionem; unde numquàm poteſt præſcribere. Eſt exemplum in jure percipiendi Decimas, quod jus licet aliquandò ex cauſa rationabili ſit collatum ab Epiſcopo, vel à Papa Laico; non propter hoc talis Laicus poterit præſcribere hujuſmodi jus conceſſum ad tempus, unde ceſſante tali neceſſitate ceſſat in Laico Privilegium.

Pro cujus rei majori explicatione eſt obſervandum, poſſeſſionem aliam eſſe facti, & non juris; aliam verò eſſe juris, & facti. Poſſeſſio facti, quæ fit per pedum poſſeſſionem in re quæ poſſidetur, poteſt eſſe ſine adminiculo juris, ſcilicet in eo qui contra jus poſſidet, ut dictum eſt in Laico poſſidente jus decimandi; & hæc poſſeſſio dicitur facti, & non juris. Poſſeſſio autem juris, & facti eſt, quandò poſſeſſio eſt conformis juri; & hæc eſt neceſſaria ad præſcribendum; nàm ſimplex poſſeſſio facti, ſi ſit contra jus, non ſufficit, ut dictum eſt. Requiritur inſuper, quod hæc poſſeſſio juris, & facti ſit continuata per totum tempus requiſitum ad præſcriptionem: nàm ſi eſt interpolata, per recurſum, vel citationem partis contrariæ, interrumpitur bona fides, & continuatio poſſeſſionis. Ad præſcribendum ergò requiritur poſſeſſio continuata per totum tempus requiſitum ad præſcribendum, quæ poſſeſſio ſit non ſolùm facti, ſed etiam juris. Nomine autem poſſeſſionis non ſolùm intelligitur vera, & realis poſſeſſio, quâ poſſidentur res corporales, ſed etiam intelligitur poſſeſſio largè ſumpta, quâ poſſidentur jura Spiritualia, vel jus ad eligendum, quod poteſt præſcribi ab eo, qui per tempus ſtatutum illud poſſedit, & dicitur quaſi poſſeſſio.

REGULA IV.

Peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum.

HÆc Regula deſumpta eſt ex pluribus Conſtitutionibus Pontificiis, in quibus clarè habetur, peccatum furti v.g. non dimitti ei, qui furtum fecit, niſi reſtituat, ſi poſſit, vero Domino rem furatam. Ratio eſt manifeſta; nàm non ſolùm furari rem alienam, ſed etiam retinere vel apud ſe, vel apud alios, vel eam conſumere, diſtrahere, vendere &c. eſt peccatum mortale, & obligat ad reſtitutionem; igitur talis nec meretur veniam à Deo, nec abſolutionem à Confeſſario; ſi aliàs cùm ſit potens ad ſatisfaciendum vero Domino, rem ablatam non reſtituit, nec aliud æquivalens, aut ab eodem non obtinuerit remiſſionem debiti, hæc enim ſufficeret, ſi liberaliter, & ſine fraude obtineretur; ut communiter docent Theologi. Si autem pœnitens ſit impotens reſtituere propter maximam egeſtatem, in tali caſu debet propoſitum habere, & promittere Deo, & Confeſſario reſtituendi quamprimùm poterit, ad quem effectum omnem adhibebit induſtriam, ut fiat reſtitutio.

An autem qui bona fide emit à fure rem alienam, quam etiam bona fide alteri vendidit, ſit tutus in conſcientiâ, ſi poſtea ſciat, rem illam fuiſſe furto ablatam, & verus Dominus inſtet apud Judicem pro reſtitutione rei ſuæ? Reſpondeo, quòd res furto ablata, etiamſi poſſideatur bona fide, ſemper clamat pro ſuo Domino; unde conſtito de veritate rei, quòd ſcilicet res illa ſit Actoris, tenetur Judex eam adjudicare vero Domino. Ille autem, qui eam poſſidebat bona fide, debet agere contra eum, qui eam vendidit pro reſtitutione pretii, qui cùm aliàs vendiderit bona fide, non debet condemnari à Judi-

Judice niſi in reſtitutione pretii. Hic autem, qui bona fide emit à Latrone, debebit agere contra ipſum pro reſtitutione pretii. Ad Judicem autem ſpectabit condemnare Latronem non ſolùm in reſtitutione pretii percepti, ſed pro crimine furti. Hoc igitur ſuppoſito dico, quòd quotieſcumquè deficit bona fides, vel in eo qui emit à Fure, vel in eo, qui emit ab iſto venditore bonæ fidei, & aliquis illorum cognoſcat rem fuiſſe furto ablatam, aut probabiliter dubitet, & adhibitâ diligentiâ, exiſtimet rem illam verè fuiſſe furto ablatam, ille, qui non ampliùs manet in bona fide, non poteſt talem rem retinere, etiam Domino non inſtante, ſed debet eam reſtituere modo jàm dicto; vel ſi neſciatur Dominus, debet ex conſilio Confeſſarii in Pauperes rem illam diſtribuere, ſervatâ tamen formâ jam dictâ de reſtitutione pretii.

REGULA V.

Peccati venia non datur niſi correcto.

HÆc Regula deſumitur ex Decreto Cauſa 24. q. 2. & in 6. Titulo de Schiſmaticis cap. unico. Et ratio manifeſta eſt, quia peccator quouſque non eſt correctus, manet in peccato, ac proinde veniam non meretur à Deo, qui peccatores odio habet, & cor contritum, & humiliatum non deſpicit. Sicut enim homo peccat, in quantum avertit ſe à Deo, & convertit ſe ad Creaturam tamquàm ad ultimum finem, & in hac deordinatione conſiſtit reatus peccati; ita ut Deo offenſo ſatisfaciat, neceſse eſt ſe avertere à Creatura, & convertere ſe ad Deum ut finem ultimum, ipſum amando ſuper omnia; & in hoc conſiſtit correctio, vel emendatio ſaltèm cùm efficaci propoſito, & deliberatâ reſolutione voluntatis Deum non amplius offendendi; quâ correctione ſuppoſitâ non negatur à Deo peccati venia.

Itaque in hac Regula ſermo eſt de venia peccati, ideſt de venia culpæ, quoad Deum; non de venia pœnæ quoad homines. Per peccatum enim incurritur culpa quoad Deum, & incurritur pœna quoad homines; puta apud Eccleſiam, aut Magiſtratum; Si peccator ſe corrigit, pœnitet, dolet, & verè proponit ſe amplius non peccaturum, veniam meretur apud Deum, & in Foro pœnitentiali poteſt abſolvi: ſecùs ſi non eſt correctus. De venia autem pœnæ non ſic eſt diſcurrendum; quia quandoque punitur criminoſus pœna corporali, etiamſi ſit correctus, & hoc propter bonum commune ad exemplum aliorum; quandoque etiam conceditur remiſſio pœnæ, etiam non correcto, & hoc ad evitanda ſcandala, quæ poſſunt oriri: unde in tali caſu permittitur minus malum ad evitandum malum majus, ut dicitur cap. *denique* diſt. quarta.

REGULA VI.

Nemo poteſt ad impoſſibile obligari.

HÆc Regula deſumpta eſt tùm ex Textu Civili *L. impoſſibilium ff. de Regulis juris*, tùm ex Lege Canonica in Decreto Cauſa 22. qu.4. per totum. Et ratio eſt manifeſtâ, quia omnis obligatio conſiſtit aut in dando, aut in faciendo, ſed quod non eſt, nec eſse poteſt, ſcilicet impoſſibile nec dari, nec fieri poteſt: igitur ibi conſtitui non poteſt obligatio; cùm enim promittens non habeat potentiam ad dandum, vel faciendum id, quod eſt impoſſibile dari, vel fieri, ſequitur taliter promittentem invalidè promittere, & nullatenus ſe obligare.

Pro hujus Regulæ majori explicatione eſt obſervandum, quòd impoſſibilitas eſt triplex, ſcilicet juris, facti, & naturæ. Impoſſibilitas juris eſt, quæ repugnat juri, ut ſi aliquis promittàt emptori vendere rem ſacram. Facti eſt, quæ repugnat facto, ad quod ſcilicet quis non habet vires, ut ſi quis promittat transferre Montem de uno loco ad alium. Naturæ eſt, quæ repugnat naturæ, ut ſi quis promittat dare Solem, Lunam, aut Stellas. Quocumque modo ex iſtis aliquod ſit impoſſibile non parit obligationem.

An autem conditio impoſſibilis appoſita in contractu vitiet contractum? reſpondeo affirmativè, regulariter loquen-

quendo: verumtamen eſt, quòd in Teſtamentis, & in contractibus matrimonialibus ob ipſorum favorem, ut ſcilicet ſubſiſtant, ſtatutum eſt, talem conditionem impoſsibilem in Teſtamentis, aut contractibus matrimonialibus haberi pro non adjectâ. Et hoc idem verificatur, ſi in hujuſmodi contractibus apponatur aliqua conditio turpis, de re ſcilicet illicita, habenda enim eſt pro non adjectâ, & valet contractus quoad ſubſtantiam, demptâ tali conditione turpi, quæ ſi apponeretur in aliquo alio contractu, vitiaret totum contractum, & non ſubſiſteret obligatio, ſicut dictum eſt de re impoſsibili; quod verificatur etiam, ſi talis promiſsio de re impoſsibili, aut turpi eſſet firmata juramento: nam juramentum numquàm poteſt eſſe vinculum iniquitatis, imo graviter peccaret, qui ſic temerariè, & illicitè juraret.

REGULA VII.

Privilegium perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cùm perſona.

HÆc Regula deſumpta eſt tùm ex textu Civili *L, Privilegia quædam ff. de Regulis juris*, & ex jure Canonico pluribus in locis, præſertim in Decreto cauſa 7. q. 1. *Petiſti*. Ratio hujus Regulæ eſt, quia Privilegium perſonale eſt illud, quod conceditur alicui à Principe intuitu illius perſonæ, nullâ factâ mentione nec Familiæ, nec deſcendentium: igitur videtur, quòd intentio Principis ſit tale Privilegium concedere ipſi ſoli, & non aliis; Privilegium enim cùm ſit contra jus commune, non eſt extendendum niſi quantùm verba expreſsè ſignificant. Privilegium autem Reale, puta Privilegium conceſſum alicui loco, puta Eccleſiæ, ſequitur locum; ut ſi Cathedralis Eccleſia, cui conceſſum eſt aliquod ſpeciale Privilegium, transferatur de uno loco ad alium, transfertur etiam Privilegium locale, ſeu Reale, & extinguitur cum loco; ut ſi ab habente authoritatem, puta à Papa, vel ab Epiſcopo deſtruatur talis Eccleſia Cathedralis, itaut privetur talis Populus Eccleſiâ Cathedrali, in tali caſu extinguitur tale Privilegium, quod erat conceſſum Cathedrali; ſecus ſi deſtructa eſſet Cathedralis ab Infidelibus; remaneret enim Privilegium pro Cathedrali erigenda: cùm eſſet deſtructa materialiter, non formaliter, & quoad Privilegium.

REGULA VIII.

Semel malus, ſemper præſumitur eſſe malus.

HÆc Regula deſumpta eſt ex textu tùm Civili, tùm Canonico. Ex textu Civili, L. *In ſemel Calumniante ff. de Accuſat.* ex lege Canonica *in ſemel perjuro* cauſa 22. quæſt. 5. cap. *Parvuli* In ſemel contumaci ſupra de Præſumpr. cap. *Scribam &c.* Ratio hujus Regulæ deſumitur ex præſumentis naturâ corruptâ, & ex natura humana, quæ per peccatum Originale infecta, prona eſt ad malum, & ſpecialiter ad malum illud, ad quod eſt aſſueta per actus anteriores.

Prò hujus Regulæ explicatione ſupponendum eſt, præſumptionem aliam eſſe hominis, aliam facti, aliam juris, aliam juris, & de jure. Præſumptio pura hominis eſt, quando quis præſumitur malus non quidem ex facto, ſed ex qualitate, & inclinatione ipſius hominis, qui talis apparet. Præſumptio facti eſt, quando quis præſumitur malus ex facto, quod alia vice in ſimili genere perpetravit: & in hoc caſu procedit Regula præſens. Præſumptio juris eſt, cùm jus ſic præſumit ex facto, vel ex occaſione, vel ex circumſtantiis &c. Jus enim dat motivum legale præſumendi. Verumtamen eſt, quòd hæc præſumptio ſive facti, ſive juris non eſt præſumptio indubitata, quæ dici poſſit juris, & de jure, cùm contra tales præſumptiones admittantur probationes in contrarium, probando, quòd ſemel malus pœnitentiam egerit, & deinceps fuerit emendatus: quo probato, non currit hæc Regula, *ſemel malus &c.* Itaquè dictum hujus Regulæ accipiendum eſt regulariter, & ut in plurimum non indubiè, &

pro

prò certò; ſicùt enim ſemel bonus regulariter præſumitur ſemper bonus in eodem genere boni; ità ſemèl malus regularitèr præſumitur ſempèr malus in eodem genere mali.

REGULA IX.

Ratum quis habere non poteſt, quod ejus nomine non eſt geſtum.

HÆC Regula deſumpta eſt ex Cap. *Cum quis* de ſententia Excommunicationis, ubi dicitur, quòd ſi aliquis, me neſciente, verberavit Clericum meum Inimicum nomine meo, & ego ſciens talem verberationem fuiſſe factam ab illo nomine meo, & laudavi, in tali caſu ſum Reus talis verberationis, ac ſi illam ego feciſſem, ac proindè ratificando incurro excommunicationem: ſecùs ſi talis verberatio non ſit facta nomine meo, licèt enim de ea gaudeam, & approbem, non propriè eam ratam habeo, quia non eſt facta nomine meo.

Ratio hujus Regulæ deſumitur ex eo, quòd ratificare aliquid, propriè loquendo, eſt rem illam habere ratam, ac ſi facta fuiſſet ab ipſomet ratificante: hoc autem eſſe non poteſt, niſi facta fuerit, aut de ejus mandato, aut ſaltèm nomine illius, etiàm ipſo præſciente; & tunc ſi ſciens, talem actionem approbet, ac ſi facta fuiſſet ab ipſo, dicitur illam ratam habere, & incidit in pœnas, ac ſi revera talem actionem eſſet operatus; licet enim realiter non influxerit, influxit tamèn moraliter, ac per alium: undè non mirum, ſi eſt culpabilis ratione Ratihabitionis, ut dicetur in ſequenti Regula.

REGULA X.

Ratihabitionem retrotrahi, & mandato comparari non eſt dubium.

HÆc Regula deſumpta eſt ex textu tùm Civili, tùm Canonico. Ex textu Civili *per legem finalem C. ad Macedonicorum*, ubi dicitur, quòd ſi Pater habeat debitum contractum à ſuo Filio ſub ſua poteſtate conſtituto; etiamſi aliàs illud non teneretur ſolvere, ratione tamen Ratihabitionis illud ſolvere tenetur proptèr rationem hujus Regulæ. Ex Jure autèm Canonico ex cap. *Cum quis*, ſuprà de Sententia excommunicationis iſtomet libro, ubi dicitur, quòd ſi alius percuſſit Clericum meum Inimicum nomine meo, & ego talem percuſſionem ratam habens approbavi, & laudavi tamquàm à me factam, incurro ſententiam excommunicationis, quià Ratihabitionem retrotrahi, & mandato comparari non eſt dubium.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia Ratihabitio comparatur mandato, & licèt mandatum ſemper ſit antecedens ad actionem, quæ mandatur, & ratihabitio ſemper ſubſequatur ad actionem, quæ ſupponitur jam facta; tamen quando actio facta eſt nomine alterius, & poſtea ab eo rata habetur, ac ſi facta fuiſſet ab eodem, fictione Juris, talis Ratihabitio comparatur mandato; quia licèt phyſicè iſte talis non fuerit mandans, fuit tamen moraliter medio ſuo nomine, & media Ratihabitione: undè non mirum ſi eſt culpabilis, & gravi pœnâ plectendus.

REGULA XI.

Cùm ſunt partium Jura obſcura; Reo favendum eſt, potiùs, quàm Actori.

HÆC Regula deſumpta eſt ex cap. *In noſtro*, de Teſtibus, & Atteſtationibus in Decretal., ubi ſtatuitur, quòd quando rationes, & Teſtes ſunt æqualis ponderis tàm ex parte Actoris, quàm ex parte Rei, Judex potius favere debet Reo, quàm Actori. Quæ tamen Regula intelligenda eſt in fine cauſæ, ſcilicet, quoad abſolvendum, vel condemnandum. Nàm in principio Judex potius debet favere Actori, quàm Reo, ad veritatem indagandam; ut ſcilicet ſi Reus eſt culpabilis, condemnetur; ſi autèm ex his, quæ Actor producit, & ex Teſtibus Reus non convincitur, imò proponit rationes,

tiones, & Teſtes vel majoris, vel ſaltèm æqualis ponderis, in tali caſu, cùm non adſit, undè poſſit condemnari, debet abſolvi.

Ratio hujus Regulæ eſt, quià nullus poteſt condemnari tamquàm Reus, niſi aut confeſſus, aut convictus. Sanctius eſt enim in dubiis nocentem abſolvere, quàm innocentem condemnare, ut dicitur cauſa 6. quæſt. ultima cap. *Actor*.

Obſervandum tamèn eſt, hanc Regulam non procedere in Cauſis Privilegiatis, in quibus Judex debet attentiori modo procedere ad favorem Privilegiatorum; ut quando agitur de Cauſis piis, & Eccleſiaſticis, ſcilicet in favorem Eccleſiarum, in Cauſis Matrimonialibus, ſcilicet in favorem Matrimonii, in Cauſis Libertatis, Teſtamenti, vel Donationis. In his enim Cauſis arbitrium Judicis debet pendere, & favere potius parti Privilegiatorum, quæ ex circumſtantiis videtur benignior, & magis favorabilis.

REGULA XII.

In Judiciis non eſt acceptio Perſonarum habenda.

HÆC Regula deſumpta eſt tùm ex textu Civili, tùm ex textu Canonico. Ex textu Civili l. *Si cum dies*. §. *ſi Arbiter*. *ff. de Arbitris*: ubi eſt caſus, quòd ſi Arbiter aſſignavit partibus locum ad audiendam ſententiam, & una ex illis partibus non potuit ad talem locum honeſtè comparere, ſicque nèc alia comparuit, quæ poterat comparere; non propter hoc hæc pars eſt condemnanda, quià in Judiciis eſt ſervanda æqualitas, nec debet eſſe acceptio perſonarum. Ex Jure autem Canonico deſumitur ex cap. *Neceſſe*. Cauſa 1. quæſt. 9. ubi ſtatuitur, quòd ſicuti cùm accuſatus de aliquo crimine coram Judice competenti tenetur perſonaliter comparere, nec ſufficit, ut compareat per Procuratorem; ità qui accuſat debet perſonaliter comparere coram eodem Judice, nèc ſufficit, ut compareat per Procuratorem, quià in Judiciis non debet eſſe acceptio Perſonarum.

Ratio hujus Regulæ manifeſta eſt: Quià acceptio perſonarum, quæ conſiſtit in præferendo unum alteri, non ex merito cauſæ, ſed intuitu perſonæ, puta conſanguinitatis, amicitiæ, nobilitatis &c. opponitur Juſtitiæ diſtributivæ, quæ dictat, ut unicuique diſtribuatur, quod ei debetur ex meritis cauſæ, & non intuitu alterius qualitatis non facientis ad cauſam: Igitur Judex, qui tenetur judicare ex juſtitia diſtributiva, & dare unicuique quod ſuum eſt, admittere non debet acceptionem perſonarum.

Pro explicatione hujus Regulæ eſt obſervandum, quòd hæc Regula debet intelligi formaliter, & in modo procedendi, & Juſtitiam adminiſtrandi in Judiciis, in quibus Judex circà merita cauſæ non debet reſpicere ad qualitatem perſonæ, puta nobilis, vel ignobilis, Divitis, vel pauperis, amici, vel inimici, ſed præciſe ad id, quod reſultat ex actis, & probatis. Eſt enim Judex perſona publica, & tenetur unicuique dare in judicando, quod ſuum eſt. In aliis autem, quæ non ſpectant ad ſubſtantiam judicii, Judex poteſt habere reſpectum ad Perſonas, ut in elevando Nobiles, eis dando locum digniorem &c. Similiter poterit habere reſpectum ad perſonas in impoſitione pœnarum; quià congruum eſt, ut in impoſitione pœnæ mitius agatur cùm perſona conſtituta in dignitate, quam cum alia perſona, ut dicitur cap. 2. de Officio Delegati ſuprà hoc eodem libro. Similiter in rebus arbitrariis, quæ totaliter pendent ex arbitrio Judicis abſque læſione Juſtitiæ poterit Judex juſtis ex cauſis favere potius uni parti, quàm alteri, quià in his, & ſimilibus non eſt acceptio perſonarum in materia Judicii quoad ſubſtantiam, ſed tantùm in accidentalibus.

REGULA XIII.

Ignorantia Facti, non Juris excuſat.

HÆC Regula deſumpta eſt ex diverſis Teſtibus Canonicis, ſed ſpecialiter ex cap. *Si Sacerdotes*, cauſa 16. qu. 3. in Decreto, ubi dicitur, quòd ſi Laicus donavit alicui Monaſterio Eccleſiam, & Abbas, qui eam recepit, ſucceſſu temporis moriatur; Abbas ſuccedens putans bonâ fide talem Eccleſiam fuiſſe donatam de conſenſu Epiſcopi, & Capituli, poteſt eam præſcribere, ſi eam poſſideat per 40. annos, quià ignorantia facti eum excuſat. Prior autem Abbas, qui eam accepit de manu laici ſine conſenſu Epiſcopi, numquàm potuiſſet præſcribere, quià ignorantia Juris non poterat eum excuſare, quia tenebatur ſcire, Eccleſiam non poſſe donari à Laico ſinè conſenſu Epiſcopi. Verificatur hæc Regula in ordinato Simoniacè ignorantiâ facti, ſi Simonia commiſſa eſt à Tertio, ipſo ordinato neſciente, nec cauſam habente, ut dicitur cauſa 1. quæſt. 1. *Si qui à Simoniacis*. Et in eo qui bona fide electus ad Beneficiũ incompatibile, reliquit quod habebat; ſed deindè invenit tale Beneficium, quod accepit, eſſe Papæ reſervatum, in quo caſu poteſt primum Beneficium repetere, quia laboravit ignorantia facti. cap. *Si Beneficia* Titulo de Præbendis, & in multis aliis capitulis.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia nullus tenetur ſcire ea, quæ ſunt ab altero facta; benè tamen tenetur ſcire ea, quæ diſponunt Jura circa proprium ſtatum; unuſquiſque enim tenetur vivere ſecundum Jura; igitur tenetur ſcire Juris præcepta. Non ergò facilè excuſat ignorantia Juris, ſicùt excuſat ignorantia facti: hæc enim eſt probabilis, illa autem non ità.

Verum tamen eſt, quòd ignorantia tàm Juris, quàm Facti eſt duplex, ſcilicet culpabilis, & inculpabilis. Prima dicitur ignorantia craſſa, ſupina, & affectata, quæ ignorantiæ non excuſant, quia ignorantia craſſa facilè eſt ſuperabilis, adhibitâ diligentiâ, ad quam quis tenetur: Supina ſimiliter, medioeri diligentiâ adhibitâ, ſuperatur: & affectata, quià hanc ignorantiam quis vult, ut poſſit liberiùs vivere. Hæ ignorantiæ ſunt culpabiles, nec excuſant, quià ſunt voluntariæ. Ignorantia autem inculpabilis eſt, cùm quis non tenetur ſcire, ut accidit in neſciente factum alterius; vel ſi tenetur ſcire, eo quòd ea, quæ ignorat, pertinent ad proprium ſtatum, tamèn omnem adhibuit diligentiam poſſibilem ad ea ſciendum, ſed vel non fuit capax propter ruditatem ingenii, vel non habuit qui eum doceret: undè in perſonis idiotis, & ruſticis admittitur tamquàm inculpabilis ignorantia Juris poſitivi, ſed non Juris naturalis, præſertim quoàd illa prima principia, quæ lumine naturę dignoſcuntur.

REGULA XIV.

Cum quis in Jus ſuccedit alterius, juſtam ignorantiæ cauſam cenſetur habere.

HÆc Regula deſumitur ex Jure Canonico cap. *Si Sacerdotes* cauſa 16. q. 3. ut dictum eſt in Superiori Regula. Et ex cap. *Cura* Titulo de Jure Patronatus in Decretalibus, ubi dicitur, quòd qui poſſidet rem alienam mala fide, etiàm ſi caſus ſit occultus, tenetur eam reſtituere, quià non poteſt præſcribere, ut dictum eſt: Succeſſor autèm ejus, puta Hæres, aut Donatarius, ſi eam accepit bona fide, credens talem rem fuiſſe propriam Teſtantis, aut donantis, & perſeveret in tali bona fide per tempus requiſitum ad præſcriptionem, verè præſcribit, quià Succeſſor juſtam ignorantiæ cauſam cenſetur habere: debet enim ſupponere, Teſtantem, ſive Donantem diſponere de re ſua, & non alterius; ſi aliàs non conſtet, nèc dubitetur de contrario, ut patet per hanc Regulam.

Ratio hujus Regulæ eſt, quià qui in Jus ſuccedit alterius, non tenetur ſcire omnia facta illius, imò tenetur ea judicare ut rectè, & rationabilitèr facta: unuſquiſque enim eſt ſupponendus bonus, niſi conſtet

ſtet de contrario: igitur qui in jus ſuccedit alterius, debet tale jus tueri tamquàm legitimè acquiſitum; nàm de contrario juſtam ignorantiæ cauſam cenſetur habere.

Obſervandum tamèn eſt, hanc Regulam valere pro eo, qui in jus ſuccedit alterius; ſi cum eo agatur, ipſe enim poteſt defendi hac Regula, adducendo ignorantiam probabilem de factoAnteceſſoris, ſecùs autem ſi ipſemet Succeſſor agat contrà alium; nàm in tali caſu non ſufficit adducere ignorantiam de facto Anteceſſoris, ſed debet tamquàm Actor eſſe certus de re, quam prætendit; nam deliberatoriæ dantur Reo, non Actori, qui dum provocat ad judicium, debet jam eſſe certus de facto ſuo.

REGULA XV.

Odia reſtringi, & favores convenit ampliari.

HÆc Regula deſumpta eſt ex pluribus locis Juris Canonici, ſed ſpecialitèr ex cap. 1. de Filijs Præsbiterorum ubi ſtatuitur, quòd Clericus, qui obtinuit a Papa diſpenſationem Irregularitatis ad effectum, ut poſſit ordinari Sacerdos, & miniſtrare in Altari; non proptèr hoc dicitur diſpenſatus ad Prelaturas,& dignitates: Similitèr ſi ſit diſpenſatus,ut poſſit obtinere duo Beneficia curata; non propter hoc dicitur diſpenſatus,ut ea ſimùl retinere poſſit,& ſi fuerit diſpenſatus,ut ea ſimul retinere poſsit, uno dimiſſo non poterit aliud Beneficium curatum obtinere, & retinere, quia hujuſmodi Privilegia, utpotè juri communi contraria, odioſa ſunt, ac proinde ſtrictè interpretanda. Favores verò convenit ampliari, ut patet Tit. de Privilegijs, cap. *Quoniàm* ubi conceditur Epiſcopis, ut poſſint celebrare in Altari portatili, quod Privilegium utpote nulli nocivum, & ſummè favorabile, extenditur etiam ad Familiam, res, & domeſticos Epiſcopi.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia Lex odioſa eſt interpretanda ſecundùm propriam, & expreſſam ſignificationem verborum: non enim eſt præſumendum, Legiſlatorem, ſeu Principem ferentem legem, & dantem Privilegium velle alicui præjudicare, aut damnum inferre, niſi quantùm verba exprimunt. Secùs autem in favorabilibus, in quibus nullum adeſt præjudicium tertij: hæc enim ſunt amplianda quantum fieri poteſt: in his enim præſumitur benigna intentio concedentis.

REGULA XVI.

Decet conceſſum à Principe Beneficium eſſe manſurum.

HÆc Regula deſumpta eſt ex textu tùm Civili, tùm Canonico. Ex textu Civili *in Auth. Conſtitutio, quæ de Dignitatibus* coll. 6. ubi dicitur, quòd ſi Filius familias exiſtens ſub poteſtate Patris fuerit aſſumptus ad dignitatem Patritij, liberatur a Patria poteſtate, & tali Privilegio libertatis gaudet, etiam amiſsâ tali dignitate, quia Privilegium Principis oportet eſſe manſurum. Similiter ex Jure Canonico cap. *Si cui* de Præbendis in hoc libro, ubi dicitur, quòd ſi Papa conceſſit alicui Epiſcopo facultatem conferendi idoneis Beneficia vacantia in ſuo Epiſcopatu, quorum collatio ſpectat ad Sedem Apoſtolicam, etiàm mortuo Papa, re integrâ, tale Privilegium perſeverat, quia Beneficium conceſſum a Principe debet eſſe manſurum.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia Beneficium conceſſum a Principe, præſumitur conceſſum cùm matura deliberatione, & prudenti judicio: ergò decet eſſe manſurum, & non tolli niſi novis ſupervenientibus urgentibus cauſis; aliàs imputaretur Principi volubilitas, & inconſtantia, quæ gloriam Principis obſcurarent.

Verum tamèn eſt, quòd ex variis cauſis Beneficium, ſive Privilegium Principis amittitur. Primò per Abuſum, cùm Privilegiatus abutitur Privilegio, cùm ſcilicet illud extendit ultrà fines Privilegij; & tunc movetur Princeps ad revocandum tale Privilegium; qui enim abutitur Privilegio, meretur privari. Secundò amittitur Privilegium per non uſum,

ſcilicet ſi Privilegiatus per notabile tempus illo non utatur. Tertiò amittitur Privilegium, ſi tale Privilegium ſucceſſu temporis incipiat eſſe in grave præjudicium Tertij: tùnc enim Princeps proptèr Bonum commune, & ex æquitate tenetur, vel tale Privilegium revocare, vel ſaltèm moderari, ne præjudicium notabile afferat alteri.

Obſeruandum eſt tamèn, quod hìc eſt ſermo de Beneficio, ſeu Privilegio reali conceſſo a Principe, non de Perſonali; nam, ut dictum eſt ſupra, Beneficium ſequitur Perſonam, & extinguitur cum Perſona. Privilegium autem reale conceſſum a Principe ſubdito, poteſt quidèm ex juſtis cauſis revocari, maximè ſi non perſeveret cauſa finalis; ſecùs Privilegium conceſſum non ſubdito, quod à principio fuit voluntarium, ſed poſt conceſſionem eſt neceſſarium, ut Privilegia conceſſa ab Imperatore Eccleſijs.

REGULA XVII.

Indultum à Iure Beneficium non eſt alicui auferendum.

HÆc Regula deſumpta eſt ex textu, tùm Civili, tum Canonico. Ex textu Civili l. 4. *Si quis condemnatus*, ff. *de re judicata*. Ubi alicui condemnato a Judice in actione perſonali, datur a Jure tempus quatuor menſium ad ſolvendum, quod tempus a Judice non poteſt abbreviari, niſi adſit aliqua evidens, & urgentiſſima cauſa. Ex jure autem Canonico per *Caput de his* 28. diſt. in licentia nubendi data ab Apoſtolo, & a jure Canonico Mulieribus, ut ſcilicet poſſint tranſire ad ſecundas nuptias etiam infra annum luctus. Licet enìm hujuſmodi nuptiæ celebratæ infra annum luctus improbentur a Jure Civili, ut habetur in cap. *de ſecundis nuptiis*; tamen prædictis Mulieribus, auferri non poteſt Privilegium, ſeu Indultum eis conceſſum ab Apoſtolo, ſcilicet quòd, mortuo viro, ſint a lege Viri ſolutæ; unde etiam infra annum luctus poſſuut tranſire ad ſecundas nuptiàs.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia Beneficium indultum a jure, optima ratione, & matura conſidera tione præſumitur conceſſum: igitur non eſt alicui auferendum; fieret enìm ei injuria, ſi ab homine, ſcilicet a Judice auferetur alicui id, quod ei à jure eſt conceſſum. Major enìm eſt poteſtas juris, quàm hominis, ſcilicet Judicis. Judex enìm tenetur ſervare jus: cùm ſit Juris Miniſter.

Obſervandum tamen eſt, quòd Beneficium indultum alicui a Jure, licet ab homine ei auferri non poſſit, aufertur tamen ei ab alio jure, quo cavetur, ne ille gaudeat tali Indulto in tali, vel tali caſu, & circumſtantia, puta in ſolemniter vovente, qui non gaudet Indulto contrahendi Matrimonium: in contumace non comparente: in notorio criminoſo: in tertiò Appellante, qui non auditur in Judicio. Hi enìm privantur a Jure Privilegijs, vel Indultis, aliis, a Jure conceſſis; & hoc ſpecialiter intuitu propriarum circumſtantiarum: Et in tali caſu a Judice declaratur, eos non gaudere tali Beneficio, licet ab alio Jure eis conceſſo. Et hoc propter juſtam, & legitimam rationem.

REGULA XVIII.

Non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio no ſubſiſtit.

HÆc Regula deſumpta eſt ex textu Civili, & Canonico. Ex textu Civili l. *intèr Stipulantem* §. *Sacram* ff. *de verbor. obligat.* ubi dicitur, quòd qui ſtipulavit vendere alteri rem ſacram, puta Calicem; talis ſtipulatio eſt nulla, & non obligat, quia res ſacra vendi non poteſt, etiamſi poſtea materia calicis amittat conſecrationem; unde vendi non poteſt ex vi prædictæ primæ ſtipulationis, quæ non ſubſiſtit: quapropter ut materia Calicis vèndi poſſit, neceſſe eſt fieri aliam ſtipulationem de materia non conſecrata. Idem dicitur de Teſtamento Furioſi, Impuberis, Filij Familias, Servi &c. quæ Teſtamenta facta ab eis in tali ſtatu non ſubſiſtunt, licet tales perſonæ ſucceſſu temporis ſint ſanæ mentis, ſui juris, & libertatis, In actionibus enìm attenditur conditio perſonæ

ſonæ eo tempore, quo res fit: quod enim nulliter fit, vires habere non poteſt. Ex jure autem Canonico deſumpta eſt ex cap. *Principatus* cauſa 1. qu. 1. ubi dicitur, quòd non convaleſcit ſimoniacus ingreſſus, & cap. *Eo tempore*, tit. de reſcriptis, ubi dicitur, quòd conſideranda eſt ætas impetrantis literas expectativas à Papa, ut provideatur de beneficio curato: ſi enim non habeat tempore impetrationis ætatem neceſſariò requiſitam, talis impetratio nulla eſt, nec convaleſcit; etiamſi tempore, quo vacat beneficium curatum habeat ætatem requiſitam. Et hoc propter iſtam Regulam.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia quod de jure ab initio non valet, non poteſt valere tractu temporis, quia tempus non eſt modus inducendæ obligationis, quia obligatio non à tempore, ſed à validitate contractus ab initio celebrati derivatur: ſi igitur contractus à principio eſt nullus, non poterit obligare, nec etiam ſucceſſu temporis.

Obſervandum tamen eſt, quòd hæc Regula eſt intelligenda, ſi aliquis aliud non addat, ratione cujus valeat id, quod ab initio ſubſiſtebat; ut dicitur Tit. *de Deſponſatione impuberum per verba de præſenti*. Eſt enim nullum tale Matrimonium: cœterùm accedente conſenſu poſt annos pubertatis ſivè expreſſo, ſive tacito, ratione hujus novi conſenſus ſupervenientis, matrimonium, quod ab initio erat nullum, convaleſcit.

REGULA XIX.

Non eſt ſine culpa, qui rei, quæ ad ipſum non pertinet; ſe immiſcet.

HÆc Regula ſumpta eſt ex textu Civili Lege *Culpa eſt*, ff. eo tit. & ex lege Canonica cap. *Clerico* diſt. 50. & cap. *Nec is* §. *cùm itaque*. Cauſa 15. q. 1. ubi ponitur caſus in Clerico, qui immiſcendo ſe eum ſæcularibus projicit lapides ad exercendam fortitudinem corporis, & aliquem hominem ibi fortuitò tranſeuntem involuntariè occidit. Similiter ponitur caſus in Clerico ſagittante, & exercente Medicam artem, aut Chirurgiam, ſi ſequatur mors, non eſt ſine culpa, quia dat operam rei ſibi illicitæ, & ad eum non ſpectanti; unde dicitur mors involuntaria quidem in effectu, quia ſequitur contra ejus voluntatem; voluntaria tamen in cauſa, quia non debet Clericus ſe immiſcere in his rebus, ſeu exercitiis, quæ ſunt prohibita ſtatui Clericali: unde evadit Irregularis morte ſecuta.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati: igitur qui voluntariè ſe immiſcet alicui rei periculoſæ ſibi prohibitæ, ex qua ſequitur aliquod damnum, eſt Reus damni, licet enim damnum ſequatur abſquè advertentia, & deliberatione; tamen quia voluntariè appoſuit cauſam, quam non debebat, utpotè illi prohibitam, eſt reus effectus ſequuti: non enim ſequutus fuiſſet talis effectus, ſi talem cauſam non appoſuiſſet: igitur non eſt ſine culpa, qui rei, quæ ad ipſum non ſpectat, ſe immiſcet.

Obſervandum tamen eſt, quod per hanc Regulam non prohibetur quis ſe immiſcere rei, quæ ad alium ſpectat, ſi hoc faciat juſto, & debito titulo, puta tamquàm Advocatus, ſeu Procurator, ſeu tamquàm Tutor, aut Curator, vel tamquàm Conſanguineus, vel Amicus, & hoc ſpecialiter ex commiſſione illius, ad quem res ſpectat. Senſus ergò Regulæ eſt, quòd non eſt ſine culpa, qui rei, quæ ad ipſum non ſpectat, ſcilicet rei, vel exercitio proprio ſtatui vetito, ſeu illicito ſe immiſcet, quia taliter ſe immiſcendo rei illicitæ, peccat; & eſt reus effectus, qui ſequitur, ut dicitur de Clerico Venatore, qui inter venandum occidit hominem, putans occidere Feram.

REGULA XX.

Nullus uti pluribus defenſionibus prohibetur.

HÆc Regula deſumitur ex jure Canonico cap. *Auditis* de præſcriptionibus, ubi ſtatuitur, quòd in caſu

quo

quo Epiſcopus prætendat jurisdictionem habere ordinariam ſuper aliquam Eccleſiam ſitam in ſua Diœceſi, quæ Eccleſia tùm ex Privilegio Sedis Apoſtolicæ, tùm ex præſcriptione legitimâ gaudet immunitate à juriſdictione Epiſcopi, poterit talis Eccleſia ſe defendere tùm virtute Privilegii, tùm virtute præſcriptionis; reſpondendo Epiſcopo, quòd ſe defendit ſtante Privilegio Apoſtolico, & ſimul ſi adhuc Privilegium Apoſtolicum non ſubſiſteret, ſe defendit legitimâ præſcriptione. Utrumque enim proponere poteſt in ſua reſponſione ſub tali conditione, ut ſi unum non ſubſiſtit, ſubſiſtat aliud, quia nullus uti pluribus defenſionibus prohibetur.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia defenſio competit unicuique ex jure naturæ, & cum plerumque contingat, quòd quis poſſit ſe defendere ex pluribus motivis, ſeu exceptionibus, ut dictum eſt de Eccleſia immuni, quæ ſe defendit à juriſdictione Epiſcopi, tùm ratione Privilegii Apoſtolici, tùm ratione legitimæ præſcriptionis, ideo non poteſt Judex negare alicui, ut ſe defendat pluribus Titulis, eos adducendo in prima inſtantia, quòd ſi unum tantùm titulum adduceret in ſui defenſionem, & circa eum ſuccumberet, quia deficeret in probatione, eſſet difficile, quòd Judex vellet ei admittere alium titulum defenſionis, de quo in prima reſponſione nullam fecit mentionem: igitur eſt neceſſe, ut defendens proponat, & adducat alios titulos ſuæ probationis; quia in tali caſu ſi unus titulus non ſubſiſtit, poſſit alium probare, quod ſufficit.

Et licet Actor in agendo contra Reum non poſſit niſi unam actionem proponere, ut determinatur in jure Civili, quia Actor non poteſt ad plura ſe convertere; Reus tamen habet à natura jus ſe defendendi omnibus modis, quibus poteſt: *Et in obſcuris reo potius favendum eſt, quàm Actori*, ut dictum eſt ſupra Regula 11.

REGULA XXI.

Quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt.

HÆc Regula deſumpta eſt ex pluribus Textibus tùm juris Civilis, tùm Canonici, præſertim ex cap. primo de Judiciis in antiquo, ſcilicet Decretalibus, ubi ſtatuitur, quòd ſi quis conveniatur coram Judice ſibi ſuſpecto, à quo poſſet recedere per exceptionem, ſi vellet, ſi conſenſum præbeat de ſtando ejus Judicio, non poteſt poſtea à tali Judice recedere, ſed tenetur coram eo comparere, & proſequi cauſam: quia quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia conveniens eſt, & æquitati conſonum, voluntatem hominum eſſe ſtabilem, & non laborare vitio inconſtantiæ; aliàs contractus humani non haberent firmitatem, & tolleretur fidelitas in commerciis.

Hæc tamen Regula plures habet exceptiones; non ſolùm quia voluntas humana, ut dicitur, eſt deambulatoria, & inſtabilis, ſed etiam quia à jure tùm Civili, tùm Eccleſiaſtico in pluribus caſibus permittitur unicuique mutare propoſitum, & voluntatem abſquè vitio inconſtantiæ, & ſpecialiter quando propoſitum mutatur non ſolùm de malo in bonum; tunc enim eſt neceſſaria mutatio; ſed etiam quando mutatur de bono in melius, quod eſt actus virtutis.

Ad hoc ergo ut hæc Regula habeat locum, ſex conditiones debent concurrere. Prima ut poſtquàm aliquod placuit, non ſuperveniat aliqua gravis cauſa de novo, ut illud diſpliceat. Secundò ut quod ſemel placuit, non ſit à jure revocatum, tunc enim non tenetur illud adimplere. Tertiò quòd illud, quod ſemel placuit, placuerit ei ſcienter, & non per ignorantiam, vel fraudem: tunc enim non fuiſſet propoſitum, ſeu voluntas deliberata. Quartò quòd illud, quod ſemel placuit, non ſolùm placuerit mente, & internè, ſed quòd fuerit expreſſum ſigno externo, puta voce, aut ſcripturâ.

Quintò

Quintò quòd illud, quod ſemel placuit, alterius intereſt: ſi enim ſit res ad ſe ſolùm pertinens, cùm Agens ſit Dominus mutandi ſuam voluntatem poterit mutare propoſitum. Sextò hæc Regula non habet locum in illis caſibus, in quibus lex expreſsè permittit revocare, quod ſemel placuit, ut in revocatione Teſtamentorum, ut ſcilicet fieri poſſit novum Teſtamentum, revocatis prioribus: ſimiliter in revocatione ſponſaliorum de futuro per ſponſalia de præſenti; & de revocatione ſponſaliorum de præſenti per ingreſſum Religionis infra duos menſes, & alia plura, quæ habentur in jure.

REGULA XXII.

Non debet aliquis alterius odio prægravari.

HÆc Regula deſumpta eſt ex cap. *Si habes*. Cauſa 24. q. 3. ubi ſtatuitur, Filium non eſſe excommunicandum pro peccato ſui Patris; & ex cap. *Si Compromiſſarius* de electione; ubi ſtatuitur, quòd Canonici habentes facultatem eligendi ſibi Epiſcopum, ſi compromittant in aliquos Arbitros, & iſti eligant indignum, non propter hoc tales Canonici amittunt jus eligendi pro illa vice, ſicut amiſiſſent, ſi per ſe ipſos elegiſſent indignum: nàm nullus debet ex culpa alterius gravari.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia pœna correſpondet culpæ: igitur prò culpa alterius quis puniri non poteſt.

Verum tamen eſt, quod hæc Regula aliquas patitur exceptiones, ut in crimine hæreſis, aut in crimine læſæ Majeſtatis, in quibus delictum Patris refunditur etiam in Filios, qui licet non ſint in culpa, tamen remanent infames, privati bonis paternis, & incapaces bonorum Eccleſiaſticorum, & hoc in odium tanti criminis. Ex quo deducitur, quòd propter atrocitatem criminis punitur aliquandò quis pro culpâ alterius, pœna tamen temporali, etiam ſpirituali ſcilicet incapacitate ad beneficia, non tamen pœna excommunicationis, ut dictum eſt. Pœnâ autem æternâ à Deo numquàm quis punitur propter culpam alterius.

REGULA XXIII.

Sine culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus.

HÆc Regula, licet ſit una duas tamen Regulas videtur continere. Prima quòd non debet quis puniri ſine culpa. Secunda quòd punitur quis ſine culpa, quandò ſubeſt juſta cauſa. Prima pars probatur, quia pœna correſpondet culpæ; unde ei, in quo non præceſſit culpa, non debet dari pœna. Secundum autem probatur, quia aliqui de facto puniuntur à jure tùm Civili, tùm Canonico, licet in iis non præceſſerit culpa, ſed in aliis, & hoc ob juſtam cauſam; ut in jure Civili de Filiis illius, qui commiſit crimen læſę majeſtatis, qui puniuntur propter crimen Patris: & in jure Canonico in Filiis eorum, qui inciderunt in hæreſim, ut dictum eſt. Similiter in illegitimis, qui ſunt Irregulares, & in Bigamis. Hoc autem non eſt ſine cauſa, quia in Bigamis deficit ſignificatio Sacramenti: in illegitimis timetur incontinentia Parentum: & in Filiis Hæreticorum propter gravitatem criminis, ut dictum eſt. Propriè tamen Irregularitas non eſt pœna, ſed inhabilitas, quæ poteſt imponi ſine culpa. Regulariter ergo nullus punitur ſine culpa, ut dicitur cauſa 15. qu. 7. & cap. ultimo tit. de Pœnis, quia pœna eſt menſura culpæ: ubi autem non extat menſurandum, menſura locum non habet. Benè tamen ſtat, quòd aliquando detur cauſa juſta, & rationabilis, ut quis à jure puniatur, vel potius declaretur inhabilis ad aliquod, propter delictum, vel culpam alterius, ut dictum eſt.

RE-

REGULA XXIV.

Quod quis mandato facit Judicis, dolo facere non videtur, cùm habeat parere neceſſe.

HÆc Regula deſumpta eſt ex pluribus Capitibus juris Canonici, ſed præcipuè cap. *Si Clericus* de ſententia excommun. in hoc 6. libro, ubi dicitur, quòd ſi per Birruarios Laicos ex mandato Judicis Eccleſiaſtici incarceretur, aut puniatur Clericus Malefactor, non propter hoc tales Laici incurrunt excommunicationem: quia cùm hoc faciant ex mandato Judicis competentis, dolo facere non videntur, unde pœnam non merentur.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia dolus, ſive culpa non præſumitur, ubi eſt neceſſitas parendi, ſed ad mandatum Judicis eſt neceſſitas parendi propter Iudicialem authoritatem, cui quis tenetur obedire: igitus in eo, qui operatur ex mandato Judicis, non præſumitur dolus, aut culpa: igitur excuſatur tùm à culpa, tùm à pœna.

Verum tamen eſt, quod hæc Regula intelligitur, quando Judex, vel Superior mandat aliquid juſtè, & ſpectans ad officium ſuum; ſi enim mandaret aliquid injuſtum, aut aliquid excedens ſuam juriſdictionem, in tali caſu ei parendum non eſt, quia non mandat ex officio, ut ſi Judex Laicus mandaret ſuo Miniſtro, ut compræhenderet, & puniret Clericum; tunc enim non excuſatur talis Miniſter à dolo, ſeu culpâ, quia in tali caſu potiùs eſt Deo obediendum, quàm homini non habenti authoritatem talia præcipiendi.

REGULA XXV.

Mora ſua cuilibet eſt nociva.

HÆc Regula deſumpta eſt cauſa 16. q. 1. cap. *decimæ*, ubi dicitur, quòd ſi aliquis non ſolvit decimas Parocho debito tempore, puta Frumentum tempore meſſis, aut vinum tempore vindemiæ, aut tales decimas apud ſe retineat ſolvendas alio tempore, ſi interim tales decimæ pereunt, aut ſint furto ablatæ, tenebitur ille ad eas compenſandas, & dare pretium Parocho, etiamſi caſu, & abſquè dolo poſſidentis tales decimæ perierint. Sufficit enim ad hoc culpa, quæ habetur ex mora, quia tales decimas debebat conſignare debito tempore, quia mora ſua cuilibet eſt nociva. Idem dicitur de Commodatario, cui aliquis commodavit librum, aut veſtem uſque ad tempus præfixum, puta per menſem. Si commodatarius rem commodatam retinet ultra menſem, & interim res pereat, aut furto ſit ablata, etiam abſquè culpa Commodatarii; tamen ex mora tenetur rem illam compenſare Domino, ad quam compenſationem non teneretur, ſi res caſu periiſſet, aut furto fuiſſet ablata infra talem menſem: tenetur ergo in tali caſu ratione moræ, quæ cuilibet eſt nociva.

Notandum tamen eſt, quòd ad hoc ut quis ſit culpabiliter moroſus, tria requiruntur. 1. quòd ſciat ſe debere, vel ſcire debeat: ignorantia enim probabilis excuſat. Secundò quòd fuerit interpellatus, vel publicè, vel privatè ad effectum ſolvendi; debet enim monitio præcedere. Tertiò quòd talis, qui eſt in mora, habeat poſſibilitatem ſolvendi: nam impedito aut impoſſibilitato, non currit tempus.

An autem mora purgari poſſit, itaut non incurratur pœna? Reſpondetur, quòd ubi dies præfigitur à Canone, vel lege pœnam imponente, mora purgari non poteſt; culpa enim cui à Judice impoſita eſt pœna, ſemel commiſſa purgari non poteſt: ſecùs ſi pœna moroſo ſit impoſita ab homine, aut ſi in jure ſit expreſſum, quòd talis mora purgari poſſit, ut in præparatoriis Judiciorum, in quibus mora benè purgatur, ſed poſt litem contextatam non purgatur: multò igitur minùs purgabitur mora, culpâ ſemel commiſsâ, niſi fortè quis fingat, ſeu probet, ſe non fuiſſe in mora culpabili, vel ex ignorantia probabili, vel ex inconſideratione, aut carentia citationis, aut ex impoſſibilitate, ut dictum eſt.

REGULA XXVI.

Ea quæ fiunt à Iudice, ſi ad ejus non ſpectent officium, viribus non ſubſiſtunt.

HÆc Regula deſumpta eſt ex cap. *Quorum vires*, diſt. 67. ubi ſtatuitur, quòd ſimplex Sacerdos, imò Archidiaconus, vel Archipresbyter, aut alius Prælatus non Epiſcopus, conferendo Ordines, Chriſma conficiendo, vel Virgines conſecrando, nil agunt, quia ad hæc facienda poteſtatem non habent: hæc enim ſpectant ad juriſdictionem Epiſcopalem, unde qui Epiſcopus non eſt, ſi ea faciat, nihil facit; ad validitatem enim facti requiritur neceſſariò facultas faciendi. Et hoc verum eſt, etiam ſi id, quod fit, bonum, & juſtum ſit, ut habetur diſt. 96. cap. *Bene quidem*, ubi dicitur Statutum Imperatoris de rebus Eccleſiarum non alienandis non tenere, quia hoc ad ejus non ſpectabat Officium. Generale enim eſt, quòd non ſufficit bonum facere, niſi & benè id fiat.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia ea, quæ fiunt à Judice, in tantùm viribus ſubſiſtunt, in quantum fiunt à Judice, ut Judex eſt, & habet juriſdictionem ad judicandum: ſed circa ea, quæ ad ejus non ſpectant officium, non eſt Judex, nec habet juriſdictionem ad judicandum, cùm ſint extra ejus authoritatem: ergo ſi ea faciat, viribus non ſubſiſtunt. Et hoc generaliter intelligitur de Judice tàm Ordinario, quàm delegato, & de arbitris, ſeu Compromiſſariis, qui non debent excedere fines authoritatis ſibi conceſſæ: ſicut enim Procurator non debet excedere fines ſui mandati, ita nec Judex nec arbitri debent excedere fines propriarum authoritatum; aliàs quod faciunt, viribus non ſubſiſtit.

Circa hanc Regulam ſolet moveri dubium: an ſi Judex habens authoritatem condemnandi in decem, condemnet in viginti, teneat ſententia ſaltèm in decem. Reſpondent communiter, quòd ſi res eſt diviſibilis, tunc licet ſententia non ſubſiſtat in totum, ſubſiſtit in parte: *utile enim per inutile non vitiatur*; ſecus ſi res ſit indiviſibilis, itaut ſeparari non poſſit utile ab inutili, tunc enim ſententia tota corruit.

Obſervandum tamen eſt, quòd hæc Regula non habet locum in his rebus ſpiritualibus, quæ potius pendent ab Ordine, quàm à juriſdictione; ut ſi Epiſcopus conſecret alienam Eccleſiam, aut ordinet alienum Clericum ſine dimiſſoriis proprii Epiſcopi; valet talis conſecratio, & Ordinatio, quia hujuſmodi ſpiritualia potiùs pendent ab Ordine Epiſcopali, quàm à juriſdictione Epiſcopi: unde non dicuntur aliena ab ejus officio; peccaret tamen Epiſcopus, qui hujuſmodi ſpiritualia exerceret abſque legitimâ licentiâ illius Epiſcopi, ad quem Eccleſiæ conſecrandæ, vel Clerici ordinandi pertinent.

REGULA XXVII.

Scienti, & conſentienti non fit injuria, neque dolus.

HÆc Regula deſumpta eſt ex cauſa 29. q. 2. ubi dicitur, quòd ingenuus, & liber contrahens liberè, & voluntariè Matrimonium cùm Serva, ſciens ipſam eſſe Servam, validè contrahit, quia ſcienti, & conſentienti non fit injuria, neque dolus.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia omnis injuria, vel dolus procedit, vel ex violentia, aut ex fallacia, qua quis circumvenitur ad decipiendum; ſed ſciens, & liberè conſentiens non patitur violentiam, neque decipitur, ſi ſciat, & conſentiat rei, prout eſt in ſe: ergo ſcienti, & conſentienti non fit injuria, neque dolus; injuria enim, & dolus ad hoc ut tales dicantur, neceſſe eſt, ut ſint contra voluntatem patientis injuriam, & dolum. Si autem quis voluntariè patitur; jam non eſt ei injuria, nec dolus. Hoc autem intelligitur quotieſcumque non intervenit aliqua deceptio; ſi enim ſuccedat res aliter, quàm patiens ſciat, & conſentiat, & hoc ex malitia Actoris, in tali caſu adeſt malitia, &

dolus, & injuria, ut patet in emptione, & venditione rei habentis defectum occultum, qui à Venditore non manifeſtatur emptori; aut ſi manifeſtatur, manifeſtatur diminutè, & aliter quàm ſit; tunc enim ſit ei injuria, & dolus.

Hæc Regula ponitur copulativè; itaut non ſufficiat, quòd quis ſciat, ſed neceſſe eſt, ut ſimul etiam conſentiat; poteſt enim ſcire, & non aſſentiri, in quo caſu pateretur injuriam, & dolum. Similiter requiritur, quòd id, quod quis patitur, præciſè ſit contra ejus perſonam, & non contra ejus conditionem, aut ſtatum, ut dicitur de Clerico aſſentiente, ut percutiatur: ſit enim in tali caſu injuria Ordini Clericali, cui præjudicare non poteſt prædictus Clericus; non enim hoc pendet à ſua voluntate.

REGULA XXVIII.

Quæ à jure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda.

HÆc Regula deſumpta eſt ex cap. *Quanto*, de Judiciis, ubi dicitur, quòd licèt ab Eccleſia conceſſum ſit Laicis fundantibus jus Patronatus, eorumque deſcendentibus jus nominandi, & præſentandi Epiſcopo Clericos idoneos ad hujuſmodi beneficia; tamen tale Privilegium non poſſunt Laici extendere ad cognoſcendum de cauſis ad hujuſmodi beneficia ſpectantibus; quia illud Privilegium factum Laicis de nominando, & præſentando Clerico ad beneficium eſt Privilegium exorbitans à jure communi, quo ſtatuitur, ne Laici poſſint ſe immiſcere in his, quæ ſpectant ad jus ſpirituale: unde cùm hoc ſit illis conceſſum quoad nominationem, & præſentationem, non eſt extendendum ad cognitionem cauſarum ad tales Eccleſias ſpectantium; ſpectabit ergo ad Epiſcopum eas cognoſcere, licet ad Laicos pertineat Clericos ad illas Eccleſias præſentare propter rationem iſtius Regulæ.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia quæ à jure communi exorbitant, ſingularia ſunt, & ſingularibus conceſſa: igitur non ſunt ad conſequentiam trahenda, etiamſi fortè ſit eadem ratio, aut paritas; quia intentio Principis, qui diſpenſat aliquem particularem à jure communi, non eſt, ut diſpenſetur alius à tali jure, ſed ſolùm ille, quem Legiſlator, aut Princeps excipit à tali obſervantia legis. Sunt ergo iſta Privilegia ſingularia, & quia contraria juri communi ſunt odioſa, & ideo non ſunt ad conſequentiam trahenda: in tantùm enim valent iſta Privilegia, in quantùm ſonant, & in quantùm verba explicant in proprio ſenſu; unde non ſunt explicanda, ſed potiùs reſtringenda: igitur non ſunt trahenda ad conſequentiam.

REGULA XXIX.

Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.

HÆc Regula deſumpta eſt ex cap. *Quia propter*, de electione in Decret. ubi ſtatuitur, quòd vacante Eccleſia Cathedrali per mortem, aut renunciationem Epiſcopi, cujus electio ſpectat ad Canonicos talis Eccleſiæ; in tali electione omnes Canonici prædictæ Eccleſiæ, etiam abſentes debent moneri, & vocari ad electionem; aliàs ſi non vocentur, & agant de contemptu, non approbando electionem factam, electio erit caſſanda: quia quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia à nemine tollendum eſt abſquè juſta cauſa jus, quod habet ad aliquid faciendum, cùm nulli debeat inferri præjudicium: igitur ſi omnes habent jus ad aliquam electionem; talis electio erit ab omnibus approbanda, ut in caſu poſito de electione Epiſcopi ſpectante ad Canonicos Eccleſiæ Cathedralis.

Huic Regulæ videtur obſtare id, quod ſtatuitur in tit. de his, quæ fiunt à majori parte Capituli, ſcilicet quòd illud, quod fit a majori, & ſaniori parte capituli, verè ſubſiſtit, etiam minori parte contradicente: igitur videtur, quòd hæc Regula non verificetur in electionibus,

in

in quibus ut in plurimum major pars prævalet, parte minori contradicente. Reſpondetur tamen, quod hæc Regula verificatur etiàm in electionibus factis a majori parte Collegii, in quibus minor pars, licèt primò adverſa, & diſcordans ab electione majoris partis; tamen factâ electione a majori parte, minor pars accedit, & conſentit majori parti, ſicque dicitur approbari ab omnibus, ut habetur cap. *Apoſtolicâ* de electione. Secùs eſſet dicendum ſi electio ſpectaret ad plures non unitos per modum Collegii, ſed ad plures ut ſingulos, ſcilicet nemine illorum diſcrepante; in tali enim caſu electio, ut eſſet valida, deberet eſſe unanimis non ſolùm approbativè, ſed etiam electivè: ſicque Regula verificatur in utraque electione.

REGULA XXX.

In Obſcuris minimum eſt ſequendum.

HÆC Regula deſumpta eſt ex cap. *Ex parte*, ſupra de Cenſibus, ubi dicitur, quòd ſi alicui Eccleſiæ ſint à Teſtatore relictæ 10. menſuræ frumenti v. g. & in tali loco menſuræ frumenti aliæ ſint majores, aliæ minores, & Teſtator non ſe explicavit de quibus menſuris loquatur, nec poſſit aliunde dignoſci intentio Teſtatoris: in tali caſu Hæres poteſt ſolvere Eccleſiæ decem menſuras minores, quia ſolvendo tales, verum eſt dicere, quod ſolvat decem menſuras frumenti; unde verificatur, quòd adimpleat legatum Teſtatoris.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia de minimo non eſt dubium Teſtatorem ſenſiſſe, quia etiamſi ſenſiſſet de maximo, ſenſiſſet de minimo, quia in maximo includitur minus, non tamen è contra: unde in obſcuris minimum eſt ſequendum.

Verum tamen eſt, quòd in obſcuris non ſtatim inſpicimus id, quod eſt minimum, ſed potiùs primò inſpicimus, quod eſt veroſimilius, & quod plerumque fieri conſuevit: & ſi ex hoc res determinari non poteſt, tunc minimum erit ſequendum. Primò ergò aſſentitur ad id, quod expreſsè ponitur, ſcilicet ad verba accepta in ſignificatione propriâ, & expreſsâ, & ſi hæc expreſſio non habeatur; videndum eſt, an poſſit inveſtigari intentio tacita, quæ poteſt dignoſci ex circumſtantiis vel rei, de qua agitur, vel perſonæ, de qua dicitur, vel ratione conſuetudinis loci &c. Et ſi ex his nullatenus poſſit depræhendi intentio, tunc attendendum eſt ad id, quod eſt minimum. Hoc verificatur, loquendo de quantitatibus rerum, in quibus in obſcuris minimum eſt ſequendum, ſi aliàs intentio Teſtatoris aliunde haberi non poteſt; non tamen verificatur in ſpeciebus, & artificiis, & qualitatibus rerum, in quibus in obſcuris potius mediocritas eſt ſequenda, quàm minimum; ut ſi Teſtator relinquat Anulum, non explicando valorem: tunc ſequenda eſt mediocritas, attentis circumſtantiis Perſonarum.

REGULA XXXI.

Eum qui certus eſt, certiorari ulterius non oportet.

HÆC Regula deſumpta eſt cap. *Si duobus*, de Appellatione, ubi dicitur, quòd ſi Judex inferior ſciat, Reum poſt ſententiam diffinitivam, vel interlocutoriam legitimè appellaſſe ad Judicem Superiorem, & nihilominùs ſi non compareat ad ejus citationem, ipſum excommunicet, talis excommunicatio non tenet, quia cum talis Judex certus ſit, Reum appellaſſe ad Tribunal ſuperius, non oportet, ut ulterius certioretur. Quæ Regula univerſaliter verificatur in Edictis, vel Præceptis, quæ in locis publicis ſolent affigi, ut obſerventur, quæ notitia publica eſt ſufficiens ad obligandum: non eſt enim neceſſe, ut perſonaliter intimentur unicuique facta in tali publicatione; omnes enim, vel ſciunt talia præcepta, vel ſcire tenentur: nam talis craſſa ignorantia non excuſat.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia qui certus eſt, benè ſcit quod facere debeat: igitur ſuperflue petit ulterius certiorari; hoc enim quod eſt ulterius certiorari, ſpectat ad eum, qui eſt dubius, non ad eum qui eſt certus. Certitudo enim exclu-

cludit omne dubium, & ſuſpicionem de contrario: undè certus non indiget ulterius certiorari.

Contrà hanc Regulam ſolet adduci illud, quod ſtatuitur cap. *Quod inter*, de Electione, ubi dicitur. Canonicos etiàm ſcientes, & certos de morte proprii Epiſcopi, eſſe certiorandos, & vocandos ad electionem. Similiter Iudex licet ſcientia privata ſit certus de maleficio, ſeu delicto patrato ab aliqua perſona particulari; tamen debet ulterius certiorari per Teſtes &c.

Ad primum Reſpondetur, quòd Canonici etiàm certi de vacatione Eccleſiæ, adhuc ſunt vocandi ad electionem, & certiorandi non de vacatione, de qua jam certi ſunt, ſed de die aſſignato ad electionem, quæ debet eis juridicè manifeſtari, & intimari; undè de hac certiorantur, non de vacatione Eccleſiæ, de qua jam certi ſunt.

Ad ſecundum dicitur, quòd Iudex licet certus de delicto patrato à Reo, tenetur tamèn facere Proceſſum, & Reum convincere per Teſtes, quia Judex debet judicare non ſcientia privata, ſed publica, & Juridica; eſt enim Judex perſona publica, & tamquam talis non dicitur certus per ſcientiam privatam, ſed per juridicam.

REGULA XXXII.

Non licet Actori, quod Reo licitum non exiſtit.

HÆc Regula deſumpta ex cap. *Prudentiam* de mutuis petitionibus, ubi dicitur, quòd ſi Actor impetravit à Sede Apoſtolica Judices delegatos in aliqua cauſa, omni Appellatione remota, cùm non ſit licitum reo poſt litis conteſtationem coram prædictis Iudicibus a ſententia appellare, multò minus erit licitum appellare ipſi Actori.

Ratio hujus Regulæ eſt, tùm quia æqualitas eſt ſervanda in judiciis, tùm quia, quando partium jura ſunt obſcura Reo favendum eſt potius, quam Actori, ut dictum eſt ſuprà: igitur non erit licitum Actori, quod Reo non licet. An autèm aliquid liceat Reo, quod non licet Actori? Reſpondeo affirmativè, quia Reus majores habet dilationes, quàm Actor, ut ff. *de Teſt.* l. ultima. Similiter Reus habet deliberatorias, & non Actor, ut in Autent. C. *de lit. conteſt.* Et hoc quià Reo favendum eſt potius, quam Actori: igitur a fortiori non eſt licitum Actori, quod Reo licitum non exiſtit.

REGULA XXXIII.

Mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum.

HÆc Regula deſumpta eſt ex Cap. *Publicato* de Electione in antiquo, ubi dicitur, quòd facta Electione, & publicato ſcrutinio, non poſſunt Electores mutare conſilium, nec reſilire a tali electione iam facta, & publicata: hoc enìm eſſet in detrimentum, & præjudicium electi, qui ex vi electionis acquirit jus ad rem: igitur quis non poteſt conſilium mutare in alterius detrimentum.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia contrà Juſtitiam eſt auferre ab alio jus, quod acquiſivit in re, aut ad rem; & hoc ſuccederet, ſi quis mutaret conſilium in detrimentum alterius, quia mutando conſilium auferret ab eo jus, quod contulit per primum conſilium, ut dictum eſt in caſu poſito de electione jam facta, & de publicato ſcrutinio: igitur hoc licitum non eſt.

In duobus tamen caſibus licitum eſt mutare conſilium. Primò quando talis mutatio conſilii non eſt in detrimentum, vel præjudicium alterius, eo quod nullum Jus alter acquiſivit in tali re, ut patet in eo, qui facto uno Teſtamento in favorem alicujus, tali Teſtamento revocato, aliud Teſtamentum conficit in favorem alterius, quod utique licitum eſt, quia Teſtator quouſque vivit, eſt Dominus ſuæ hæreditatis, & poteſt conſilium mutare, eo quòd Hæres non acquirit Jus, niſi ſequutâ morte Teſtatoris.

Secundò poteſt quis mutare conſilium etiàm cum alterius detrimento, ſi adſit

adſit juſta cauſa ſuperveniens, ut patet in donatione, aut legato facto in favorem alicujus, qui ſigna ingratitudinis oſtendit erga ſuum Benefactorem: in tali enim caſu licitum eſt reſcindere contractum, & mutare conſilium.

REGULA XXXIV.

Generi per ſpeciem derogatur.

HÆC Regula deſumpta eſt 93. diſt. cap. ult. ubi dicitur, quòd Diaconus eſt minor Præsbytero, generaliter loquendo, eo quòd Præsbyteratus eſt ordo altior Diaconatu; cæterum quoad Juriſdictionem Diaconus poteſt dici major Præsbytero in eo caſu, quo Diaconus obtinet vices Epiſcopi. Item ex cap. *Studuiſti*, de Officio Legati, ubi dicitur, quòd licèt Legatus de latere habeat Juriſdictionem generalem, & Ordinariam ad omnes cauſas cognoſcendas in ſua Provincia; tamen ſi Papa delegat in tali Provincia aliquam cauſam alteri, ſpectabit talis cognitio cauſæ non ad Legatum, ſed ad delegatum Papæ, quia generi per ſpeciem derogatur. Et hoc maximè verificatur in Reſcriptis: per Reſcriptum enim ſpeciale derogatur legi, vel Decreto generali.

Ratio hujus Regulæ eſt: Quia concedens Reſcriptum generale, non per hoc privat ſe authoritate concedendi aliud reſcriptum ſpeciale contra illud generale; in quo caſu per ſpeciale Reſcriptum derogatur Reſcripto generali: unde verificatur, quòd generi per ſpeciem derogatur.

Obſervandum tamen eſt, quod hæc Regula, ut notat Gloſſa, non procedit in Privilegiis, quia Privilegium ſpeciale non tollit generale, niſi in Privilegio ſpeciali expreſsè derogetur generali. Et ratio eſt, quia per primum Privilegium etiam generale conſequitur quis ſtatim jus plenum, quod tolli non poteſt per contrarium Privilegium ſpeciale, niſi illud Privilegium generale revocetur. Cæterum per Reſcriptum generale non conſequitur quis ſtatim plenam Juriſdictionem in ſpeciebus, ut dicitur *Cap. Paſtoralis*, de Reſcriptis: unde in Reſcriptis generi per ſpeciem derogatur; ſecus in Privilegiis.

REGULA XXXV.

Plus ſemper in ſe continet quod eſt minus.

HÆc Regula deſumpta eſt ex cap. *Si quis dederit* 24. quæſt. 1. ubi dicitur quòd inter ſcholaſticos erat controverſia, quæ nam pœnitentia debebat aſſignari prò tali delicto, puta furto &c. aliis aſſerentibus, quòd erat imponenda pœnitentia quinque annorum, aliis aſſerentibus eſſe aſſignandam pœnitentiam ſeptem annorum, aliis autèm aſſerentibus deberi pœnitentiam decem annorum. Reſpondit Papa, quòd valet ſententia de pœnitentia quinque annorum, quia in eo etiam alii conveniunt, eo quòd in majori continetur id, quod eſt minus. Et idem dicitur cap. primo de Arbitris; ubi dicitur, quòd valet ſententia illius Arbitri, qui condemnavit Reum in ſcutis 20. aliis duobus Arbitris condemnantibus in majori ſumma, ſcilicet uno in ſumma ſcutorum triginta alio in ſumma ſcutorum quadraginta, & hoc quia plus in ſe continet quod eſt minùs.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia concedens id, quod plus eſt quantitate, ex conſequenti concedit etiam id, quod eſt minus in tali genere: nam plus ideò dicitur tale, quià continet minus, aliàs non eſſet plùs, ſed æquale, vel minus: igitur plus continet minus. Non tamèn è contra, quia minus non continet plus. Undè hæc Regula verificatur de eo, quod eſt plus quantitate, quod ſcilicet continet quod eſt minus quantitate; non verò de eo quod eſt plus qualitate, quia hoc non includit quod eſt minus qualitate.

RE-

REGULA XXXVI.

Pro Poſſeſſore habetur, qui dolo deſiit poſſidere.

HÆC Regula deſumpta eſt ex caplte *Eccleſia Sancta Maria* Titulo *ut lite pendente*, ubi dicitur, quòd qui poſſidet rem, de qua eſt dubium, an ſit alterius, qui eam repetit, & talis Poſſeſſor dubitans ſe eſſe cogendum ad reſtitutionem, nè illam reſtituat, ipſam alienat vendendo, aut donando &c. Talis Poſſeſſor, qui aliàs rem alienavit dolo, & malitia, tenetur ad reſtitutionem, ac ſi de facto rem illam poſſideret: nam prò Poſſeſſore habetur, qui dolo deſiit poſſidere; undè ad ipſum ſpectat procurare, ut res illa reſtituatur ſuo Domino, ſi extet, aut ſi non extet, tenebitur reſtituere pretium illius, quod taxandum eſt a Judice arbitrio prudentis Viri.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia fraus nulli debet patrocinari; ſed qui deſiit dolo rem poſſidere, ne ſcilicet reſtituat rem illam vero Domino petenti illam, fraudem committit: igitur ei talis fraus non debet ſuffragari: tenebitur ergò ad reſtitutionem, ac ſi eam poſsideret, quia licet realiter eam non poſsideat, eam tamen poſsidet fictione Juris.

Hæc Regula non procedit de Poſſeſsione bonæ Fidei, cùm ſcilicet quis bona fide rem poſſedit ut ſuam, & continuans in tali bona fide, rem illam vendit, aut donat antè tempus taxatum ad præſcriptionem. Talis enim, qui non dolo, ſed bona fide alienavit, tenetur quidèm ſi deſiit in eo bona fides antè præſcriptionem, rem illam, aut pretium reſtituere vero Domino, ſi res extet; Sed ſi fuerit conſumpta, aut caſu furto ablata, ad nihil tenebitur, quià deſiit poſſidere mala fide, ſcilicet dolo, & malitia; tunc enim tenebitur reſtituere, etiamſi caſu, & fortuitò res perierit, aut furto fuerit ablata, quia tunc fictione juris habetur ut Poſſeſſor.

REGULA XXXVII.

Utile non debet per inutile vitiari.

HÆc Regula deſumpta eſt ex cap. *Si quos*, cauſa 12. qu. 2. ubi dicitur, quòd ſi Epiſcopus manumittat aliquem ſervum, ſive mancipium Eccleſiæ benè meritum, & ei donaverit aliquam Poſſeſſionem ejuſdem Eccleſiæ, talis donatio non valet, quia eſt contra jus Canonicum quo prohibetur, ne res Eccleſiæ poſſint alienari: manumiſſio tamen valet, quia conceditur Epiſcopis, ut ex cauſa rationabili poſſint ſervos Eccleſiæ benè meritos manumittere. Similiter hoc exemplificatur in donatione alicujus, qui abſque inſinuatione, ſeu licentia Judicis donavit alteri ſcuta mille, quæ donatio abſque Judicis conſenſu facta nulla eſt, quia ſecundùm jus Civile nullus poteſt alteri donare abſque inſinuatione niſi ſcuta centum; tenet ergo talis donatio quoad centum, ſed non quoàd mille, ut habetur L. *Sancimus*. C. *de donationibus*: igitur utile per inutile non vitiatur.

Ratio hujus Regulæ eſt. Quia res, quæ fit, debet perſiſtere, & valere eo meliori modo, quo eſt poſſibile: ergo ſi aliquod factum non poteſt valere, nec perſiſtere in totum, & aliàs poteſt valere, & perſiſtere quoad partem, valebit quoad partem, quæ dicitur utilis, & corruet quoad id quod inutile, & illicitum eſt.

Obſervandum tamen eſt, quòd aliquando contingit, quod utile non eſt ſeparabile ab inutili, quia inutile, & illicitum, eſt de ſubſtantia talis contractus, ut patet in contractu uſurario; tunc enim non verificatur hæc Regula, quæ tantùm verificatur, quando utile eſt ſeparabile ab inutili, ut in exemplis adductis, & in Teſtamentis, in quibus apponitur aliquid inutile, quod habetur pro non appoſito, cùm non ſit de ſubſtantia, & valore Teſtamenti.

RE-

REGULA XXXVIII.

Ex eo, non debet quis fructum conſequi, quod niſus eſt impugnare.

HÆc Regula deſumpta eſt ex cap. *Romanorum* 29. diſtinct. ubi dicitur, quòd qui dicit Decretales Epiſtolas non eſſe authenticas, non poteſt, nec debet aliquam ex illis in ſui favorem allegare, eo quod eas niſus eſt impugnare. Item ff. de *inoffic. Teſtamenti Papianus* §. *Meminiſſe*, ubi habetur, quòd qui impugnavit validitatem Teſtamenti tamquàm inoffïcioſi, & defecit in probationibus, ſi in tali Teſtamento eſt aliquod Legatum in favorem illius, per talem legem privatur prædicto Legato, quia fructum non debet conſequi, ex eo, quod impugnavit.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia non videtur conveniens, ut quis fructum conſequatur, ex eo, quod impugnavit; unde meretur privari, ſicut de facto privatur per legem de tali fructu. Sibi enim debet hoc imputare, cùm malitioſè impugnaverit quod impugnare non debebat: unde ſicut non debet quis impugnare id, ex quo fructum conſequitur, ita non debet fructum conſequi, ex eo, quod quis niſus eſt impugnare.

Obſervandum tamen eſt, quòd ad verificationem hujus Regulæ, tria requiruntur. Primò quòd qui impugnat perſeveret in impugnatione uſque ad ſententiam: ſi enim deſiſtat ab impugnatione, non privatur fructu; ea enim quæ quis non proſequitur, habentur pro non factis. Secundò quòd talis impugnatio non procedat ab eo, nomine alterius, ſeu ex officio: in tali enim caſu excuſatur, quia non impugnat tamquàm perſona particularis, & propria; unde tamquàm talis debet percipere fructum. Tertiò quòd impugnatio ſit circa idem, ex quo deberet fructum percipere: ſi enim ſint diverſa, nec aliquo modo connexa, poterit impugnare unum, & ex alio fructum conſequi.

REGULA XXXIX.

Cùm quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ ſequuntur ex illo.

HÆc Regula deſumpta eſt ex cap. *Denique* 3. diſt. ubi dicitur, quòd cùm in jejunio quadrageſimali ſit prohibitus uſus carnium, conſequenter eſt etiam prohibitus uſus caſei, ovorum, aliorumque lacticiniorum, quæ originem ſementinam ducunt à carnibus: cùm enim quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ ſequuntur ex illo. Similiter ex cap. *eos* diſt. 81. ubi dicitur, quòd eo ipſo, quòd quis ſit ſuſpenſus ab officio, eſt etiam ſuſpenſus à beneficio, quia beneficium dicitur propter officium: igitur ſuſpenſus ab officio dicitur ſuſpenſus à beneficio ex vi hujus Regulæ.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia ſicut prohibito fine, prohibentur ex conſequenti media, quæ conducunt ad talem finem; ita prohibitâ causâ, prohibentur effectus procedentes ex ea: non enim effectus habent minorem conjunctionem cùm ſua cauſa, quàm media cum fine: ergo ſi prohibito fine prohibentur media ad illum ratione talis conjunctionis, ita ratione ejuſdem conjunctionis prohibitâ causâ prohibentur effectus provenientes ex tali cauſa.

REGULA XL.

Pluralis locutio, duorum numero eſt contenta.

HÆc Regula deſumpta eſt ex cap. *Hoc quoque* de Conſecrat. diſt. 1. ubi dicitur, quòd cùm Sacerdos Miſſam celebrat, ex quadam honeſtate, & convenientia ſit cautum in jure Canonico, quòd ſint plures audientes, ut verificentur illa verba Sacerdotis, *Dominus vobiſcum*, ſufficit ad illorum verborum ſignificationem, ut ſint ſaltem duo, quia pluralis locutio duorum numero eſt contenta. Similiter ex cap. *Is cui*, de præbenda ubi

ubi dicitur, quòd qui eſt diſpenſatus à Papa, ut poſſit obtinere plura Beneficia, intelligitur diſpenſatus, ut duo tantùm Beneficia obtinere poſſit, & non plura; quia cum talis diſpenſatio ſit contrà Jus commune, eſt ſtrictè interpretanda, ſcilicet in minori numero quàm patiantur verba diſpenſationis; ſed talia verba diſpenſationis verificari poſſunt in duobus tantùm Beneficiis: igitur non eſt extendenda diſpenſatio ad plura alia; nàm pluralis locutio duorum eſt contenta.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia pluralis locutio in tantùm dicitur talis, in quantum diſtinguitur à locutione ſingulari; ſed à locutione ſingulari diſtinguitur, in quantùm locutio ſingularis unum tantùm ſignificat: igitur non eſt extendenda diſpenſatio ad plura alia; nàm pluralis locutio duorum numero eſt contenta.

Obſervandum tamen eſt, quòd licet hæc Regula verificetur in cauſis, & Inſtrumentis, in quibus regulariter ſufficiunt duo Teſtes; interdùm tamen unus ſufficit fide dignus, ubi ſcilicet nulli ſit præjudicium de Conſecrat. diſt. 4. cap. *placuit*: aliquando requirūtur plures Teſtes quàm duo, ut in Teſtamentis, Codicillis, Donationibus, Legitimationibus &c. ſed hæc omnia non militant contra iſtam Regulam, nàm hæc Regula verificatur, quando pluralis locutio eſt indefinita, & non explicat, nec ſpecificat numerum particularem. In contractibus autem recenſitis jura diſponunt de numero particulari Teſtium.

REGULA XLI.

Imputari non debet ei, per quem non ſtet, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum.

HÆc Regula deſumpta eſt ex cap. *Cùm ſit Romana* de Appellat. ubi dicitur, quòd licèt appellans teneatur proſequi appellationem infra annum, aliàs ejus appellatio ſit deſerta, & ſe habet ac ſi facta non fuiſſet; attamen ſi ille, qui appellavit, fuit impeditus, itaut ei non fuerit poſſibile appellationem proſequi, & hoc probaverit; tunc ei à Judice debet concedi alius annus, ſive aliud tempus ſufficiens ad proſequendam appellationem, & hoc propter rationem hujus Regulæ. Similiter ex cap. *Commiſſa* de electione ubi dicitur, quòd Clericus obtinens beneficium Curatum, ſi infra annum non ſuſcipit Ordinem Presbyteratus, vacat tale beneficium, & debebit alteri conferri: ſi tamen hujuſmodi promotus ad tale beneficium fuerit impeditus, taliter quòd, factâ omni diligentiâ, non potuerit ordinari, in tali caſu excuſabitur, quia per ipſum non ſtetit. Benè tamen eſſet, ad tollendas lites quòd talis Clericus impeditus juridicè proteſtaretur quòd per ipſum non ſtat, ut ordinetur Sacerdos, ſed ſtar per alios, qui ipſum impediunt, quia culpa debet eſſe voluntaria, & ille non eſt culpabilis.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia nemo eſt pœna aliqua plectendus, niſi in his, in quibus eſt culpabilis: pœna enim correſponder culpæ; ſed qui non facit id, ad quod tenetur, ſuppoſito quod per ipſum non ſtet, ſed ſit ab alio impeditus, nullam committit culpam, quia culpa debet eſſe voluntaria: qui autem taliter omittit facere id, ad quod tenetur, non voluntariè omittit, quia ex ſe facit quod poteſt: ergo ei non debet imputari; non enim debet impedito imputari quòd non fecerit id, ad quod tenetur.

Obſervandum tamen eſt, quòd ille, qui ſua culpa ſcilicet negligentia, aut dolo ponit cauſam, ut non poſſit facere id, ad quod tenetur, iſte non excuſatur, quià voluntarie ſe exhibuit impotentem ad id, ad quod tenebatur: ſecùs ſi ex accidenti, & cauſaliter, quia ſic excuſabit illum bona fides; non autem in primo caſu, quia cauſa voluntaria cauſæ eſt cauſa cauſati.

Inſuper eſt obſervandum, quòd ille, qui tenetur ad aliquid faciendum, non ſufficit, ut ei non imputetur, ſi illud non faciat, ſi aliàs vellet illud facere, ſed inſuper neceſſe eſt, ut adhibeat diligentiam, quam poteſt ad illud faciendum; quòd ſi poſita tali diligentia, non eſt ei poſſibile illud facere, erit excuſatus, & tunc verificatur, quòd ei non eſt imputandum, quia per ipſum non ſtetit. RE-

REGULA XLII.

Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis.

HÆC Regula ſumpta eſt ex cap. *De Prudentia*, Titulo de Donatione inter Virum, & Uxorem in Decret. ubi dicitur, quòd ſi bona fide celebratum ſit Matrimonium inter affines, aut Conſanguineos abſque diſpenſatione, & in tali Matrimonio Mulier aſſignavit Marito dotem: Si poſteà dignoſcitur à Judice delegato à Papa nullitas talis Matrimonii, unde profertur ſententia ſeparationis à tali Judice, ſtatuitur, quòd debet etiam proferre ſententiam reſtitutionis dotis, quia dos eſt acceſſorium adMatrimonium: unde Judex, qui judicat de principali, debet etiam judicare de acceſſorio. Similiter ex cap. *Si diligenti*, de Foro competenti, ubi dicitur, quòd Clericus conſentiens in Iudicem laicum, & jurans ſtare ejus ſententiæ, ſicut non tenetur obſervare talem promiſſionem, ità nec tenetur ad illud Iuramentum: quia ſicut eſt invalida,& illicita talis promiſſio, ita eſt invalidum, & illicitum tale Iuramentum; nam tale Iuramentum eſt acceſſorium reſpectu promiſſionis.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia acceſſorium fundatur ſuper principali: deſtructo ergo principali, deſtruitur acceſſoriū; ſicut deſtructo fundamento deſtruitur domus: igitur acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis.

Obſervandum tamen eſt, aliquandò tenere, ſeù obligare acceſſorium, & non principale; ut ſiquis celebret contractum non ſervata forma juris, talis contractus eſt nullus; ſi verò tali contractui addat juramentum, dummodo fit de re licita, ille tenebitur ratione juramenti, & non ratione contractus, licet juramentum videatur acceſſorium ad contractum, ut habetur cap. *Cum contingat* de jurejurando, & hoc propter periculum animæ, ut ibi dicitur.

REGULA XLIII.

Qui tacet, conſentire videtur.

HÆC Regula deſumpta eſt ex cap. *Nonnè* ſupra Titulo de Præſumpt. ubi dicitur, quòd Chriſtus fuit à Judæis de duobus interrogatus, & accuſatus; accuſatus ſcilicet, quòd Samaritanus eſſet, & quòd Dœmonium haberet, & Chriſtus reſpondendo tantùm ad ſecundum, ſcilicet, quod Dœmonium non habebat: *Ego Dœmonium non habeo*, videtur conſenſiſſe primo,ſcilicet ſe eſſe Samaritanum, nempe ſe eſſe illum Samaritanum, Lucæ cap. 17. qui deſcendit de Cœlo, & carnem humanam aſſumpſit ad curanda vulnera generis humani: Igitur qui tacet, conſentire videtur.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia qui tacet in iis, quæ ad ipſum ſpectant, præſumptione juris videtur conſentire: nam ſi non conſentiret, cum aliàs poſſit diſſentire, vel voce, vel aliquo ſigno, oſtenderer, ſe non conſentire: igitur tacendo, nec oſtendendo aliquo ſigno ſe diſſentire, videtur, ſive præſumitur conſentire; ſed de hac Regula plura dicentur in Regula ſequenti.

REGULA XLIV.

Is qui tacet, non fatetur, ſed nec utique negare videtur.

HÆC Regula deſumpta eſt ex §. *Anteriorum* diſt. 2. qu. 6. ubi dicitur, quòd ſi Judex pronunciet ſententiam ſivè diffinitivam, ſive interlocutoriam contrà aliquem, qui audiens hujuſmodi ſententiam contra ſe latam, tacet; ex eo quòd taceat, non benè deducitur eum aſſentiri, & acquieſcere tali ſententiæ: quia licet tunc temporis taceat, habet tamen tempus decem dierum ad appellandum à tali ſententia; unde non præjudicat ſibi tacendo. Aliqui tamen in eo caſu pro majori ſecuritate, ut dicit Gloſſa, proteſtantur contra dictam ſententiam, ſed talis proteſtatio neceſſaria non eſt.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia tacere eſt quid medium inter fateri, & negare: igitur tacere non eſt nec fateri, nec negare; nàm fateri, ſeu negare verbis exprimuntur: cùm igitur quis tacet, nec fatetur, nec negat. Et hoc eſt certiſſimum, ſi loquamur de expreſſione conſenſus, vel diſſenſus per verba; quæ utique expreſſio non fit tacendo, ſed loquendo: undè hæc Regula non pũgnat cum præcedente, in qua eſt ſermo non de expreſſione conſenſus, vel diſſenſus per verba, ſed de ipſo conſenſu, vel diſſenſu interno, qui præſumitur ex taciturnitate.

Sed quia præſens Regula à Juriſtis etiam extenditur ad conſenſum, vel diſſenſum internum; itaut ex taciturnitate aliquandò præſumatur, aliquando non: ideò tradenda eſt Regula, quando ex taciturnitate alicujus præſumitur ipſum conſentire, & quandò præſumitur ipſum diſſentire, aut indifferentem eſſe, ſcilicet nec aſſentire, nec diſſentire.

Dico igitur, quòd inſpicienda eſt materia, de qua agitur, quæ poteſt eſſe vel utilis, commoda, & honorifica alicui, vel illi poteſt eſſe nociva, onerosa, & præjudicialis, vel poteſt eſſe nec nociva, nec utilis. Si caſus procedat de materia utili, commoda &c. & talis proponatur alicui, & ille taceat, talis taciturnitas habetur pro conſenſu, quia in re ſibi utili præſumitur aſſentiri. Si autem proponatur res nociva, & præjudicialis, per taciturnitatem non ſupponitur aſſentiri; quia nullus præſumitur facilè aſſentiri in eo, quod eſt ſibi damnoſum; unde non ſufficit taciturnitas, ſed requiritur expreſſus conſenſus. Si autem res non ſit nec utilis, nec nociva, taciturnitas indicat indifferentiam; itaut nec det conſenſum, nec diſſenſum, tamquàm ſi res ad ipſum non ſpectaret. Et per hoc patet, quomodo hæ duæ Regulæ ſimul concordent.

REGULA XLV.

Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veroſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit.

HÆC Regula ſumpta eſt ex cap. *Si quis acceperit* 23. qu. 1. ubi dicitur quòd ſi aliquis contraxerit cum Vidua, & longo tempore habitaverit cum ea, ſi mulier illa velit Matrimonium diſſolvere, dicendo, virum eſſe impotentem, & non fuiſſe ab eo cognitam, ipſo tamen Viro affirmante cognoviſſe prędictam Uxorem; Cùm res ſit obſcura, nec poſſit dignoſci ex inſpectione corporis mulieris, cum jam ſupponatur corrupta à primo viro: in tali caſu Judex debebit proferre ſententiam in favorem Mâtrimonii, eo quòd veroſimile eſt, & ut in plurimum fieri conſuevit, quòd Vir longo tempore habitans cùm Muliere, cùm qua contraxit Matrimonium, ipſam cognoverit; undè ſpectabit ad Mulierem onus probandi contrarium: nam præſumptio ſtat in favorem Viri aſſerentis ipſam cognoviſſe.

Ratio hujus Regulæ eſt, quià in Obſcuris, quandò ſcilicet probationes haberi non poſſunt certæ, & evidentes, Judex tenetur inſpicere ad id, quod eſt magis probabile, & magis veroſimile; quià deficiente evidentia, debet uti Judex probabilitate; ſed quod plerumque fieri conſuevit, eſt magis probabile, quàm id, quod rarò conſuevit fieri: igitur in obſcuris inſpiciendum eſt ad id, quod eſt veroſimilius, & quod plerumque fieri conſuevit; nàm hoc præſumitur factum, niſi conſtet de contrario.

Quod dicitur in hac Regula, verificatur regulariter, talitèr quòd præſumatur præſumptione Juris in obſcuris, quod eſt veroſimilius: poteſt tamèn dari caſus in contrarium, ſed onus probandi ſpectabit ad illum, qui aſſerit oppoſitum tamquam quid ſingulare, & rarò contingens.

TITU-

REGULA XLVI.

Is, qui in jus ſuccedit alterius, eo jure, quo ille, uti debebit.

HÆc Regula deſumpta eſt ex cap. *Eleutherius*. Cauſa 28. quæſt. 2. & ex cap. *Dilecti* de Foro competenti in Decretalibus. Dicitur enim in cap. *Eleutherius*, quòd ſi aliquod Monaſterium ſit fundatum à Laico prò Religioſis, & Abbas talis Monaſterij faciat pactum cum Epiſcopo illius loci, quòd de oblationibus, quæ evenirent in Feſto Dedicationis Eccleſiæ, Epiſcopus haberet mediam partem, & Abbas, & Religioſi aliam mediam. Mortuo tali Abbate, ejus ſucceſſor tenebitur ſervare eamdem conventionem. Similiter ex cap. *Dilecti*, ubi dicitur, quòd qui impetravit à Papa reſcriptum delegatorium in aliqua cauſa reali contra aliquem, qui debebat v.g. mihi aliquam ſummam pecuniæ, qui tamen ante ſententiam mortuus eſt, poterit talis Judex delegatus proferre ſententiam, & obligare Hæredes ad ſolutionem: nam Hæredes ſuccedunt in jus Teſtatoris.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia ſucceſſor cenſetur eadem perſona cùm ſuo Anteceſſore, ſicut Hæres cenſetur eadem perſona cùm Teſtatore: igitur eodem Jure uti debebit; non enim poteſt habere Hæres plus juris quàm Teſtator, nec univerſalitèr Succeſſor quàm Anteceſſor; nam jus in Succeſſore procedit à Prædeceſſore: nemo autem dat plus juris alteri quàm ipſe habeat: igitur Succeſſor eodem jure Anteceſſoris uti debebit, eſt enim Idem jus utriuſque.

Obſervandum tamen eſt hanc Regulam non verificari in Privilegiis, ac conventionibus perſonalibus, quià hujuſmodi jura cùm ſint perſonalia, ſequuntur perſonam, & extinguuntur cùm tali perſona, nec tranſeunt ad Succeſſorem. Cæterum ſi Privilegia, & conventiones ſint reales, ſcilicet concernant dignitatem, aut Familiam, in tali caſu tranſeunt ad Hæredes, qui in jus tranſeunt Teſtatoris.

REGULA XLVII.

Præſumitur ignorantia, ubi ſcientia non probatur.

HÆC Regula deſumitur ex cap. *Si vero*, de ſententia Excommun. in Decretal. ubi dicitur, quòd percutiens Clericum incedentem ſine habitu, & tonſura, non præſumitur excommunicatus, quia præſumitur eum ignoraſſe, talem eſſe Clericum, cum nulla in eo viderit ſigna Clericatus: unde ad hoc, ut declaretur excommunicatus, debet probari cognoviſſe eum ut Clericum: nàm præſumptio ſtat in favorem ipſius, ſcilicet quòd ignoraverit, in quo caſu excuſabitur.

Obſervandum tamen eſt, hanc Regulā non procedere in his, quæ quis ſcire, vel indagare tenetur, ut ſunt ea, quæ ſpectant ad jus naturale, vel ea, quæ publicè fiunt, aut publicè promulgantur. In his enim præſumitur ſcientia, niſi ignorantia probetur. Secùs autem in his quæ ſpectant ad jus aliquod, vel ſtatutum municipale, vel in iis, quæ ſecretè fiunt, aut non publicantur: in his enim tenet hæc Regula, quòd ſcilicet præſumitur ignorantia, niſi ſcientia probetur.

Quo ſuppoſito, ratio hujus Regulę eſt, quia quod occultè fit ab alio, præſumitur ab altero ignoratum; nullus enim tenetur ſcire factum alterius: igitur niſi ſcientia probetur, ignorantia præſumitur, quæ juris præſumptio eſt tantæ virtutis, ut transferat onus probandi in Adverſarium, qui tenebitur probare ipſum habuiſſe ſcientiam de tali re, vel habuiſſe obligationem habendi ſcientiam de tali re: in tali enim caſu, ſi aliàs teneatur habere ſcientiam de tali re, eſt culpabilis, ac ſi ſcientiam habuiſſet: eſſet enim ignorantia craſſa, ac ſupina, ſeu affectata, quæ ſcientiæ comparatur.

Tandem eſt obſervandum, quòd ignorantia tribùs modis probatur. Primò per juramentum, cùm ſcilicet aliquis jurat in veritate ſe neſciviſſe; & tale juramentum admittitur, ſi eſt poſſibile. Secundò quandò probatur, id, ex quo neceſ-

ceſſariò ſequitur me ignoraſſe, ut ſi probem illud eſſe factum, antequàm eſſem natus, unde me non poſſe de hujuſmodi facto teſtari. Tertiò quando probatur id, ex quo non neceſſariò, ſed veroſimiliter ſequitur me ignoraſſe, puta probando, me tunc abſentem fuiſſe: ex abſentia enim probabiliter infertur ignorantia, quæ facilius probatur de facto alieno, quàm de facto proprio.

REGULA XLVIII.

Locupletari non debet aliquis cùm alterius injuria, vel jactura.

HÆc Regula deſumpta eſt ex textu civili 207. L. jure naturæ ff. eo titulo & ponitur caſus cauſa 17. q. ultima, & cap. *Apoſtolicæ* ſupra tit. de donat. ubi dicitur, quòd non debet ditari Monaſterium cùm jactura Cathedralis Eccleſiæ.

Ratio hujus Regulæ manifeſta eſt ex jure naturali, quo prohibetur, ne aliquis alteri injuriam, vel detrimentum inferat, aut jacturam, dicitur enim, quod tibi non vis, alteri ne feceris; nullus autem vellet alterum locupletari, ſeu commodum habere cùm injuria, vel jactura ſui ipſius: igitur cùm hoc ſit naturaliter illicitum, nulli eſt permiſſum.

Obſervandum eſt tamen, hanc Regulam non habere locum in præſcriptionibus, & uſucapionibus, quando quis poſſedit rem alienam bona fide, putando rem illam eſſe ſuam: nàm in tali caſu ille locupletatur cùm jactura, & damno alterius, ſed excuſatur ex bona fide, quæ ſi perſeveret per totum tempus determinatum à jure ad præſcribendum, efficitur illius rei verus Dominus beneficio legis, & hoc ne dominia rerum maneant incerta. Similiter hæc Regula non habet locum in Privilegiis; nam Privilegium, quod eſt in favorem alicujus, aliquando eſt in damnum alterius. Hoc tamen videtur limitandum, ſcilicet quòd ad hoc ut Privilegium ſit licitum, & rationabile, non debet eſſe in damnum enorme alterius: aliàs alter in cujus damnum enorme eſt tale Privilegium, poterit conqueri, & agere de nullitate Privilegii.

REGULA XLIX.

In pœnis benignior eſt interpretatio facienda.

HÆc Regula deſumitur 50. diſt. cap. *eos*, & cauſa 24. q. 1. cap. *ſi quis dederit*, ubi dicitur, quòd ſi verbum ſignificans pœnam poteſt ſignificare pœnam perpetuam, aut temporalem, eligenda eſt pœna temporalis, & non perpetua. Similiter quando abſolutè, & indifferenter in jure ponuntur hæc verba v. g. *puniantur excommunicentur, priventur &c.* niſi aliud addatur, non intelliguntur hujuſmodi pœnæ pro pœnis latis, ſed pro pœnis ferendis per ſententiam Judicis: ſecùs ſi adderetur verbum, *ipſo jure*, vel *eo ipſo ſit excommunicatus*, *privatus &c.* tunc enim pœna eſſet lata à jure, & non ferenda. Et hoc propter rationem hujus Regulæ.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia odia reſtringi, & favores convenit ampliari, ut dictum eſt ſupra; imò dicitur 9. diſt. cap. ultimo, quòd illa digniori ſunt imitatione, quæ ſunt excellentiora pietate: igitur in pœnis benignior eſt interpretatio facienda; Judex enim in obſcuris potiùs debet favere Reo, quàm Actori.

Obſervandum tamen eſt, quòd hæc Regula intelligitur, quando verba pœnalia ſumi poſſunt in benigniori ſignificatione, tunc enim in tali ſenſu ſunt explicanda: ſecus ſi verba pœnalia taliter ſint determinata, ut non patiantur aliam interpretationem, quàm rigoroſam, quia tunc in ſenſu rigoroſo ſunt accipienda, juxta intentionem Judicis, aut Legiſlatoris.

RE-

Digitized by Google

REGULA L.

Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.

HÆc Regula deſumpta eſt ex cap. *In electionibus* ſupra de elect. ubi dicitur, quòd electio facta ſub conditione, vel uſquè ad tale tempus, pendens ab arbitrio voluntatis, non ſubſiſtit. Similiter ex cauſa 32. q. 3. loquendo de Matrimonio, ubi ſtatuitur, Matrimonium non ſubſiſtere, ſi conſenſus ſit conditionatus, vel determinatus ad talem diem futurum; & ratio eſt, quia hujuſmodi actus utpotè legitimi non recipiunt conditionem, neque diem.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia actus legitimi, prout in præſenti ſumuntur, ſcilicet actus abſoluti, & ex ſua natura ſubſiſtentes nullo modo pendent à conditionibus, neque à circumſtantia temporis, ſed ex ſe validi ſunt: ergo non recipiunt neque conditionem, neque diem; unde ſi quis Matrimonium contraheret ſolùm per unum annum, & non ampliùs; & Canonici eligerent aliquem in Epiſcopum ſub conditione v.g. ſi ſuis expenſis ædificaret Eccleſiam, hujuſmodi actus non ſubſiſterent, quia cùm ſint actus legitimi, & abſoluti, non recipiunt conditionem, neque diem.

Ex his patet, quòd actus legitimi, prout ſumuntur in præſenti, ſunt actus abſoluti, & veluti per ſe ſubſiſtentes, qui non poſſunt, nec debent limitari. Cæterùm actus legitimi largo modo ſumpti, ut contractus, qui dicuntur legitimi, quia fiunt juxtà formam taxatam à lege, poſſunt recipere conditionem, & poſſunt determinari ad circumſtantiam temporis: unde de iſtis non verificatur præſens Regula, ſed de actibus legitimis primo modo ſumptis.

REGULA LI.

Semel Deo dicatum non eſt ad humanos uſus iterum transferendum.

HÆc Regula deſumpta eſt ex cap. *Ligna*, de Conſecrat. diſt. 1. ubi dicitur, quòd ſi aliqua Eccleſia vetuſtate conſumatur; ita quòd pro ſui conſervatione indigeat novo tecto, ligna antiqua talis Eccleſiæ non poſſunt dari Laicis pro ſervitio domus privatæ. Idem dicitur de Veſtimentis Sacris, & benedictis, quæ ſi vetuſtate fuerint aliqualiter conſumpta, non eſt licitum ex illis facere veſtes ad uſus hominum, ut habetur in cap. *Veſtimenta*, eadem diſt. de conſecr. & idem dicitur de Vaſis Sacris, puta de Calice, Patena &c. Hoc tamen intelligitur, ſi hujuſmodi Vaſa ſint Deo dicata per conſecrationem, aut benedictionem; nàm Calix antè conſecrationem vendi poteſt, ſecùs poſt conſecrationem; & hoc propter hanc Regulam: taliter quòd ſi Calix alicujus Laici deſerviens ad uſus humanos, ab Epiſcopo conſecretur, non debebit talis Calix reſtitui Laico propter uſus prophanos, ſed tenebitur Epiſcopus dare Laico æſtimationem Calicis, retento ſibi Calice, vel donato alicui Eccleſiæ. Qui caſus eſt ſingularis, in quo quis cogitur etiam invitus relinquere rem ſuam, accepto illius pretio, & hoc propter Regulam præſentem.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia ex eo, quòd aliquid ſit dicatum Deo, illiuſque ſervitio mancipatum, quamdam conſecrationem acquirit, & benedictionem ſpiritualem; non eſt autem conveniens, quòd id, quod eſt ſpiritualiter benedictum, aut conſecratum Deo, deſerviat ad uſus humanos, ſeu prophanos, quod idem eſt, cùm ea ſint jam in altiori ordine conſtituta, & ſi ad humanos, vel ſæculares uſus iterum transferantur, dicuntur prophanari, quod abſurdum, & illicitum videtur.

Obſervandum tamen eſt, quòd hæc Regula intelligitur de rebus Deo dicatis exiſtentibus ſub eadem forma, & regulariter loquendo: nàm inſtanti gravi neceſſi-

ceſſitate, puta pro Redemptione Captivorum, aut pro reparatione Eccleſiæ dirutæ, aut pro ſolvendis debitis Eccleſiæ, Calices, & Vaſa Eccleſiaſtica vendi poſſunt etiam Laicis, ſed conflata, ac minuta, per quod amittunt benedictionem, & conſecrationem, ſicque venditur tantùm materia, quod non eſt inconveniens, ut habetur cauſa 10. q. 2. cap. *hoc jus*, & D. Th. 2. 2. q. 100. art. 4. ad 2. ubi ait: *Dicendum; quòd etiam Vaſa Sacra ſunt Spiritualibus annexa, ſicut fini, & ideo eorum conſecratio vendi non debet, tamen pro neceſſitate Eccleſiæ, & pauperum, materia eorum vendi poteſt, dummodo præmiſſa oratione prius confringantur, quia poſt confractionem non intelliguntur eſſe Vaſa Sacra, ſed purum metallum, unde ſi ex eadem materia ſimilia Vaſa iterum integrarentur, indigerent iterum conſecrari.*

REGULA LII.

Non præſtat impedimentum quod de jure non ſortitur effectum.

HÆc Regula deſumpta eſt ex cap. *Si verum* cauſa 31. q. 2. ubi dicitur, quòd ſi quis primò contrahat Matrimonium cùm impedimento dirimente, puta conſanguinitatis, vel affinitatis &c. quo impedimento cognito, contrahat deinde cùm alia non habente impedimentum, valet hoc ſecundum matrimonium, quia primum Matrimonium hoc ſecundum impedire non potuit, quia primum Matrimonium non eſt de jure ſortitum effectum, ac proinde de jure eſt, ac ſi factum non fuiſſet. Idem dicitur de electione, quòd ſi Electores primò celebraverunt electionem nullam, conſtito de tali nullitate, etiam antequàm fuerit à confirmatore caſſata talis electio, ſi prædicti Electores procedant ad ſecundam electionem, & aliquem eligant, talis ſecunda electio tenet; nàm prima de jure non eſt ſortita ſuum effectum, cùm fuerit nulla, & invalida, ſicque non poſſit impedire ſecundam electionem.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia id, quod de jure non ſubſiſtit, & ob hoc ſuum non ſortitur effectum, non poteſt impedire id, quod de jure ſubſiſtit, & quod de jure debet ſortiri ſuum effectum: nàm primum eſt ac ſi non eſſet, cùm ſit contrà jus; quod autem eſt ac ſi non eſſet, nullam habet vim ad impediendum id, quod de jure debet ſubſiſtere, & ſuum effectum ſortiri.

Solet huic Regulæ opponi cap. primum ſupra de Sponſal. ubi dicitur, quòd ſponſalia inter conſanguineos, etiamſi de jure ſint nulla, nec ſuum conſequantur effectum, præſtant tamen impedimentum ad contrahendum Matrimonium, & hoc propter juſtitiam publicæ honeſtatis: igitur id, quod de jure non ſortitur effectum, poteſt tamen præſtare impedimentum:

Reſpondetur tamen, quòd ſponſalia contracta inter conſanguineos, vel affines, aut alia ratione impeditos, licet invalida ſint, ut talia; tamen valida ſunt ad inducendum impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis, quod conſurgit in talibus ex vi mutui conſenſus in contrahendis ſponſalibus, qui mutuus conſenſus ſi fuit, etiamſi ſint conſanguinei, vel affines, cauſat de jure tale impedimentum publicæ honeſtatis; taliter quòd nec ipſi, nec alii conſanguinei, vel affines poſſunt cum ipſis contrahere Matrimonium; unde non eſt contra Regulam.

REGULA LIII.

Cui licet quod eſt plus, licet utique quod eſt minus.

HÆc Regula deſumpta eſt ex cap. *Ecce* 95. diſt. ubi dicitur, quòd licitum eſt Sacerdoti benedicere Populum in fine Miſſæ, quia ei conceditur id, quod eſt plùs, ſcilicet conſecrare Corpus, & Sanguinem Chriſti in Miſſa: igitur ei conceditur in Miſſa, quod eſt minùs, ſcilicet Populum benedicere. Hoc autem intelligitur de benedictione ſimplici, quia loquendo de benedictione ſolemni, de jure communi ſpectat ad ſolos Epiſcopos; ex Privilegio autem etiam conceditur aliquibus Abbatibus habentibus uſum Mitræ. ſimiliter ex cap. *ex parte*, de deci-

decimis in Decretal. ubi dicitur, quòd ſi Papa conceſſit aliquibus Religioſis Privilegium percipiendi Decimas alicujus Parochiæ, ſi in tali Parochia fiant novalia, ex ipſis etiam percipient Decimas: quià cui conceditur plus, multò magis conceditur minus.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia plus ſemper continet id, quod eſt minus, ut ſuprà dictum eſt Regula 35. & licèt ibi ſermo ſit de eo quod eſt plus quantitate, & hic ſermo ſit de eo quod eſt plus qualitate; tamen à paritate rationis videtur idem dicendum, quòd ſicut quod eſt majus continet id, quod eſt minus; ita quotieſcumque conceditur facultas ad agendum id quod magis dignum, videtur concedi facultas ad agendum id, quod eſt minus dignum. Similiter quotieſcumque negatur id, quod eſt minus, ex conſequenti negatur id, quod eſt majus.

Dictum hujus Regulæ verificatur regulariter loquendo, & ur plurimum: nam aliquando licet id, quod eſt plus, & non licet id quod eſt minus, ut dicitur cap. *latorem* 33. qu. 2. ubi conceditur, quòd publicus pœnitens poſſit communicare, ſed non oblationem dare; & tamen dare oblationem eſt minùs, quàm communicare. Similiter alicui conceditur pœnitentia, & non ſepulrura Eccleſiaſtica; & tamen ſepeliri in loco ſacro eſt minus, quam beneficium abſolutionis recipere.

Ad hujuſmodi tamen objectiones Reſpondetur prædictos caſus eſſe particulares, & expræſſos in jure, ac proinde exceptos ex aliqua rationabili cauſa propter bonum commune; & in tali caſu expreſsè prohibito Minori, à jure, & non majori, erit licitum majus, & non minus, ut dicitur cap. *Si qui Epiſcopi*, Cauſa 1. qu. 2. ubi dicitur, quòd Epiſcopus aliquem Ordinem etiam minorem conferens injuſtè alicui Clerico, remanet ſuſpenſus à collatione illius Ordinis, & non alterius: poterit ergo conferre Ordines Majores, licèt ei negetur conferre illum Ordinem minorem, quem injuſtè contulit: Igitur quod dicitur in hac Regula regulariter eſt intelligendum, niſi in aliquibus caſibus aliter in jure exprimatur.

REGULA LIV.

Qui prior eſt tempore, potior eſt jure.

HÆC Regula deſumpta eſt ex cap. ultimo 17. diſt. & ex cap. 1. *De major. & obed.* in Decret. ubi dicitur, quòd ſi inter Canonicos æquales ejuſdem Eccleſiæ oriatur contentio, quis eorum debeat locum honorabiliorem tenere, aut prius ſubſcribere actibus Capitularibus: ſtatuitur, quòd antiquior Canonicus eſt cæteris præferendus, quia prior tempore potior eſt jure. Idem dicitur de his, qui obtinuerunt literas expectativas à Papa, ut provideantur de aliquo Beneficio, aut Canonicatu, quòd prior in data eſt præferendus aliis, qui in data ſunt poſteriores. Similiter idem dicitur de Creditoribus reſpectu ejuſdem Debitoris, qui ceſſit Bonis ſuis, quæ ſi vendantur, ut ſatisfiat Creditoribus, anteriores debent præferri aliis, quia prior tempore potior eſt jure.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia qui eſt prior tempore, ſicut antecedit tempore in poſſeſſione, ita antecedit jure in tali poſſeſſione: igitur eſt potior jure; nam duratio temporis dat prioritatem in jure: ea enim quæ antiquius poſſidentur, firmiori jure poſſidentur.

Obſervandum tamen eſt, hanc Regulam procedere in iis, quorum utraque pars eſt cauſa; ſi enim ex parte poſteriori ſit poſſeſſio rei, quæ aliàs fuit promiſſa primò alteri, præferendus eſt poſterior priori, cui fuit res primò promiſſa, quià melior eſt conditio poſſidentis. Similiter obſervandum eſt, hanc Regulam non procedere in his, quæ pendent à libera voluntate hominis, ut Legiſlatoris, vel Teſtatoris: nam Legiſlator, ſeu Princeps poteſt legem antiquam abrogare, & novam condere; ſicut etiam cuilibet eſt licitum Teſtamentum factum revocare, & aliud condere etiam contrarium priori. Loquitur ergo Regula de his, quæ pendent à jure, & non à libera voluntate hominis.

REGU-

REGULA LV.

Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & è contrà.

HÆc Regula deſumpta eſt ex cap. *de lapſis* cauſa 16. quæſt. 6., ubi dicitur, quòd ſi Clericus propter aliquod delictum fuit condemnatus ad agendum pœnitentiam perpetuam in aliquo Monaſterio, Bona talis Clerici tranſire debent ad tale Monaſterium, quia ex quo Monaſterium ſentit onus, etiam debet ſentire emolumentum. Similiter ex cap. 1. de Sepult. ubi dicitur, quòd ſi quis eligit ſepulturam extra Eccleſiam Parochialem, ex illis quæ obvenerunt ratione funeris, Parochialis Eccleſia debet habere quartam, vel aliam portionem ſecundùm conſuetudinem loci: quia ſicut Eccleſia Parochialis ſuſtinuit incommodum adminiſtrando divina, ità debet ſentire commodum ex emolumentis. Similiter in Clerico, qui ſentit commodum Beneficii, debet ſentire incommodum recitandi horas Canonicas.

Ratio hujus Regulæ eſt, quià ad Juſtitiam ſpectat, incommodum cùm commodo compenſare, ſunt enim correlativa; undè qui incommodum, vel laborem ſenſit, vel damnum, videtur, quòd debeat ſentire commodum, & utilitatem, ut fiat compenſatio: & è contra: igitur regulariter loquendo, qui ſentit onus, debet, & commodum ſentire, & è contra.

Obſervandum tamen eſt, quod hæc Regula aliquando fallit, vel ratione immaturitatis Judicii, ut in Minori, qui eſt capax hæreditatis, ſed non gravaminis tutelæ; vel ratione Perſonæ, ut in Fœmina; vel ratione ætatis, ut in ſene, & in his ſimilibus, in quibus poteſt dari commodum iis, qui aliàs non videntur capaces incommodi, aut ſunt per leges diſpenſati ab incommodo.

REGULA LVI.

In re communi potior eſt conditio prohibentis.

HÆC Regula deſumpta eſt ex cap. primo, cauſa 33. qu. 5. ubi dicitur, quòd contracto, & conſumato Matrimonio, ſi Uxor devotionis cauſa velit à Marito diſcedere, & intrare Monaſterium ad ſerviendum Deo, ipſo Marito prohibente, & contradicente, non poteſt hoc facere, quia in re communi potior eſt conditio prohibentis. Similiter ex cap. *Quia propter* de Elect. ubi dicitur, quòd ſi inſtante Electione aliqui Electores velint facere compromiſſum, & transferre Jus eligendi in Arbitros, aliis tamen Electoribus repugnantibus, talis translatio juris eligendi, & compromiſſum, fieri non poteſt in præjudicium contradicentium, quia ad tale compromiſſum requiritur conſenſus unanimis Electorum propter hanc Regulam.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia in re communi, ad quam, vel in qua plures habent jus, non debet alicui afferri præjudicium ipſo invito, nec ab eo tolli jus quod habet in tali re, ipſo nolente: igitur in re communi ſufficit, ut unus contradicat, vel prohibeat; & in hoc verificatur illud dictum: *ad deſtruendum ſufficit unus*, quandò ſcilicet negando contradicit, & aliàs res fieri non poteſt ſine ejus conſenſu, quia ſcilicet habet jus in tali re.

Obſervandum tamen eſt, quòd hæc Regula aliquas habet exceptiones, Primò quando res eſt quidem duobus communis quoàd unum, dominium tamen rei reſidet in uno tantum; tunc Dominus poterit de tali re diſponere quoad proprietatem; etiam alio contradicente, dummodo non ſit in præjudicium uſus talis rei, qui eſt apud ipſum, 2. quandò in re communi fit ab uno aliqua mutatio abſque præjudicio alterius, ut ſi in pariete communi fiat pictura, quæ alteri nullum afferat præjudicium, ſed potius deſerviat ad ornatum, 3. quando res dicitur communis non ut ſingulis, ſed ut Collegio: tunc enim

etiam

etiam reclamantibus aliquibus Electoribus, dummodò major pars conſentiat, valet electio; ſecùs autem ſi res eſt communis ut ſingulis, ſicut accidit in transferendo jus in Arbitros, ut dictum eſt; tunc enim eſt neceſſarius conſenſus omnium eligentium, & ad invalidandam talem translationem ſufficit diſſenſus unius eligentis, ut dictum eſt ex illa Regula: *quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari*.

REGULA LVII.

Contrà eum qui legem dicere potuit, apertiùs eſt interpretatio facienda.

HÆC Regula deſumpta eſt ex cap. *In præſentia*, de probat. in Decret. ubi dicitur, quòd ille, qui habitum reliquit, & exivit de Religione, aſſerendo, ſe profeſſum fuiſſe talem Religionem in minori ætate; cùm non explicet præcisè, an profeſſionem fecerit antè annum 15. ſuæ ætatis, aut poſt; dicit enim quòd profeſſionem fecit in anno minoritatis; minoritas autem durat uſque ad annum 25. & infrà talem ætatem minor poteſt emittere profeſſionem validam, non tamen ante annum 15. Interpretatio contrà eum debet fieri, nempe quòd profeſſionem emiſerit in anno 15. ſuæ ætatis juxtà jus antiquum; licèt de jure novo ad validitatem profeſſionis nunc requiratur ætas 16. annorum, ſicquè interpretatio fieret à Judice contra ipſum, qui cùm poſſet legem dicere, verbis ambiguis, & obſcuris uſus eſt; nam hoc quòd fuerit in minori ætate, quandò profeſſionem emiſit, non aſſignat cauſam validi diſceſſus à Religione, cùm minor comprehendat ætatem uſquè ad annos viginti quinque.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia qui legem potuit dicere apertius, & eam obſcuris, & ambiguis verbis profert, videtur hoc ex dolo, & ex malitia facere: dolus autem, & fraus nulli debet patrocinari; undè contra eum eſt interpretatio facienda.

Hæc regula fundatur in præſumptione Juris, deficiente autem tali præſumptione, ut ſiquis ex ſimplicitate, aut ignorantia inculpabili proferat legem obſcurè, tunc excuſabitur, & fiet interpretatio non contra eum, ſed ſecundùm id quod eſt veriſimilius, & plerumque fieri conſuevit, ut dictum eſt in alia Regula ſupra, ſcilicet *In obſcuris inſpicimus, quod eſt veriſimilius, & quod plerumque fieri conſuevit*.

REGULA LVIII.

Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum.

HÆC Regula deſumpta eſt ex cap. 1. cauſa 22. qu. 4. ubi dicitur, quòd ſi quis juravit alteri occidere Inimicum illius, & ſe obligavit etiam cùm Juramento, quòd ſi illum non occideret, ſolveret ei centum ſcuta: talis non tenetur, nec ad occidendum Inimicum illius, neque ad ſolvendum centum ſcuta, ſi non occidat, quia utrumque Juramentum eſt contrà bonos mores, & ideo non eſt obligatorium. Similiter ex cap. *Quintavallis*, Tit. de jurejurando in Decretal. ubi dicitur, quòd Maritus promittens cùm Juramento alicui Mulieri, quæ fuit injuriata à ſua Uxore, quòd talem Uxorem à ſe expelleret, non tenetur tale Juramentum ſervare, ſicut non tenetur Pater exhæredare Filium, vel Filiam propter aliquod leve delictum, etiamſi juraſſet exhæredare propter illud delictum leve, cùm non ſit tale, ut mereatur talem pœnam: eſſet enim contra bonos mores, unde non eſſet obligatorium.

Ratio hujus Regulæ eſt, quià juramentum non poteſt eſſe vinculum iniquitatis, nec obligare ad id, quod eſt illicitum, & contrà jus Divinum, vel humanum; ſed quod eſt contrà bonos mores eſt contra jus Divinum, aut humanum: igitur Juramentum, quod eſt contra bonos mores, non obligat; Juramentum enim cùm ſit actus virtutis Religionis debet conformari legibus, & non eas impugnare.

Obſervandum eſt, juramentum ali-

quando non valere, quia eſt contra præceptum Divinum, aut humanum; aliquando, quia licet non ſit immediatè contra præceptum, eſt tamen de re aliquâ proximè inductivâ ad tranſgreſſionem præcepti, ut juramentum contra bonos mores, ut dicitur in hac Regula, aliquando, cùm juramentum fit ex vi, aut dolo, aut ſi fiat indeliberatè, & abſquè debita conſideratione, aut ſi fiat de re impoſſibili. In omnibus his caſibus juramentum non tenet. Videatur D. Th. 2. 2. q. 89. art. 7. in corp. ubi ait: *Dicendum quòd obligatiò refertur ad aliquid, quod eſt faciendum, vèl dimittendum; unde non videtur reſpicere juramentum aſſertorium, quod eſt de præſenti, vel de præterito, neque etiam juramentum de his, quæ ſunt per alias cauſas fienda: ſicut ſi quis juramento aſſereret, quòd cras pluvia eſſet futura, ſed ſolùm in his, quæ ſunt fienda per illum, qui jurat. Sicut autem juramentum aſſertorium, quod eſt de præterito, vel de præſenti, debet habere veritatem, ita etiam & juramentum de his, quæ ſunt fienda à nobis in futurum, & ideo utrumque juramentum habet quamdam obligationem, diverſimodè tamen, quia in juramento, quod eſt de præterito, vel præſenti, obligatio eſt, non reſpectu rei, quæ jam fuit, vel eſt, ſed reſpectu ipſius actus jurandi, ut ſcilicet juret id, quod jam verum eſt, vel fuit, ſed in juramento, quod præſtatur de his, quæ ſunt fienda à nobis, obligatio cadit è contra ſuper rem, quam aliquis juramento firmavit, tenetur enim aliquis, ut faciat verum eſſe id, quod juravit, alioquin deeſt veritas à juramento. Si autem eſt talis res, quæ in ejus poteſtate non fuit, deeſt juramento diſcretionis judicium, niſi fortè quod erat ei poſſibile, quando juravit, reddatur ei impoſſibile per aliquem eventum (puta cùm aliquis jurat, ſe pecuniam ſoluturum, quæ ei poſt modum vi, vel furto ſubtrabitur) tunc enim videtur excuſatus eſſe à faciendo, quod juravit, licet teneatur facere, quod in ſe eſt, ſicut etiam ſupra circa obligationem voti diximus. Si verò ſit quidem poſſibile fieri, ſed fieri non debeat, vel quia eſt per ſe malum, vel quia eſt boni impeditivum, tunc juramento deeſt juſtitia, & ideo juramentum non eſt ſervandum in eo caſu, quo eſt peccatum, vel boni impedimentum, ſecundùm enim Auguſtinum utrumque eorum vergit in deteriorem exitum. Sic ergo dicendum eſt, quòd quicumque jurat, aliquid ſe facturum, obligatur ad id faciendum, ad hoc quòd veritas adimpleatur; ſi tamen alii duo comites adſint, ſcilicet judicium, & Juſtitia.* Hæc D. Th.

REGULA LIX.

Dolo facit, qui petit, quod reſtituere oportet eumdem.

HÆc Regula deſumpta eſt ex cap. *Nullus*, cauſa 14. q. 4. & ex cap. *Debitores* de jurejurando in Decret. ubi dicitur, quòd qui recepit aliquam ſummam pecuniæ ab Uſurario, factâ ſtipulatione de quantitate uſuræ: ſi talis reſtituat Uſurario ſortem principalem, & non velit ei ſolvere uſuras, non poteſt Uſurarius eum compellere ad eas ſolvendas, quia ſi eas ſolveret, teneretur Uſurarius eas eidem reſtituere, cùm Jure Canonico uſuræ ſint omninò prohibitæ, undè ſunt reſtituendæ: ſequitur ergo, quòd Uſurarius in tali caſu dolo faceret, petendo uſuras, ad quas reſtituendas obligaretur. Obſervandum tamen eſt, quòd ſi accipiens ab Uſurario talem pecuniam, juraverit ei ſolvere uſuras, in tali caſu teneretur eas ſolvere, non ratione contractus, ſed ratione juramenti: cæterùm Uſurarius non poſſet eas retinere, ſed deberet eas eidem reſtituere. Quarè autem ratione juramenti teneretur ſolvere uſuras, eſt, quia accipere ad uſuram, & eas ſolvere, non eſt illicitum accipienti, ſeu promittenti, ſed eſt illicitum danti ad uſuram, & uſuras recipienti, vel retinenti; hoc enim eſt omnino prohibitum. Sic D. Thom. 2. 2. quæſt. 78. art. 4. in corp. ubi ſic ait: *Dicendum, quòd inducere hominem ad peccandum nullo modo licet, uti tamen peccato alterius ad bonum, licitum eſt, quia & Deus utitur omnibus peccatis ad aliquod bonum, ex quolibet enim malo elicit aliquod bonum,* ut

Digitized by Google

ut dicitur in Enchiridion, & ideò Auguſtinus. Publicola quærenti, utrum liceret uti juramento ejus, qui per falſos Deos jurat, in quo manifeſtè peccat, eis Divinam reverentiam adhibens? Reſpondet, quòd qui utitur fide illius, qui per falſos Deos jurat non ad malum, ſed ad bonum, non peccato illius ſe ſociat, qui pèr Damonia juravit, ſed pacto eius bono, quo fidem ſervavit: ſi tamen induceret eum ad iurandum per falſos Deos, peccaret. Ita etiam in propoſito dicendum eſt, quòd nullo modo licet aliquem inducere ad mutuandum ſub uſuris, licet tamen ab eo, qui hoc paratus eſt facere, & uſuras exercet, mutuum accipere ſub uſuris propter aliquod bonum, quod eſt ſubventio ſuæ neceſſitatis, vel alterius. Sicut etiam licet ei qui incidit in latrones, manifeſtare bona, quæ habet, quæ latrones peccant diripiendo, ad hoc, quòd non occidatur, exemplo decem virorum, qui dixerunt ad Iſmael: noli occidere nos, quia theſauros habemus in agro, ut dicitur Jeremiæ 41. Et in ſolut. ad 2. ait: *Dicendum, quòd ille, qui accipit pecuniam mutuò ſub uſuris, non dat occaſionem uſurario uſuras accipiendi, ſed mutuandi; ipſe autem Uſurarius ſumit occaſionem peccandi ex malitia cordis ſui: unde ſcandalum paſſivum ex parte ſua eſt, non autem activum ex parte petentis mutuum. Nec tamen propter huiuſmodi ſcandalum paſſivum debet alius à mutuo petendo deſiſtere, ſi indigeat, quia huiuſmodi paſſivum ſcandalum non provenit ex ignorantia, vel infirmitate, ſed ex malitia.* Legatur per tot. art.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia qui petit aliquid tamquàm ſuum, quod de jure ſuum non eſt, ſed eidem tenetur reſtituere, videtur, quòd dolo petat, ſcilicet ad poſſidendum, vel retinendum id, quod poſſidere, & retinere non poteſt; ſed hoc eſt dolosè, & fraudolenter facere: igitur dolo facit qui petit, quod reſtituere oportet eundem.

Duo autem obſervanda ſunt circa hanc Regulam. Primum, quod hæc Regula procedit, quando quis petit rem ab aliquo, cui reſtituenda eſt, non alteri; nàm ſi alteri res ſit reſtituenda, benè poteſt peti: ſicuti ſi Commodatarius, cui res fuit commodata, peteret hujuſmodi rem a fure, qui eam abſtulit, ut eam Domino reſtituat, non diceretur dolosè ſe gerere. Secundum, quòd hæc Regula locum non habet in judiciis poſſeſſoriis, ſed tantùm in judiciis petitoriis, dolo enim petitur quod de jure oportet reſtituere.

REGULA LX.

Non eſt in mora, qui poteſt exceptione legitima ſe tueri.

HÆc Regula deſumpta eſt ex cap. *Incognitus* cauſa 17. q. 2. ubi dicitur, quòd ſi aliquis Servus, ſeu mancipium fugiat à ſuo Domino, & recipiatur in Monaſterio, & fiat Monachus, & infra triennium profeſſionem emittat, Domino ipſo non reclamante, nec petente Servum ſibi reſtitui, triennio tranſacto per taciturnitatem præſumitur conſenſiſſe; unde non poteſt eum repetere, niſi tamen exceptione legitimâ ſe tueatur, probando, ſe ignoraſſe locum, quo talis Servus ſe recepiſſet, aut ſe in Regionem ità longinquam non potuiſſe pergere ad recuperandum Servum, infirmitate, aut alio legitimo impedimento detentum: unde cùm legitimâ exceptione ſe tueatur, non eſt in mora, ac proinde Servus de jure eſt ei reſtituendus. Similiter ex cap. *De quarta* de Præſcript. in Decretal. ubi dicitur, quòd Rector alicujus Eccleſiæ, in qua ſui Anteceſſores legitimè præſcripſerunt de non ſolvendâ quartâ Diœceſano, ſi ipſe eam non ſolvat, non debet ſubjacere pœnis latis à Diœceſano contra moroſos, quia ipſe in mora non eſt, cùm poſſit ſe legitimâ præſcriptione tueri.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia non eſt in mora niſi ille, qui infra determinatum tempus non facit id, quod de jure facere tenetur; ſed qui legitimâ exceptione ſe tuetur, ad illud faciendum non tenetur: igitur non dicitur in mora; mora enim ſupponit obligationem faciendi: ſi ergo per exceptionem legitimam oſtendit quis ſe ad illud faciendum non teneri, in mora non dicitur.

Obſervandum eſt, quòd ut quis di-

catur moroſus, neceſſe eſt, ut ſciat, vel ſcire debeat ſe debere id facere, reſpectu cujus dicitur in mora; unde ſi hoc neſciat, nec aliàs teneatur ſcire, optimè ſe tuetur exceptione legitimâ, & in tali caſu ſua mora non eſt illi nociva, quia revera non fuit in morâ. Neceſſe eſt autem, quòd exceptio, quæ affertur, ſit legitima, & conſtet de ejus legitimitate, nàm ſi ſit vana excuſatio, & non fundata exceptio, non excuſat, unde dicitur *qui legitima exceptione ſe tuetur*.

REGULA LXI.

Quod ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum.

HÆc Regula deſumpta eſt ex cap. *Charitatem*, cauſa 12. q. 2. ubi dicitur, quòd Æconomus, qui in favorem Eccleſiæ conſtitutus eſt, Eccleſiam vacantem gravare non debet. Item ex cap. *ad Apoſtolicam de Regularibus*, in Decretal. ubi dicitur, quòd ille, qui intravit Religionem non Mendicantium, ſi antè completum annum probationis velit profeſſionem ſolemnem emittere in manibus Abbatis, & Abbas, & Monaſterium dent conſenſum, poteſt ſolemniter profiteri, quia annus probationis ex jure antiquo fuit aſſignatus pro hujuſmodi Novitiis in favorem ipſorum, ut in eo anno experirentur auſteritates Religionis, & etiam in favorem ipſius Religionis, ut interim experirentur mores prædictorum Novitiorum: ſi ergo tàm Novitius, quàm Monaſterium renunciant hujuſmodi Privilegio conceſſo in gratiam eorum, erit valida talis profeſſio; quia quod conceditur in gratiam alicujus, non eſt retorquendum in ejus damnum, vel diſpendium. Hoc autem intelligitur, loquendo de præſenti caſu ſecundùm jus antiquum, ſecundùm quod profeſſio erat valida, etiam non completo anno probationis, de conſenſu tamen Monaſterii, & Novitii: ſecùs de jure novo, ſcilicet ex Decreto Concilii Tridentini, quo cautum eſt, profeſſionem emiſſam antè completum annum probationis eſſe nullam: & hoc optimâ ratione ſancitum eſt, ut ſcilicet melius experiatur Novitius auſteritates Religionis, & Religio mores Novitii, & præcludantur occaſiones reclamandi contra Profeſſionem.

Ratio hujus regulæ eſt, quia in conceſſionibus attendenda eſt intentio concedentis; ſed concedens aliquod ob gratiam alicujus, intendit ei favere, & non damnum, ſeu diſpendium afferre: igitur quod ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in detrimentum, ſeu diſpendium illius retorquendum, aliàs talis conceſſio fruſtraretur ſuo fine.

Obſervandum tamen eſt, quòd hæc Regula intelligitur de his, quæ conceduntur a Principe motu proprio, non autem de his, quę conceduntur ad inſtantiam petentis: nàm in his aliquando ſuccedit, quòd taliter conceſſa, licèt primâ facie videantur conceſſa in favorem, tamen aliquando retorquentur in damnum petentis, ut qui obtinuit delegationem Judicis, cùm clauſula, *Appellatione remotâ*, quæ clauſula poteſt eſſe petenti nociva; ſed hoc debet ſibi imputare, eo quòd ipſe petiit talem clauſulam apponi.

REGULA LXII.

Nullus ex conſilio, dummodo fraudolentum non fuerit, obligatur.

HÆc Regula quoad primam partem, ſcilicet quòd nullus ex conſilio obligatur, deſumitur ex cap. *quod præcipitur*, cauſa 14. qu. 1., ubi dicitur, quòd præbens alteri bona fide conſilium, ſi non eveniat effectus bonus, ſicut ſperatur, conſilium dans non tenetur ad damnum, quia licet dederit conſilium, non tamen obligavit alterum ad tale conſilium ſequendum; & in hoc diſtinguitur conſilium à mandato, quòd mandatum obligat ad ſui exequutionem; conſilium autem relinquit alterum in ſua libertate. Quo ad ſecundam partem, ſcilicet quòd quandò conſilium eſt fraudolentum, obligat ad damna, quæ ſequuntur ex tali conſilio:

filio: Habetur ex cap. *Tanta* 86. diſt. quia fraus, & dolus nulli debent patrocinari: igitur fraudolenter conſilians cùm ſit, datâ operâ, cauſa damni, tenetur ad damnum, præſertim in maleficiis, ut conſilians homicidium, furtum &c.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia bonâ fide conſilians alterum, non eum obligat ad ſequendum tale conſilium, ſed relinquit illum in ſuâ libertate, ut poſſit conſiderare, & deliberare, an quod ei proponitur, expediat: cùm ergò re maturè conſideratâ deliberet, ſi effectus malè eveniat, non conſilianti, ſed agenti hujuſmodi effectus eſt imputandus. Secùs tamen eſt dicendum de eo, qui dat conſilium malitioſè, & fraudolenter, tùm propter pravam intentionem, quam habet nocendi ei, cui dat conſilium; tùm propter dolum, quem committit; undè obligatur ad damna, quæ ſequuta fuerunt ex ſuo doloſo conſilio, cùm prædictorum malorum fuerit cauſa moralis.

Ex hac ergò Regula deducitur, quòd conſilium, quando non eſt fraudolentum, non obligat conſiliantem, benè tamen quando eſt fraudolentum. Duplicitèr autem poteſt eſſe conſilium, fraudolentum, ſcilicet, vel circà contractum, vel circà maleficium, ſeu delictum. Si conſilium fraudolentum ſit circa contractum, ut ſi quis conſulat alicui mutuare pecuniam, v. g. meo debitori, quem aliàs ſcit non habere in bonis, ut illam mihi reſtituat, & tale conſilium dat, ut prædictus Debitor mihi ſolvat, quod debet: ſi talis, cui datum eſt conſilium, mutuet pecuniam meo Debitori, & illam non poſſit recuperare; ille qui dedit fraudolenter tale conſilium, tenetur ei, cui conſilium dedit de dolo, & fraude; undè poterit conveniri coram Judice ad reſarciendum damnum. Si autem conſilium datum fraudolentèr ſit circà maleficium, ſequuto maleficio, dans conſilium eſt reus maleficij, & obligatur non ei, cui dedit conſilium, quià ipſe ſciebat, vel ſcire tenebatur, nullum maleficium eſſe licitum, ſed ei, qui paſſus eſt damnum; ut ſi conſilium dedit ad homicidium, aut furtum, ſequuto homicidio, aut furto, tenebitur de homicidio, aut furto.

REGULA LXIII.

Exceptionem obiiciens, non videtur de intentione Adverſarii confiteri.

HÆC Regula deſumpta eſt ex cap. *Illud* de Præſcript. ubi dicitur, quòd contrà eum, qui prætendit rem aliquam, puta Domum, aut Vineam eſſe ſuam; undè petit ſibi reſtitui, qui defendit ſe præſcriptione, oſtendendo rem illam pacificè, & bonâ fide poſſediſſe per tempus ſufficiens ad præſcribendum; non per hoc concedit Adverſario, rem illam aliquandò fuiſſe ſuam, ſed abſolute ſe defendit, exceptionem obiiciens Adverſario, abſtrahendo, an res fuerit ſua, vel non, ſicque intentionem Adverſarii non confitetur. Intentio enim Adverſarii eſt, rem illam uti ſuam debere eidem reſtitui, cui obiiciendo præſcriptionem talis rei, defendit ſe à reſtituendo, non tamen confitendo rem fuiſſe ſuam: unde in tali caſu Actor tenetur probare, rem illam fuiſſe ſuam, & non fuiſſe legitimè præſcriptam.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia obiiciens exceptionem intendit ſe defendere eo meliori modo, quo poteſt, abſque ſui jactura: ergo abſque eo quòd confiteatur de intentione Adverſarii, ut patet in exemplo allato in eo, qui obiicit exceptionem præſcriptionis, oſtendendo ſe præſcripſiſſe domum, vel vineam, quam poſſidet, quam tamen non per hoc concedit fuiſſe Adverſarii: ſed ſenſus eſt, hæc domus, vel vinea ſivè fuerit ſua, ſive non, fuit à me legitimè præſcripta; unde ad Adverſarium ſpectat probare primò rem illam fuiſſe ſuam, deinde non fuiſſe legitimè præſcriptam, & bonâ fide.

Obſervandum tamen eſt, quod obiiciens exceptionem, licet non confiteatur per hoc intentionem Adverſarii, unde ad Adverſarium ſpectabit ſuam intentionem probare; poterit tamen pro majori claritate talem intentionem Adverſarii expreſsè negare, dicendo: res iſta, quam petis à me, tua non eſt, nec eam debeo tibi reſtitue-

ſtituere; ſed etiam ſi tua aliquandò fuiſſet., eam à te emi, vel eam mihi donaſti, vel eam legitimè præſcripſi, ſicque per exceptionem peremptoriam expreſsè nego intentionem Adverſarii, ſcilicet rem eſſe reſtituendam.

REGULA LXIV.

Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.

HÆC Regula deſumpta eſt ex cap. *Non ſolùm* ſupra de Regular. in quo prohibetur Mendicantibus Religioſis, ne ipſi recipiant aliquem ad profeſſionem faciendam infrà annum probationis. Stante hac Conſtitutione ſi de facto tales aliquem admittant ad profeſſionem, non completo anno probationis, dicitur talem profeſſionem eſſe nullam, utpote factam contrà jus ſtabilitum. Item cap. 2. de Teſtibus in Decretal. ubi præcipitur Judicibus, ne aliquem recipiant in Teſtem, parte non vocatâ. Accidit, quòd aliquis Judex, parte non vocatâ, aliquos admiſit, & examinavit Teſtes: ſtatuitur, quòd tale examen Teſtium non tenet, quia factum fuit contrà jus: quæ enim contra jus fiunt, pro infectis haberi debent.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia ea, quæ fiunt contra jus, ſunt contra æquitatem, & juſtitiam: igitur non tenent, cùm enim jus fundetur in juſtitia, & æquitate, quæ contra jus fiunt, ſunt contra juſtitiam, & æquitatem: ergo non poſſunt robur habere, quod utique habetur ex Juſtitia, & æquitate.

Obſervandum tamen eſt, hanc Regulam plures habere exceptiones, quià aliqua fiunt contra jus, & tamen actu tenent, ut videre eſt in Matrimonio contracto poſt votum ſimplex caſtitatis, in Eccleſia conſecrata ab alieno Epiſcopo ſine licentia Diœceſani, de ſententia lata à Judice ſub conditione &c. quæ omnia licet à lege prohibeantur, tamen actu tenent.

Reſpondetur tamen, quòd dupliciter poteſt aliquod prohiberi à jure, ſcilicet ſimplici prohibitione abſque conditione irritante; & aliqua à jure prohibentur omninò, ſcilicet omnibus modis, & ſub conditione irritante actum, ſi aliter fiat. Adducta in contrarium, ſunt à jure quidem prohibita primò modo; undè facta tenent: ſecùs de prohibitis ſecundò modo, & de his intelligitur Regula præſens.

REGULA LXV.

In pari delicto, vel cauſa potior eſt conditio poſſidentis.

HÆC Regula deſumpta eſt ex cap. *Non ſanè* cauſa 14. qu. 5. ubi dicitur, quòd ego tradens pecuniam alicui judici, ut injuſtè ferat ſententiam in mei favorem, cautum eſt, quòd tam accipiens pecuniam pro ferendâ ſententiâ injuſtâ, quàm ego illam tradens, turpiter agimus: attamen ego non poſſum agere contrà Judicem, ut mihi reſtituat talem pecuniam, quia in pari turpitudine ille poſſidet, & eſt melior conditio poſſidentis. Cæterùm nec ille poteſt talem pecuniam retinere, quia eſt indebita; undè cùm alias mihi non ſit reſtituenda, conſignanda erit Fiſco tamquam turpiter acquiſita. Similiter ex cap. *Si à Sede*, ut ſupra de Præbendis, ubi dicitur, quòd vacante aliquo Beneficio, ſi illud fuit collatum uni ab Epiſcopo, & alteri a Papa, & non conſtet, nec appareat de prioritate Collationis; Ille eſt potior, qui poſſidet; & ſi neuter poſſidet, ille eſt potior, qui illud obtinuit à Papa.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia ſtante paritate rationis ex utraque parte, poſſeſſio quæ ſe tenet ex una parte, dat illi jus in re contrà aliam partem, quæ ſolùm poteſt habere jus ad rem: Potior autem eſt conditio ejus, qui habet jus in re, quàm ejus, qui ſolùm habet jus ad rem: igitur in pari cauſa melior, ſeù potior eſt conditio poſſidentis.

Obſervandum eſt hanc Regulam favere reo, qui abſolvitur in pari cauſa, vel delicto; undè à legiſtis communiter dicitur, quòd potior eſt conditio illius, qui dat exceptionem Actori, obiiciendo poſſeſſionem, ad quam infringendam, & inva-

invalidandam tenetur Actor oſtendere, realem poſſeſſionem eſſe nullam, & illegitimam. Sequitur ergo, quòd conditio poſſidentis, cæteris paribus, potior ſit.

REGULA LXVI.

Cùm non ſtat per eum, ad quem pertinet, quo minùs conditio impleatur, haberi debet perindè, ac ſi impleta fuiſſet.

HÆC Regula deſumpta eſt ex cap. *Si quælibet*, cauſa 22. qu. 2. ubi eſt textus, quòd Deus mandavit Abrahæ, ut Filium ſuum duceret in Montem, & ibi illum ei ſacrificaret. Ad præceptum Domini Abraham Filium ſuum duxit in Montem, & cùm paratus eſſet illum Deo ſacrificare, fuit impeditus per Angelum. Dubium erat, an perindè fuerit ac ſi Filium ſuum ſacrificaſſet quantùm ad meritum, & obedientiam: & Reſpondit quod ſic, quia per ipſum non ſtetit, quominus tale factum exequeretur. Similiter ex cap. *Quoniam frequenter*, ſupra de Judiciis, ubi dicitur, quòd licet Judex teneatur citare Reum ad audiendam ſententiam; tamen ſi de facto Judex mittat Curſorem ad citandum reum, & reus per ſuos Familiares impediat talem Curſorem, ne perveniat ad reum, neque ipſum citet, in tali caſu habetur reus prò citato, quià per Judicem non ſterit, ne reus citaretur; unde habetur ac ſi fuiſſet citatus. Et hoc propter iſtam Regulam.

Ratio hujus Regulæ eſt, quià promittens ſub conditione obligatur quidèm, quantùm eſt ex ſe, exequi promiſſum, ſi is, cui promiſit, dederit conſenſum, & acceptet: ſecùs ſi reſpuat, & condonet rem promiſſam ſub tali conditione; tunc enim habetur, ac ſi conditio impleta fuiſſet, quia per promittentem non ſtat, ut adimpleat promiſſum ſub tali conditione, cùm ad illam conditionem adimplendam ſit paratus, & faciat quantum eſt, ex ſe: Faciens autem quantum eſt ex ſe ad ampliùs non tenetur, & ideò &c.

Obſervandum eſt tamèn, quod hæc Regula non coincidit cum alia ſuprà poſita num. 41. ſcilicet, *Imputari non debet ei, per quem non ſtat, ſi non faciat id, ad quòd faciendum erat obligatus*; nàm hæc loquitur univerſaliter de impedito, qui durante impedimento excuſatur, ſi non faciat id, ad quod tenetur, ceſſante tamen impedimento, tenetur illud adimplere. Cœterum per Regulam præſentem ſignificatur, quòd ſi ille, qui aliàs tenetur adimplere promiſſum factum ſub conditione, ſit paratus talem conditionem adimplere, & ille, in cujus favorem eſt talis conditio, cedat Juri ſuo, aut impediat, nè executioni mandetur talis promiſſio, in eo caſu habetur, ac ſi impleta fuiſſet, & non reſtat obligatio ad illud faciendum.

REGULA LXVII.

Quod alicui, ſuo non licet nomine, nec alieno licebit.

HÆC Regula deſumpta eſt ex cap. *Sicut non ſuo*, 28. diſt. ubi dicitur, quòd qui non poteſt exercere uſuras nomine proprio, quià incurreret varias pœnas à Jure ſtatutas, ut ſuprà dictum eſt Titulo de Uſuris; multò minus eas poteſt exercere nomine alieno, ſcilicet ad utilitatem alterius: quià quod alicui non eſt licitum nomine proprio, nec erit licitum nomine alieno.

Ratio hujus Regulæ eſt, quià quod eſt de ſe illicitum, utpotè contra Jus, ſivè fiat nomine proprio, ſive nomine alieno, ſempèr eſt illicitum, ut homicidium, furtum &c. quæ ſunt actiones de ſe illicitæ, ſivè fiant nomine proprio, ſivè alieno ſemper ſunt illicitæ, & dignæ pœna: nàm indecens eſt, crimen proprium commodis alienis impendere, ut dicitur in dicto cap. *Sicut non ſuo*. Igitur vera eſt Regula.

Obſervandum tamen eſt, hanc Regulam procedere in maleficiis, ſcilicet in his quæ de ſe ſunt mala, & illicita: in aliis verò non habet locum, ut patet in Judice delegato, in Procuratore, in Laico, qui omnes ex commiſſione licitè agunt, quod nomine proprio agere non poſſent.

RE-

REGULA LXVIII.

Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum.

HÆc Regula deſumpta eſt ex cap. ult. ſupra in hoc eodem libro de Procurar. ubi dicitur, quòd quis poteſt matrimonium contrahere per Procuratorem, ſi habeat ſpeciale mandatum ad tale matrimonium contrahendum, & rationem reddit Pontifex: quia qui poteſt per ſeipſum facere, poteſt per alium facere.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia facultatem, quam quis habet ad aliquod faciendum, poteſt alteri demandare, ſi aliàs res ſit licita, nec actio debeat eſse perſonalis; nam unuſquiſque eſt Dominus communicandi alteri facultatem, quam habet: igitur unuſquiſque poteſt agere per alium, quod poteſt per ſeipſum. Dixi, *ſi res ſit licita*, quia ſi res ſit illicita, ut homicidium, & furtum, ſicut non poteſt per ſe, ita non poteſt per alium. Dixi, *niſi actio debeat eſſe perſonalis* ſcilicet taliter affixa tali perſonæ, ut alteri committi non poſſit, ut actiones Confirmationem miniſtrandi, & promovendi ad Ordines, taliter ſunt propriæ Epiſcopi, ut ab eo alteri talis facultas communicari non poſſit. Et hoc patet in multis caſibus, puta in recitatione Divini Officii, ad quam tenentur Clerici, vel ratione Ordinis Sacri, vel ratione Beneficii: in reſidentia in Choro, ad quam tenentur Beneficiati, ſi velint lucrari diſtributiones; in perſolvenda pœnitentia impoſita: in adimplendo præcepto Jejunii, quæ omnes actiones cùm debeant eſſe perſonales, alteri committi non poſſunt, ſed ab unoquoque ſunt executioni mandandæ.

Similiter eſt obſervandum, quòd licèt, regulariter loquendo, quæ quis poteſt per alium facere, poſſit facere per ſeipſum; hoc tamen non ſemper verificatur: nàm aliquando non licet alicui facere per ſe, quod eſt illi licitum facere per alium. Sicut Epiſcopo non licet per ſe verberare Clericum ſuum Subditum in pœnam delicti, aut ratione correctionis, eſt tamen illi licitum per alium. Similiter Epiſcopo non eſt licitum litigare per ſe, nec per ſe audire, & judicare in cauſa ſanguinis, ſi habeat juriſdictionem temporalem, tamen poteſt id facere per alium. Et hoc accidit ratione qualitatis perſonæ, cui aliquæ actiones non conveniunt, quas tamen per alios facere poteſt, & interdum ratione qualitatis mediorum, ſeu intercedentium, conſequitur quis id, quod per ſe conſequi non poteſt, ut dictum eſt ſupra de conceſſ. Præben. cap. *Authoritate.* Similiter aliquando contingit, quòd quis poſſit tamquam alius, non tamquam ipſe, ut habetur in Jure Civili in Inſtitut. de *inofficioſo Teſtamento* §. *Si Tutor*. Tutor enim nomine Pupilli poteſt, quod nomine proprio non poſſet agere. Ex quibus omnibus deducitur, quòd hæc Regula intelligenda eſt de his, quæ per ſe, & de Jure ſortiuntur, vel ſortiri poſſunt effectum; nec coincidit cum alia Regula, quæ ſequitur num. 72. *Qui facit per alium, eſt perindè, ac ſi faciat per ſeipſum*, quæ generaliter loquitur, ut etiam maleficia comprehendat: præſens autem Regula loquitur de poteſtate faciendi, illa autem de effectu facti, unde diverſificantur.

REGULA LXIX.

In malis promiſſis fidem non expedit obſervari.

REgula præſens eſt valde affinis Regulæ jam allatæ num. 58. *Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum*: unde ſicut juramentum præſtitum contra bonos mores non tenet, ita nec promiſſio facta in his, quæ illicita ſunt. Exempla, quæ ibi ſunt adducta, deſervire poſſunt pro exemplificatione hujus Regulæ, quæ deſumpta eſt ex eiſdem locis Juris Canonici, & ſpecialiter cap. *in malis promiſſis* 22. quæſt. 4. Undè qui promiſit alteri, committere homicidium, aut adulterium, aut furari, non tenetur, nec expedit ei talia facere; ſunt enim omninò illicita. Sicut etiam ſi quis depoſitaret in manu alterius aliquam ſummam pecuniæ, & promitteret ei, quòd ſi

dolo,

dolo, & culpa depoſitarii pecuniam illam perderet, talis depoſitans non ageret contra illum, talis promiſſio non deberet obſervari, tùm quia eſt contra bonos mores, quia daret occaſionem furandi rem alienam, tùm quia eſt contra Jus depoſiti, quod debet cuſtodiri fideliter, aliàs depoſitans habet actionem contra Depoſitarium; ſi res depoſitata perit ex culpa, & dolo depoſitarii; neç huic juri depoſitans poteſt cedere tamquam talis, quia aliàs redderet licitum, quod de ſe eſt illicitum, ſcilicet licitè retinere rem alienā, poteſt tamen cedere ſuo juri per donationem, donando ſcilicet tali perſonæ pecuniam illam, ſed non apud ipſum depoſitando: nàm conditiones depoſiti immutari non poſſunt.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia ſicut juramentum, ita & promiſſio non poteſt eſſe vinculum iniquitatis; unde ſicut ad validitatem juramenti requiritur, quòd ſit de re licita, ita ad validitatem promiſſionis: id enim, quod illicitè fit, nullo modo eſt faciendum, etiamſi bonum aliquod ſperetur: non enim ſunt facienda mala, ut eveniant bona ex Apoſtolo Paulo.

Obſervandum eſt tamen, quòd Regula loquitur in malis promiſſis, non in malè promiſſis: aliud eſt enim malum promittere, aliud malè promittere. Primum enim nullo pacto obligat, neque eſt obſervandum. Secundum verò ſcilicet malè promittere, nempe per dolum, vel metum, obligat, & eſt ſervandum, cùm ſcilicet talis promiſſio licèt malè facta, firmatur juramento, quod tranſgredi quis non poteſt ſine ſalutis æternæ diſpendio, ut habetur cap. *Si verò* Tit. de jurejur. in Decretal. Eſt enim differentia inter mala promiſſa, & inter malè promiſſa, ſcilicet per metum, & dolum; quòd prima ipſo jure ſunt nulla: ſecunda verò vitiantur interdùm ope exceptionis. Legatur S. Th. 2. 2. quæſt. 110. Art. 3. ad 5. ubi ait: *Dicendum, quòd ille qui aliquid promittit, ſi habeat animum faciendi, quod promittit, non mentitur, quia non loquitur contra id, quod gerit in mente. Si verò non faciat, quod promiſit, tunc videtur infideliter agere per hoc, quod animum mutat. Poteſt tamen excuſari ex duobus. Uno modo, ſi promiſit id, quod manifeſtè eſt illicitum, quia promittendo, peccavit, mutando autem propoſitum benè facit. Alio modo, ſi ſunt mutatæ conditiones perſonarum, & negotiorum, ut enim Seneca dicit in libro de Beneficiis; ad hoc, quòd homo teneatur facere, quod promiſit, requiritur, quòd omnia immutata permaneant, aliòquin nec fuit mendax in promittendo, quia promiſit, quod habebat in mente, ſubintellectis debitis conditionibus: nec etiam eſt infidelis non implendo, quod promiſit; quia eadem conditiones non extant. Undè & Apoſtolus non eſt mentitus, qui non ivit Corinthum, quò ſe iturum eſſe promiſerat, ut dicitur 2. ad Corinthios 1., & hoc propter impedimenta, quæ ſupervenerunt.* Hæc D. Thom.

REGULA LXX.

In alternativis debitoris eſt electio, & ſufficit alterum adimpleri.

HÆc Regula deſumpta eſt ex cap. *Inter cæteros*, ſupra de Reſcript., ubi dicitur, quòd ſi Papæ exponatur, Rectorem talis Eccleſiæ eſſe homicidam, ſimoniacum, concubinarium, aliosque defectus habere, ratione quorum meretur privari tali Eccleſia, & Papa hujuſmodi cauſam committat aliquibus Judicibus delegatis, qui per acta, & probata inveniunt, talem Rectorem eſſe Reum alicujus ex illis criminibus, quæ illi obiiciuntur, propter quod crimen eſt dignus depoſitione: in tali caſu Judices delegati debent talem Rectorem Eccleſiæ ab officio Rectoratus deponere, quia cùm ſint crimina, propter quorum quodlibet eſt dignus depoſitione, expoſitio facta Papæ, ſicut etiam commiſſio facta à Papa Judicibus delegatis ſumenda eſt non copulativè, ſed disjunctivè, vel alternativè: in alternativis autem ſufficit alterum adimpleri, & Accuſatoris erit probare contra talem Rectorem, quod voluerit ex illis criminibus, quæ objecit; dummodò illud ſit ſufficiens ad deponendum eum à Rectoratu, quia in alternativis debitoris eſt electio. In caſu autem præſenti hujuſmodi

Digitized by Google

delicta ſumi debent diſiunctivè, accipiendo unumquodque ex illis, quod ſufficit ad privationem Rectoratus, ut dicitur cap. *Item.* Poteſt clarius exemplificari in illo, qui promiſit alteri dare vel Equum, vel decem ſcuta, talis promittens non poteſt ab illo alio compelli ad damnum utrumque, ſed vel unum, vel aliud: & hoc erit in arbitrio ejus, qui promiſit, ut ſcilicet det, quod ei placuerit, quia in alternativis debitoris eſt electio, & ſufficit alterum adimpleri.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia omnis contractus pendet ab intentione contrahentis; ſed promittens cùm expreſſione alternativâ non intendit ſe obligare ad utrumque, ſed ad unam tantùm partem, quam ipſe voluerit: igitur ad eum ſpectabit electio, & ſufficiet, ut unam ex illis partibus adimpleat. Talis enim fuit ejus intentio in promittendo alternativè.

Obſervandum tamen eſt, aliquas obligationes alternativas eſſe cùm ordine adimplendas, & non ad libitum, ut patet in Teſtamento, in quo Teſtator reliquit Legatum Titio, & in ejus defectum Sempronio, & in defectum Sempronii Cajo: licèt enim hujuſmodi legata videantur alternatiè facta, ſunt tamen abſoluta, verificatâ conditione, ut ſcilicet ſubſiſtat Legatarius, undè non pendet ab arbitrio Executoris electio perſonæ, cui ſit perſolvendum legatum.

REGULA LXXI.

Qui ad agendum admittitur, eſt ad excipiendum multò magis admittendus.

HÆc Regula deſumpta eſt ex cap. *Poteſt.* Cauſa 16. quæſt. 3. ubi dicitur, quòd Eccleſia præſcribens rem alienam cum titulo, puta, quia fuit ei legata à Teſtatore, aut fuit empta, & eam poſſedit bonâ fide per tempus ſufficiens ad præſcriptionem; ſi ille, qui fuerat verus Dominus illius rei, rem illam repetat: Eccleſia poſſidens legitimè talem rem, ſicut debet à Judice admitti ad agendum, ideſt ad defendendam poſſeſſionem talis rei ratione emptionis, aut legati; ita & multò magis debet admitti ad excipiendum, adducendo ſcilicet legitimam præſcriptionem:

Ratio hujus Regulæ eſt, quia cui licet plus, licet & minus, ut ſupra dictum eſt; ſed plus eſt agere, quàm excipere: igitur cui licitum eſt agere, erit licitum excipere; non tamen è contra, ſcilicet cui licitum eſt excipere, eſt licitum agere: nàm excommunicato non eſt licitum agere, eſt tamen licitum excipere.

Obſervandum tamen eſt, hanc Regulam procedere in iiſdem perſonis, & de eadem re, quam quis poſſedit, & alter eam juridicè petit, probando per Teſtes eſſe ſuam. Poſſidens enim talem rem, poteſt ſe defendere probando contrarium, ſcilicet fuiſſe ab eo emptam, vel ab alio fuiſſe ei donatam. Et ſi à longo tempore eam bona fide poſſedit, poteſt ſe defendere legitimâ præſcriptione, quod eſt uti exceptione: nullus enim prohibetur pluribus uti defenſionibus, ut ſupra dictum eſt.

REGULA LXXII.

Qui facit per alium, eſt perindè, ac ſi faciat per ſeipſum.

HÆc Regula licèt non concidat cùm Regula ſuperius poſita num. 68. eſt tamen ei valdè affinis, & veluti correlativa: cum enim in ea dicatur, *quod poteſt quis per alium, poteſt facere per ſeipſum*; itaut ibi ſermo ſit de potentia faciendi, & cùm in præſenti Regula ſermo ſit de actu ipſo faciendi, dum dicitur: *qui facit per alium, eſt perindè ac ſi faciat per ſeipſum*, ſequitur, quòd hæc Regula ſit correlativa ad illam.

Deſumpta eſt ergo præſens Regula ex iiſdem Teſtibus Canonicis, ex quibus dictum eſt, fuiſſe illam aliam deſumptam, & eodem modo poteſt exemplificari in eo qui contrahit matrimonium per Procuratorem, dato ei ſpeciali mandato: valet enim talis contractus, ac ſi per ſeipſum contraxiſſet.

Similiter ratio hujus Regulæ ex ratione

tione illius deducitur. Si enim poteſt quis facere per alium, quod poteſt facere per ſe ipſum, eo quòd poteſt alteri communicare facultatem, quam per ſe, & abſolutè habet ad faciendum, ſequitur evidenter, quòd qui per alium facit, ſit perindè ac ſi faciat per ſe ipſum; quod verificatur tàm in rebus licitis, quæ fieri poſſunt per alium, & non requirunt actionem propriam perſonalem, ut ſupra dictum eſt in expoſitione prioris Regulæ; quam in illicitis, ut in homicidio, furto &c. qui enim mandat homicidium, aut furtum, ſequuto homicidio, aut furto, reus eſt homicidii, aut furti: qui enim per alium facit, perinde eſt, ac ſi fuiſſet per ſe ipſum factum.

REGULA LXXIII.

Factum legitimè retractari non debet, licet caſus poſtea eveniat, à quo non poteſt inchoari.

HÆC Regula deſumpta eſt ex cap. penultimo de eo, qui cognovit Conſanguineam Uxoris ſuæ in Decretal. ubi dicitur, quòd affinitas ſuperveniens in Matrimonio jam legitimè contracto, per hoc quòd Vir cognoſcat conſanguineam Uxoris, non dirimit Matrimonium, licèt per talem affinitatem Vir ille deveniat ad talem ſtatum, ut ſi deberet contrahere, non poſſet, eo quòd obſtaret impedimentum affinitatis. Idem dicitur de eo, qui ſanæ mentis contraxit Matrimonium, & deinde incidit in inſaniam, aut contraxit in ſtatu, quo erat potens reddere debitum, ſed poſt Matrimonium legitimè contractum redditus eſt impotens. Matrimonium in utroque caſu ſubſiſtit; licet ſi à principio eſſet contrahendum, non teneret propter hujuſmodi impedimenta, quæ ſi ſuperveniant, non dirimunt Matrimonium legitimè contractum.

Ratio hujus Regulæ eſt, quià id, quod legitime factum eſt, habet ex ſe, & à Jure vim perſiſtendi: igitur retractari non debet, etiamſi caſus ſuperveniat, quo poſito illud fieri non poſſet, quia tùnc legitime non fieret. Non poteſt ergò caſus ſuperveniens auferre legitimitatem actui, vel contractui jam facto; quia ille actus jam gaudet ſuâ legitimitate, nec eâ poteſt privari, quia ad præteritum non eſt potentia. Retractatur ergo contractus, qui ab initio non ſubſiſtit, ut dictum eſt ſupra; ſed contractus, qui legitimè ab initio ſubſiſtit, retractari non debet.

Obſervandum eſt tamen, quòd bene dicitur hujuſmodi legitimè factum non eſse retractandum, & non dicit non eſse, aut non poſse impediri; nàm multoties accidit factum illud non retractari, ſed effectum impediri, ut de exemplo dato de affinitate ſuperveniente inter Maritum, & Uxorem, eò quod unus cognoverit carnaliter conſanguineam alterius. In tali enim caſu, licet non retractetur Matrimonium, effectus tamen Matrimonii, ſcilicet petitio debiti impeditur; taliter quòd ſtante tali impedimento non poſſit Maritus petere debitum Uxori ante obtentam diſpenſationem; tenetur tamen reddere Uxori innocenti: ſed aliud eſt, effectum Matrimonii impedire, & aliud Matrimonium retractare, ſeu invalidare, ut de ſe patet.

REGULA LXXIV.

Quod alicui gratioſè conceditur, trahi non debet ab aliјs in exemplum.

HÆc Regula eſt valdè affinis duabus Regulis ſuperiùs allatis, nempe Regulæ 7. ubi dicitur, quòd *Privilegium perſonale ſequitur perſonam, & extinguitur cùm perſona*, & Regula 28., in qua dicitur; quod *quæ à Jure communi exorbitant, nequaquàm ad conſequentiam ſunt trahenda*: undè hæc præſens Regula ex eiſdem Textibus Canonicis deſumitur, ex quibus illæ deſumptæ ſunt. Sunt enim uniformes, & ex illis poſſunt afferri exempla.

Ratio hujus Regulæ eſt, quià quod gratioſè conceditur uni, conceditur ei, & non alteri: igitùr non debet ab alijs trahi in exemplum; quod enim gratioſè conceditur pendet à gratia, ſeù à voluntate concedentis.

Hæc Regula ſpecialitèr intelligitur, & habet locum in his, quæ gratioſè conceduntur alicui ſpecialitèr, & aliàs ſunt contra Jus commune, ut quòd Clericus poſſit habere plura Beneficia. Hujuſmodi enim gratia conceſſa a Papa tali Clerico, eò quòd hujuſmodi Clericus per plures annos tamquam Doctor inſignis legerit in aliqua Univerſitate, non poteſt proptèr hoc trahi in exemplum; licèt eadem, imò etiam major ratio militet in hoc ſecundo, qui eſt Doctor magis famoſus, & plures annos legit in inſigniori Univerſitate, Ratio namque talis gratiæ non pendet præciſè a motivo, quod affertur, ſed pendet a voluntate, & arbitrio Papæ concedentis.

REGULA LXXV.

Fruſtrà ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſervari, cui fidem à ſe præſtitam ſervare recuſat.

HÆc Regula deſumpta eſt ex cap. *de forma* cauſa 22. quæſt. 5. ubi dicitur, quòd non eſt minus adſtrictus Dominus Vaſſallo, quam Vaſſallus Domino; nàm ſicut Vaſſallus debet fidelitatem Domino, ita Dominus debet eſſe fidelis Vaſſallo in his, quæ illi promiſit, puta in Privilegijs conceſſis, & juratis: Undè ſicut Vaſſallus privatur Feudo proptet infidelitatem erga Dominum, ita Dominus privatur ſuperioritate, ſi ſit infidelis erga Vaſſallum, non ſtando promiſſis; eſt enim promiſſio reciproca: ſi ergò Dominus non ſervet fidem Vaſſallo, nèc Vaſſallus tenetur ſervare fidem Domino proptèr rationem hujus Regulæ. Similitèr ex Jure Civili l. *Cum proponas* c. *de pactis*, ubi dicitur, quòd ſi duo litigantes, cedendo liti, ſimùl conveniant, & faciant tranſactionem, ut unus ſolvat alteri infrà menſem tantam ſummam pecuniæ, & de facto poſteà non ſolvat, alius non tenebitur ſtare conventioni, ſed poterit ad litem redire proptèr eamdem rationem hujus Regulæ.

Ratio hujus Regulæ eſt, quià hujuſmodi obligatio ſervandi fidem orta legitimè intèr duos eſt reciproca, & correlativa; igitur ſicùt obligat unum ad id, quod promiſit, ità & obligat alium ad id, quod repromiſit; igitur ſi unus deficiat in obſervando quod promiſit, alter ſimiliter poteſt exequi quod recuſare repromiſit. Talis enim eſt intentio in contractibus, ut ſi unus contrahentium deficiat, alter non teneatur; non enim meretur fidem, qui fidem frangit.

Obſervandum tamèn eſt, hanc Regulam eſſe intelligendam, cùm fides, & promiſſio eſt purè naturalis, & intèr homines; ſi enim ſit firmata Juramento, perquod promiſſio ſit Deo, qui adducitur in Teſtem; aut promiſſio, ſivè fides ſit data in Sacramento, per quod fides, quæ homini datur, ſupernaturalizatur; in his caſibus Regula non tenet, ut patet in eo, qui promiſſionem firmavit Juramento, & in Uxore, quæ in contrahendo Matrimonium fidem juravit ſuo Viro, & è contra Vir Uxori, ſi Vir fidem frangat adulterando, non proptèr hoc Mulier poteſt ei ipſam fidem Matrimonij frangere per adulterium; Et ratio eſt, quià hujuſmodi fides non ſolùm homini, ſed Deo datur per juramentum.

REGULA LXXVI.

Delictum Perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare.

HÆc Regula deſumpta eſt ex cap. *Si Epiſcoporum* cauſa 16. quæſt. 6. ubi dicitur, quòd ſi Epiſcopus committat aliquod grave delictum, proptèr quod fuit depoſitus, & privatus ſuo Epiſcopatu; non per hoc Bona talis Eccleſiæ debent confiſcari, ſicut confiſcarentur, ſi eſſent bona propria talis Epiſcopi. Idem dicitur de Syndico, ſeu Miniſtratore Eccleſiæ, cujus delictum perſonale non redundat in damnum illius Eccleſiæ, cujus eſt Miniſter.

Ratio hujus Regulæ eſt, quià delictum non debet redundare in detrimentum ejus, qui nullo modo cauſat tale delictum, vel ad illud conducit; ſed delictum perſonale alicujus Eccleſiaſtici nullo modo committitur ab Eccleſia, nec Eccleſia

eleſia aliquo modo ad illud conducit; delictum enim perſonale committitur à perſona, & perſonam ſequitur; igitur delictum perſonale non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare.

Obſervandum eſt tamèn, quod delictum in Prælato Eccleſiaſtico poteſt eſſe duplex, ſcilicet, vel faciendo quod non debet facere, vel omittendo, ſcilicet non faciendo id, ad quod tenetur. Si delictum Prælati Eccleſiaſtici ſit hujus ſecundi generis, quià ſcilicet omittit facere, quod de jure tenetur; hujuſmodi delictum, ſeu defectus multotiès redundat in detrimentum Eccleſiæ, tùm temporale, tùm ſpirituale; in detrimentum temporale, ſi talis Prælatus ſit negligens in cuſtodiendis, aut in repetendis bonis ſuæ Eccleſiæ à laicis occupatis; in detrimentum autèm ſpirituale Eccleſiæ, ſi talis Prælatus negligat officium ſuum in rebus ſpiritualibus, ad quas tenetur ratione officij. Ex his enìm defectibus Eccleſia patitur, & quodammodò videtur dehonorari. Itaquè Regula præſens intelligenda eſt de delicto perſonæ, vèl Prælati Eccleſiaſtici, quod delictum conſiſtit in faciendo, ex quo nullum detrimentum, & ſpecialitèr loquendo de detrimento temporali, debet in Eccleſiam redundare. Secùs dicendum de delicto omiſſionis, quod conſiſtit in non faciendo id, ad quod tenetur.

REGULA LXXVII.

Rationi congruit, ut ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore.

HÆC Regula deſumpta eſt ex cap. *Filijs, ac Nepotibus* Cauſa 16. qu. 7. ubi dicitur, quòd Filii, & Nepotes, qui ex hæreditate ſuccedunt Patrono alicujus Eccleſiæ in honore Juris patronatus, debent etiam ſuccedere in onere, quod habebat Teſtator tamquàm Patronus, defendendi Eccleſiam illam, cujus erat Patronus; quia qui ſuccedit in honore, debet etiam ſuccedere in onere. Idem dicitur de Epiſcopo, ſeu Rectore Eccleſiæ, qui ſuccedit in honore Rectoratus, tenetur ſolvere debita Prædeceſſoris, quæ facta fuerunt in utilitatem Eccleſiæ, & hoc propter rationem hujus Regulæ.

Ratio autem hujus Regulæ deſumi poteſt ex Regula ſuperius allata num. 55. ſcilicet, *Qui ſentit onus, debet ſentire & commodum, & è contra*: ſcilicet, *qui ſentit commodum, debet ſentire onus, ſivè incommodum*, quia, ut ibi diximus, ad Juſtitiam ſpectat incommodum cum commodo compenſare, & è contrà; ſunt enim hæc correlativa: igitur rationabile eſt, ut qui ſubſtituitur in honore, ſuccedat etiam in onere aliàs annexo cum tali honore, ſeu officio, aut dignitate. Vide quæ diximus ſupra Regula 55. citatâ.

REGULA LXXVIII.

In argumentum trahi nequeunt, quæ proptèr neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa.

HÆC Regula deſumitur ex cap. 1. 55. diſt. ubi dicitur, quòd ex neceſſitate temporis propter Miniſtrorum Sæcularium defectum, ſeu penuriam, permittitur Epiſcopis Monachos aſſumere ad Parochiales Eccleſias: ceſſante autem tali neceſſitate, in argumentum trahi non debet, ne ſcilicet detur Monachis occaſio vagandi: undè de Jure communi Monachi, utpotè ſolitarii, non debent habere adminiſtrationem Eccleſiarum Sæcularium; ſtanto tamèn neceſſitate, quòd non ſint Clerici Sæculares idonei, diſpenſari poſſunt. Cæterùm talis diſpenſatio conceſſa, urgente neceſſitate, in argumentum trahi nequit extra caſum neceſſitatis. Idem dicitur Titulo *de Conſanguin. & affinit.* quòd non eſt licitum, nèc validum Matrimonium contractum inter conſanguineos infrà quartum gradum; tamèn à principio generis humani licitè contraxit Frater cum Sorore, quià ex neceſſitate hoc fiebat; nunc autem, ceſſante tali neceſſitate, ceſſat diſpenſatio. Undè *in argumentum &c.*

Ratio hujus Regulæ eſt, quià, ut communiter dicitur à Philoſophis, ceſſante cauſa, ceſſat effectus; ſed cauſa, quare aliquando conceditur aliquod,

quod

quod eſt contra Jus commune, eſt ipſamet neceſſitas, & circumſtantia temporis: igitur ceſſante tali neceſſitate, & circumſtantiâ, id quod prius erat conceſſum, denuò concedi non debet; non enim eſt paritas rationis, cùm diverſificentur circumſtantiæ: igitur *in argumentum &c.*

Obſervandum eſt, hanc Regulam affinitatem habere cum Regula 28. in qua dicitur: *Quæ à Jure communi exorbitant, nequaquàm ad conſequentiam eſſe trahenda.* Et ſimiliter cum Regula 74. in qua dicitur, *quod alicui gratiosè conceſſum eſt, non debere ab aliis trahi in exemplum.* Licèt enim hujuſmodi Regulæ videantur idem aſſerere, ac Regula præſens; tamèn motiva, & rationes ſunt diverſæ: nam illæ loquuntur de his, quæ gratiosè conceduntur in favorem, & gratiam perſonæ, quæ trahi non debent in exemplum; præſens autèm Regula loquitur de his, quæ conceduntur ob neceſſitatem temporis; undè præſens Regula cùm habeat diverſum motivum, & rationem, non eſt exiſtimanda ſuperflua.

REGULA LXXIX.

Nemo poteſt plus Juris transferre in alium, quàm ſibi competere dignoſcatur.

HÆC Regula deſumpta eſt ex cap. *Daibertam* cauſa 1. quæſt. 7. & ex cap. *Nuper*, Titulo *de Donat. inter Virum, & Uxorem*, ubi ſunt hæc verba; & poteſt exemplificari in eo, qui vendit, aut donat rem alienam abſque commiſſione, ſeu permiſſione proprii Domini; per talem enim venditionem, aut donationem non transfert Jus, aut dominium illius rei in ementem, aut donatarium, quià tale Jus, aut dominium rei non eſt in vendente, aut donante: undè tale Jus non poteſt in alium transferre propter rationem hujus Regulæ. Nemo enim poteſt plus Juris transferre in alium, quàm ſibi competere dignoſcat.

Ratio hujus Regulæ eſt, quià nemo poteſt plus dare alteri, quàm ipſe habeat; nemo enim dare poteſt quod in ſe non habet: igitur nec plus Juris dare poteſt alteri, quàm in ſe ipſe habeat. Si ergò nullum Jus habet in re, quam tradit, nullum Jus in alium poteſt transferre: Si autèm aliquod Jus habeat, puta quoàd uſum, ſed non quoàd proprietatem, tale Jus quoad uſum poteſt in alium transferre, ſed non Jus proprietatis. Sicque Regula verificatur, quòd nemo poteſt plus Juris transferre in alium, quàm ſibi competere dignoſcatur.

Obſervandum tamèn eſt, quòd hæc regula non verificatur in Cauſis concurrentibus tantùm inſtrumentaliter, ſeu miniſterialiter, quæ producunt effectum in virtute cauſæ principalis, ut accidit in Baptizante alium, etiamſi ipſe non ſit baptizatus, ut dicitur de Conſecrat. diſt. 4. cap. *Solet*, dummodo enim talis Baptizans intendat facere quod facit Eccleſia, validè baptizat, etiamſi ipſe baptizatus non ſit, quià tantum miniſterialiter concurrit, non principaliter.

REGULA LXXX.

In toto non eſt dubium partem contineri.

HÆc regula deſumpta eſt ex cap. *Pœnale*, cauſa 14. qu. 5. & ex cap. *Meretrices*, cauſa 32. q. 5. ubi dicitur, quòd prohibitio facta in Decalogo, qua prohibetur Mæchia, per quàm intelligitur omnis illicitus concubitus viri, & fœminæ, non ſolùm compræhendit adulterium, ſed etiam ſimplicem fornicationem, ſcilicet concubitum ſoluti cùm ſoluta. Similiter furtum prohibitum in Decalogo, per quod intelligitur injuſta acceptio rei alienæ, non ſolùm verificatur de ſimplici furto occultè facto, ſed & de rapina, qua violenter aliquid à verò Domino aufertur; cùm enim prohibetur totum, & partes prohibentur: nàm in toto non eſt dubium partes contineri.

Ratio hujus regulæ eſt manifeſta; nàm ut ſupra dictum eſt regula 35. *Plus ſemper continet in ſe quod eſt minus*, totum autem eſt plùs, quàm ſint partes ſeorſim ſumptæ: igitur totum in ſe continet partes.

tes. Si ergo prohibetur, vel conceditur totum, quod eſt plùs, prohibetur, vel conceditur pars contenta in toto, quod eſt minus. Quòd autem pars contineatur in toto, & quòd totum ſit majus ſua parte ſeorſim ſumptâ, naturæ lumine conſtant. Videantur ea, quæ dicta ſunt in citata regula 35, quæ eſt huic affinis.

REGULA LXXXI.

In Generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veroſimilitèr in ſpecie conceſſurus.

HÆc regula deſumpta eſt ex cap. *Si Epiſcopus* ſupra de Pœnitentis, & remiſſionibus, ubi dicitur, quòd ſi Epiſcopus concedat alicui Sacerdoti, ut audiat Confeſſiones Fidelium in ſua Diœceſi, & eos abſolvat, non propter hoc intelligitur conceſſa ei facultas, ut eos poſſit abſolvere à reſervatis. Similiter ſi alicui Epiſcopus concedat facultatem eligendi Confeſſarium, quem voluerit, ut ab eo poſſit abſolvi, non per hoc intelligitur ei conceſſa poteſtas, ut poſſit abſolvi à caſibus Epiſcopalibus. Similiter ſi Summus Pontifex concedat alicui Confeſſario, ut poſſit abſolvere à caſibus Bullæ Cœnæ, non per hoc intelligitur, ut poſſit abſolvere virtute talis conceſſionis à caſu hæreſis per actum externum, etiam occultum; quia ad abſolvendum à caſu hæreſis, & à caſibus ſpecialiter reſervatis, requiritur ſpecialis facultas, quæ ſi non exprimatur, non ſupponitur concedi per generalem conceſſionem.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia generalis conceſſio ex ſe videtur obſcura; in obſcuris autem inſpicimus, quod eſt veroſimilius, & quod plerùmque fieri conſuevit, ut dictum eſt ſupra regula 45. non eſt autem veriſimile, vel conſuetudo, ut concedés per generalem conceſſionem intendat concedere id, quod conſuevit concedere particulari expreſſione. Et ratio eſt, quia hæc particularia, quæ ſunt majoris conſiderationis, indigent particulari expreſſione: igitur non veniunt in generali conceſſione, cùm in his concedendis ſit ſpecialis difficultas; unde non præſumuntur conceſſa, niſi exprimantur. Et licet univerſale univerſaliter acceptum, & non indefinitè compræhendat ſub ſe particulare, unde conceſsâ facultate generali, videtur conceſſa ad omnia particularia, quæ continentur ſub illa univerſali, tamen conceſſio univerſalis indefinita non ſe extendit ad omnes caſus in particulari, ſed ſufficit, ut extendatur ad aliquos: ut ſi Papa concedat alicui, ut poſſit abſolvere à caſibus Bullæ Cœnæ, non dicit ab omnibus, ſed indefinitè; & in hoc caſu procedit hæc Regula. Si autem diceret, ut poſſit abſolvere ab omnibus, & ſingulis caſibus Bullæ Cœnæ, nullo excluſo; tunc intelligeretur conceſſa facultas ad abſolvendum etiàm in caſu hæreſis occultæ.

REGULA LXXXII.

Qui contra jura mercatur, bonam fidem præſumitur non habere.

HÆc Regula deſumpta eſt ex cap. *Si quis deinceps*, cauſa 16. qu. 7. ubi dicitur, quòd Clericus recipiens de manu Laici abſque canonicâ inſtitutione Epiſcopi, præſumitur, talem Eccleſiam ſuſcepiſſe mala fide, quia contra jus eam ſuſcepit: ſimiliter ſi aliquis Rector Eccleſiæ Parochialis percipit decimas in alienâ Parochiâ, non præſumitur habere bonam fidem, eoquòd contra jura mercatur, nàm certum eſt, Parochum extra propriam Parochiam decimas percipere non poſſe.

Ratio hujus regulæ eſt, quia ut dictum eſt regula 13. *Ignorantia facti, & non juris excuſat*, quia præſumitur unumquemque ſcire, aut debere ſcire ea, quæ ſunt de jure: ſi ergo aliquis mercatur contra jura, ſcilicet emit, aut vendit, vel alium celebrat contractum de jure illicitum, utpotè contra juris determinationem, puta contractum Uſurarium, non præſumitur celebraſſe talem contractum bonâ fide; quia vel ſciebat talem contractum eſſe contra jus, & ſic convincitur, quòd illum celebravit mala fide; vel neſciebat, & ſic quia tenebatur ſcire, talis

talis ignorantia non eum excuſat à mala fide, quia eſt ignorantia juris, quod tenetur ſcire, unde dicitur, quòd ignorantia facti, & non juris excuſat: ſtante ergo quòd qui mercatur contra jura, præſumitur non habere bonam fidem, nec etiam præſcribere poterit.

Obſervandum tamen eſt, quòd ſi aliquis malâ fide, utpotè contra jura, aliquid accipiat, ut in caſu quo Clericus Eccleſiam accipiat de manu Laici abſque conſenſu Epiſcopi, & per multos annos talem Eccleſiam tenuerit, Epiſcopo non contradicente, talis poteſt præſcribere, quia præſumitur tacitus conſenſus Epiſcopi, qui videt, & non contradicendo approbat, aut ſaltem præſcribit ejus Succeſſor, qui præſumitur ignorare, talem Eccleſiam fuiſſe obtentam ab Anteceſſore abſquè canonica inſtitutione; qui enim in rem ſuccedit alterius, juſtam ignorantiæ cauſam videtur habere.

REGULA LXXXIII.

Bona fides non patitur, ut ſemel exactum iterum exigatur.

HÆc Regula deſumpta eſt ex cap. ultimo cauſa 13. q. 2. ubi dicitur, quòd Eccleſia non debet ſuum repetere cùm augumento, ſed ſi Eccleſia iterùm vellet exigere, quod jam ſemel ab Eccleſia exactum eſt, exigeret rem ſuam cùm augumento, quod eſt contra Juſtitiam, & contra bonam fidem: igitur bona fides non patitur, ut ſemel exactum iterùm exigatur. Similiter poteſt exemplificari in aliis contractibus, in quibus ſi ſint duo debitores, qui inſimul debeant alicui aliquam ſummam pecuniæ, & unus illorum ſolvat Creditori totam illam ſummam, Creditor non poteſt eam ſummam prætendere ab alio debitore. Et idem eſſet, ſi aliquis tertius ſolveret totam illam ſummam nomine illorum; tunc Creditor cùm pecuniam ſibi debitam receperit, non poſſet iterùm exigere ab eis prædictam ſummam, quia bona fides non patitur &c.

Ratio hujus Regulæ eſt manifeſta, quia reſtitutio eſt actus Juſtitiæ commutativæ, quo Creditor reintegratur in re ſibi debitâ ex Juſtitia, ſed ſuppoſito quòd Creditor exigat ſemel totum, quod ei de jure debetur, reintegratur in re ſua: igitur non poterit iterùm exigere; hoc enim eſſet contra Juſtitiam, & bonam fidem, ut ſcilicet Creditor iterùm exigat quod ab eo jàm exactum eſt. Quæ Regula non ſolùm procedit in Civilibus occaſione ſolvendi debita, ſed etiam in Criminalibus, ſeu pœnalibus, ut ſi à Judice aliquis condemnetur ad aliquam pœnàm, quam pœnam ille ſemel ſuſtineat, non tenetur eamdem propter talem ſententiam iterùm ſuſtinere: quia bona fides non patitur, ut ſemel exactum iterum exigatur.

Obſervandum tamen eſt, quod hæc regula verificatur in his cauſis, quarum obligatio unicâ exactione finitur, ut ſi ego debeo alteri decem, ſemel ſolvendo decem, extinguitur obligatio, quia bona fides non patitur &c. ſecùs autem dicendum de his cauſis, quarum obligatio non finitur unicâ exactione, ſed multiplici, & ſucceſſivâ, ut patet de debito Matrimonii ſolvendo inter virum, & uxorem: de procurationibus ſolvendis Epiſcopis in qualibet viſitatione ſuæ Diœceſis; de Pœnis iterum exigendis ab eodem Reo propter diverſa delicta ab eodem ſucceſſivè commiſſa; de his enim non intelligitur præſens regula, ſed tantùm de cauſis primi generis.

REGULA LXXXIV.

Cùm quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.

HÆc Regula deſumpta eſt ex cap. *Hoc conſultiſſimo*, hoc libro titulo de Rebus Eccleſiæ non alienandis, ubi dicitur, quòd cùm Eccleſiaſticis prohibitum ſit alienare res ſuarum Eccleſiarum, puta per venditionem, eſt etiam eis prohibitum hujuſmodi bona Eccleſiaſtica aliis obligare; obligando enim res Eccleſiæ, videntur aliquo modo alienare, quia cùm aliquid prohibetur, non ſolùm pro-

prohibentur omnia,quę ſequuntur ex illo, ut ſupradictum eſt, ſed etiam omnia, per quæ perveniri poteſt ad illud, quod prohibetur: obligare autem res Eccleſiæ eſt quidam modus eas alienandi;& ideo cùm alienatio prohibeatur,prohibetur ex conſequenti obligatio ſaltèm indirectè.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia quotieſcumqne prohibetur finis, ex conſequenti prohibentur omnia, quæ conducunt ad talem finem; ut ſi à Judice prohibeatur Patri propter ſuam inſipientiam adminiſtrare bona propria, & Filiorum, ex conſequenti prohibetur ei adminiſtrare eadem bona tamquàm Tutor, aut Curator, quia currit eadem ratio in ordine ad finem, qui eſt conſervatio bonorum: igitur cùm quid una vice prohibetur alicui,ad id aliâ viâ non debet admitti; aliàs daretur locus frandi in præjudicium legis.

Obſervandum tamen eſt, quòd aliquid poteſt prohiberi, vel principaliter ratione rei prohibitæ, vel principaliter ratione modi, ſub quo res eſt prohibita. Si primò modo res prohibetur: itaut res illa totaliter cadat ſub prohibitione, etiamſi expreſſe prohibeatur unâ viâ, intelligitur prohibita implicitè, & indirectè etiam ſub aliis viis, vel modis, ut uſura, quæ in mutuo expreſsè prohibetur, intelligitur prohibita etiàm aliis modis,etiamſi palliata,& ſub quocumque prætextu fiat. Si autem id,quod prohibetur eſt modus, & non ſubſtantia rei, tunc prohibitio cadit ſub modo illo præcisè, ſub quo prohibetur, & non ſub alio; un de aliâ viâ poteſt admitti, ut videre eſt in Epiſcopo obligato ſuæ Eccleſiæ, qui non poteſt eligi ad alteram Eccleſiam; poteſt tamen ad illam poſtulari, quia eoquòd ſit obligatus ad Eccleſiam, quàm poſſidet, non poteſt ad aliam transferri virtute electionis, ſed ſolùm per poſtulationem, quæ requirit, ut diſpenſetur talis Epiſcopus à Papa: unde modus ſolùm eſt prohibitus, non ſubſtantia.

REGULA LXXXV.

Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur.

HÆc Regula deſumpta eſt ex cap. *Eleutherius*, cauſa 18. q. 2. ubi dicitur, quòd conventio facta inter Epiſcopum Diœceſanum, & Fundatricem Eccleſiæ de obligatione recognoſcendi ipſam Fundatricem, ſeu Patronam Eccleſiæ cùm quibuſdam obventionibus, ſeu muneribus eidem, & ſuis hæredibus præſentandis quolibet anno in feſto talis Eccleſiæ, eſt ſervanda, utpotè pactum, ſivè conventio inſerta in contractu. Certum eſt autem contractus ex conventione, ſeu ex pactis, quæ in eis inſeruntur, legem accipere.

Ratio hujus Regulæ eſt, quià Pacta, ſeu conventiones particulares, quæ ponuntur in contractibus ex mutuo conſenſu partium, habent vim obligandi ex fidelitate, quâ utraque pars promittit ſtare contractui ſub eâdem forma, & conventione, ſub qua ſe obligavit, & non aliter, nec alio modo: igitur ex conventionibus, & ex pactis contractus legem accipiunt; undè communitèr dici ſolet,quòd pactum rumpit legem, ut videre eſt in Depoſitario, cum quo depoſitans fecit pactum, quòd teneretur reſtituere rem depoſitatam, etiàmſi talis res periret, aut eſſet furto ablata, abſque ſua culpa, aut dolo. Depoſitarius ſi conſenſit hujuſmodi pacto, tenetur in caſu, quo res fortuitò pereat, aut ſit ablata, etiamſi de Iure communi non teneretur, niſi de dolo, & gravi culpa; ſed ratione particularis conventionis teneretur, quià pactum rumpit legem.

Obſervandum eſt autèm, quòd conventiones, ex quibus contractus legem accipiunt, debent eſſe honeſtæ, ſcilicet non contra bonos mores, nec contra id, quod eſt de præcepto: nàm tales conventiones utpotè illicitæ, non ſunt admittendæ, nec habent vim obligandi. Similiter tales conventiones, ſeu pacta debent eſſe de re poſſibili: nam impoſſibilium non

eſt obligatio, ut dictum eſt ſuprà, *nemo ad impoſſibile obligatur*.

REGULA LXXXVI.

Damnum, quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet, non alijs imputare.

HÆc Regula deſumpta eſt ex capite *diſplicet*. Cauſa 23. quæſt. 4., ubi dicitur, quòd ſi Clericus accuſatus, & convictus de aliquo delicto enormi apud ſuum Epiſcopum, intendens evadere pœnas à Judice contra eum latas, & ſuo delicto debitas, aufugiat, & fugiendo cadat, & moriatur; talis mors non eſt imputanda Judici, aut Epiſcopo, ſed ipſimet Clerico, qui fugiendo præcipitavit. Similiter ſi ſint duo Clerici habentes expectativas a Papa ſuper primum Canonicatum vacaturum in aliqua Cathedrali: & vacato Canonicatu ſecundus in data, ſtatim procuret acceptationem, & poſſeſſionem, Clerico priore in data, cui de Jure deberetur, negligente, ipſe ſecundus obtinebit Canonicatum, & primus in data, damnum quod patitur, non debet alijs imponere, ſed ſibi ipſi, qui fuit in mora. Mora autèm ſua unicuique eſt nociva.

Ratio hujus Regulæ eſt, quià damnum debet imputari ei, qui damnum cauſat, ſed damnum cauſat, qui eſt in culpa, undè procedit damnum: igitur ſi ipſemet, qui damnum ſentit, ſuâ culpâ illud ſentit, ſibi tale damnum debet imputare, & non alijs, cùm ipſe, & non alij fuerint culpabiles, ex qua culpa ſequutum eſt damnum.

Obſervandum eſt, hanc Regulam verificari etiam in Societatibus officij, ut dicitur l. *cum duobus* ff. *Pro Socio* §. *final.* & l. ſeq. ubi ſocius omnium Bonorum damnatus ob contumaciam ſuam, aut ex proprio delicto, debet ipſe ex propriis ſolvere, non ex communibus Bonis, nàm ſibi, & non aliis damnum eſt imputandum, cùm ipſe, & non alii, fuerit cauſa damni; undè tenetur ipſe, & non alii ad ſolvendum.

REGULA LXXXVII.

Infamibus Portæ non pateant dignitatum.

HÆC Regula deſumpta eſt ex cap. *Tantis Daniel* 61. diſt. & de exceſſib. Prælat. cap. *inter dilectos*, ubi dicitur, quòd Infamibus Portæ dignitatum non debent patere, cui concordat lex Civilis C. de digniat. l. 2. lib. 12. ubi dicitur, *neque famoſis, & notatis, & quos ſcelus, & vita turpitudo inquinat, & quos infamia ab honeſtorum cætu ſegregat, dignitatis Portæ patebunt*. Exemplum poteſt ſumi in iis, qui ſunt infames, vel infamia Juris, ut Hiſtriones, Uſurarii, qui in Jure habentur ut infames: vel infamiâ facti, qui propter aliquod enorme delictum fuerunt à Judice condemnati ut infames. Hi ſi ſint electi ad aliquam dignitatem Eccleſiaſticam, aut Sæcularem, nullo pacto ſunt admittendi, quià Infamibus non debent patere Portæ dignitatum.

Ratio hujus Regulæ eſt manifeſta: quia Dignitates ſivè Eccleſiaſticæ, ſivè Sæculares conferri debent iis, de quibus poſſit eſſe præſumptio, ut rectè, & ſecundùm juſtitiam eas adminiſtrent, & exerceant; ſed de infamibus, ſivè Juris, ſivè facti præſumptio eſt in contrarium; nàm ſemel malus præſumitur ſemper malus, ſaltem in eodem genere mali: igitur infamibus Portæ dignitatum non debent patere.

Præterquàmquòd Dignitates, ſive Eccleſiaſticæ, ſivè Sæculares conferri debent in præmium virtutum ijs, qui virtute ſunt præditi; infames autèm non ſunt hujuſmodi: igitur non ſunt admittendi ad dignitates; imò non ſolum damnum, ſed & graviſſimum ſcandalum orietur in Republica, ſi infamibus paterent Portæ dignitatum.

Obſervandum eſt tamen, quòd in præſenti Regula ſermo eſt de manifeſtè infamibus, ſcilicet, vel convictis, vel damnatis à Judice, vel ex manifeſtis, & publicis actionibus, notoriè ſic habitis. Secùs dicendum de his, qui in occulto,

&

& ſecretò aliquam actionem faciant, cui, ſi publicè fieret, eſſet annexa infamia. Infamia igitur, quæ impedit promovendum ad dignitates, debet eſſe publica, & juridicè probata; aliàs non impedit.

REGULA LXXXVIII.

Certum eſt, quòd is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.

HÆC Regula deſumpta eſt ex cap. *Plerique*, cauſa 14. quæſt. 3. ubi dicitur, quòd illi, qui cùm pecuniam mutuaſſent Negotiatoribus, de lucro mercium partem recipiebant ſuprà ſortem, non quidèm in pecunia, ſed in mercibus, putantes non committere uſuram, eo quòd non recipiebant aliquid ſupra ſortem in pecunia, ſed in rebus, authoritate Ambroſij manifeſtè convincuntur de Uſura: quia in mutuo quidquid accipitur ultra ſortem, ſivè in pecunia, ſivè in mercibus, ſive in frumento, ſive in vino &c. uſura eſt. Et ibi dicitur, quòd iſti tales, & ſimiles videntur admittere verba legis, ſed fraudolenter committunt in legem, quià contra legis, & Legislatoris nituntur voluntatem, ut etiam dictum eſt ſupra de committente Uſuras palliatas.

Ratio hujus Regulæ eſt, quia in obſervatione legis non ſolùm attendenda ſunt verba legis, ſed etiam intentio, & voluntas legis, ſeu Legislatoris: igitur qui operatur contra voluntatem legis, aut Legislatoris, fraudolenter interpætando verba legis, iſte procùl dubio committit in legem; nàm attendendus eſt ſenſus legitimus verborum legis, nec verba ſunt artificiosè transferenda ad ſenſum contrarium menti, & voluntati Legislatoris, à qua lex accipit robur, & firmamentum.

Pro majori explicatione hujus Regulæ eſt obſervandum, quod habetur in cap. *ſunt nonnulli*. Cauſa 1. qu. 1. ubi dicit Divus Ambroſius: quòd ſunt nonnulli, qui quidèm nummorum prœmia in Collatione Ordinum non accipiunt, & tamèn ſacros Ordines prò humanâ gratiâ largiuntur, atque de largitate eâdem laudis ſolummodò retributionem quærunt. Hi nimirùm quod gratis acceptum eſt, gratis non tribuunt; & poſt multa ſubdit: Aliud eſt munus ab obſequio, aliud à manu, aliud à lingua. Munus ab obſequio eſt ſubjectio indebitè impenſa. Munus à manu, pecunia eſt. Munus à lingua, favor. Qui ergò ſacros Ordines tribuit, non ſolùm debet reſpuere munus à manu, ſcilicet pecuniam, ſed etiam ab obſequio, & à lingua, itaquòd manus Epiſcopi Ordinantis ſint omninò vacuæ ab omni genere munerum juxta illud Prophetæ: *qui excutit manum ſuam omni munere*. Hoc autèm eſt interpætari fidelitèr verba legis juxta intentionem Legislatoris, ſcilicet Dei prohibentis Simoniam, non ſolùm conſiſtentem in acceptatione pecuniæ, ſed etiàm in acceptatione obſequij, & favoris. Hoc idem clariſſimè explicat S. Thomas 2. 2. qu. 100. art. 5. in cor. ubi ait: *Dicendum, quòd nomine pecuniæ intelligitur cujuſcumque pretium, quod pecuniâ menſurari poteſt. Manifeſtum eſt autem, quòd obſequium hominis ad aliquam utilitatem ordinatur, quæ poteſt pretio pecuniæ æſtimari: undè pecuniariâ mercede Miniſtri conducuntur. Et ideo idem eſt, quòd aliquis det rem ſpiritualem pro aliquo obſequio temporali exhibito, vel exhibendo, ac ſi daret pro pecunia datâ, vel promiſſâ, quâ illud obſequium æſtimari poſſet. Similiter etiàm, quòd aliquis ſatisfaciat precibus alicuius ad temporalem gratiam quærendam, ordinatur ad aliquam utilitatem, quæ poteſt pecuniæ pretio æſtimari; Et ideo ſicut contrahitur ſimonia accipiendo pecuniam, vel quamlibet aliam exteriorem rem, quod pertinet ad munus à manu, ita etiàm contrahitur per munus à lingua, vel ab obſequio.* Legatur per totum Articulum.

Finis Regularum Juris Canonici.

INDEX

Regularum Juris Canonici eo ordine, quo ſunt appoſitæ,

REGULA I.

I. *Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licitè ſinè Canonica inſtitutione obtineri.* pag. 355.
II. *Poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit.* pag. 356.
III. *Sine poſſeſſione Præſcriptio non procedit.* pag. 357.
IV. *Peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum.* pag. 357.
V. *Peccati venia non datur niſi correcto.* pag. 358.
VI. *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari.* pag. 348.
VII. *Privilegium perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona.* pag. 359
VIII. *Semel malus ſemper præſumitur eſſe malus.* pag. 359.
IX. *Ratum quis habere non poteſt, quod ejus nomine non eſt geſtum.* pag. 360.
X. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato comparari non eſt dubium.* pag. 360.
XI. *Cùm ſunt partium Jura obſcura, Reo favendum eſt potiùs, quàm Actori.* pag. 360.
XII. *In Judicio non eſt acceptio Perſonarum habenda.* pag. 361.
XIII. *Ignorantia Facti, non Juris excuſat.* pag. 362.
XIV. *Cùm quis in Jus ſuccedit alterius, juſtam ignorantiæ cauſam cenſetur habere.* pag. 362.
XV. *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari.* pag. 363.
XVI. *Decet conceſſum à Principe Beneficium eſſe manſurum.* pag. 363.
XVII. *Indultum à Iure Beneficium non eſt alicui auferendum.* pag. 364.
XVIII. *Non firmatur tractu temporis, quod de Iure ab initio non ſubſiſtit.* pag. 364.
XIX. *Non eſt ſine culpa, qui rei, quæ ad ipſum non pertinet, ſe immiſcet.* pag. 365.
XX. *Nullus uti pluribus defenſionibus probibetur.* pag. 365.
XXI. *Quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt.* pag. 366.
XXII. *Non debet aliquis alterius odio pregravari.* pag. 367.
XXIII. *Sine culpa, niſi ſubſit cauſa non eſt aliquis puniendus.* pag. 367.
XXIV. *Quod quis mandato facit Iudicis, dolo facere non videtur,*

cùm

cùm habeat parere neceſſe. pag. 368.
XXV. *Mora ſua cuilibet eſt nociva.* pag. 368.
XXVI. *Ea quæ fiunt à Iudice, ſi ad ejus non ſpectent officium, viribus non ſubſiſtunt.* pag. 369.
XXVII. *Scienti, & conſentienti non fit iniuria, neque dolus.* pag. 369.
XXVIII. *Quæ à jure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda.* pag. 370.
XXIX. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* pag. 370.
XXX. *In obſcuris minimum eſt ſequendum.* pag. 371.
XXXI. *Eum qui certus eſt, certiorari ulterius non oportet.* pag. 371.
XXXII. *Non licet Actori, quod Reo licitum non exiſtit.* pag. 372.
XXXIII. *Mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum.* pag. 372.
XXXIV. *Generi per ſpeciem derogatur.* pag. 373.
XXXV. *Plus ſemper in ſe continet, quod eſt minus.* pag. 373.
XXXVI. *Pro Poſſeſſore habetur, qui dolo deſiit poſſidere.* pag. 374.
XXXVII. *Utile non debet per inutile vitiari.* pag. 374.
XXXVIII. *Ex eo, non debet quis fructum conſequi, quod niſus eſt impugnare.* pag. 375.
XXXIX. *Cùm quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ ſequuntur ex illo.* pag. 375.
XL. *Pluralis locutio, duorum numero eſt contenta.* pag. 375.
XLI. *Imputari non debet ei, per quem non ſtet, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum.* pag. 376.
XLII. *Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis.* pag. 377.
XLIII. *Qui tacet, conſentire videtur.* pag. 377.
XLIV. *Is qui tacet, non fatetur, ſed nec utique negare videtur.* pag. 377.
XLV. *Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius, vel quod plurumque fieri conſuevit.* pag. 378.
XLVI. *Is, qui, in jus ſuccedit alterius, eo jure, quo ille, uti debebit.* pag. 379.
XLVII. *Præſumitur ignorantia, ubi ſcientia non probatur.* pag. 379.
XLVIII. *Locupletari non debet aliquis cùm alterius injuria, vel jactura.* pag. 380.
XLIX. *In pœnis benignior eſt interpretatio facienda.* pag. 380.
L. *Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.* pag. 381.
LI. *Semel Deo dicatum non eſt ad humanos uſus iterum transferendum.* pag. 381.
LII. *Non præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum.* pag. 382.
LIII. *Cui licet quod eſt plus, licet utique quod eſt minus.* pag. 382.
LIV. *Qui prior eſt tempore, potior eſt iure,* pag. 383.

Digitized by Google

LV. *Qui ſentit onus ſentire debet commodum, & è contrà.* pag. 384.
LVI. *In re communi potior eſt conditio prohibentis.* pag. 384.
LVII. *Contrà eum qui legem dicere potuit, apertius eſt interpretatio facienda.* pag. 385
LVIII. *Non eſt obligatorium contrà bonos mores præſtitum Iuramentum,* pag. 385
LIX. *Dolo facit qui petit quod reſtituere oportet eumdem.* pag. 386
LX. *Non eſt in mora, qui poteſt exceptione legitima ſe tueri.* pag. 387
LXI. *Quod ob gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum.* pag. 388
LXII. *Nullus ex conſilio, dummodò fraudolentum non fuerit, obligatur,* pag. 388
LXIII. *Exceptionem obiiciens, non videtur de intentione Adverſarii confiteri,* pag. 389
LXIV. *Quæ contra ius fiunt, debent utique prò infectis haberi,* pag. 390
LXV. *In pari delicto, vel cauſa, potior eſt conditio poſſidentis.* pag. 390
LXVI. *Cùm non ſtat per eum, ad quem pertinet quominùs conditio impleatur, haberi debet perinde, ac ſi impleta fuiſſet.* pag. 391
LXVII. *Quod alicui ſuo non licet nomine, nec alieno licebit.* pag. 391
LXVIII. *Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſe ipſum.* pag. 392
LXIX. *In malis promiſſis fidem non expedit obſervari.* pag. 392
LXX. *In alternativis, debitoris eſt electio, & ſufficit alterum adimpleri,* pag. 393
LXXI. *Qui ad agendum admittitur, eſt ad excipiendum multò magis admittendus.* pag. 394
LXXII. *Qui facit per alium, eſt perinde, ac ſi faciat per ſe ipſum.* pag. 394
LXXIII. *Factum legitimè retractari non debet, licèt caſus poſteà eveniat, à quo non potuit incboari.* pag. 395
LXXIV. *Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.* pag. 395
LXXV. *Fruſtra ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſervari, cui fidem à ſe præſtitam ſervari recuſat.* pag. 396
LXXVI. *Delictum perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare.* pag. 396
LXXVII. *Rationi congruit, ut ſuccedat in onere qui ſubſtituitur in bonore.* pag. 397
LXXVIII. *In argumentum trahi nequeunt, quæ proptèr neceſſitatem aliquandò ſunt conceſſa.* pag. 397
LXXIX. *Nemo poteſt plùs iuris transferre in alium, quàm ſibi competere dignoſcatur.* pag. 398
LXXX. *In toto partem non eſt d ubium contineri.* pag. 398
LXXXI. *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet*

verosi-

Digitized by Google

veroſimiliter in ſpecie conceſſurus. pag. 399

LXXXII. *Qui contra iura mercatur, bonam fidem præſumitur non habere.* pag. 399

LXXXIII. *Bona fides non patitur, ut ſemel exactum iterùm exigatur.* pag. 400

LXXXIV. *Cùm quid una via prohibetur alicui, ad id alia via non debet admitti.* pag. 400

LXXXV. *Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur.* pag. 401

LXXXVI. *Damnum quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet, non aliis imputare.* pag. 402

LXXXVII. *Infamibus Portæ non pateant dignitatum.* pag. 402

LXXXVIII. *Certum eſt, quòd is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.* pag. 403

INDEX

Digitized by Google

INDEX REGULARUM IURIS CANONICI

Ordine Alphabetico expoſitus.

A

Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis. *Regula xxxxii.* pag. 372
Actus legitimi conditionem non recipiunt neque diem. *Reg. L.* pag. 381

B

Beneficium Eccleſiaſticum licitè abſque canonica inſtitutione obtineri non poteſt. *Reg. i.* pag. 355
Bona fides non patitur, ut ſemel exactum iterum exigatur. *Reg. lxxxiii.* pag. 400

C

Certum eſt, quòd is committit in legem, qui legis verba complectens, contrà legis nititur voluntatem. *Regula lxxxviii.* pag. 403
Contrà eum, qui legem dicere potuit, apertiùs eſt interpretatio facienda. *Reg. lvii.* pag. 385
Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur. *Reg. lxxxv.* pag. 401
Cui licet quod eſt plus, licet utique quod eſt minus. *Reg. liii.* pag. 382
Cùm non ſtat per eum, ad quem pertinet quo minùs conditio impleatur, haberi debet perinde ac ſi impleta fuiſſet. *Reg. lxvi.* pag. 391
Cùm quid unâ viâ prohibetur alicui, ad id aliâ non debet admitti. *Reg. lxxxiv.* pag. 400

Cùm

Cùm quid prohibetur; prohibentur omnia, quæ ſequuntur ex illo. *Reg. xxxix.* pag. 375
Cùm quis in jus ſuccedit alterius, juſtam ignorantiæ cauſam videtur habere. *Reg. xiv.* pag. 362
Cùm ſunt partium jura obſcura, Reo favendum eſt potiùs, quàm Actori. *Reg. xi.* pag. 360

D

DAmnum, quod quis ſuâ culpâ ſentit, ſibi debet; non alteri imputare. *Reg. lxxxvi.* pag. 402
Decet conceſſum à Principe Beneficium eſſe manſurum. *Regula xvi.* pag. 363
Delictum Perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare. *Reg. lxxvi.* pag. 396
Dolo facit, qui petit quod reſtituere oportet eumdem. *Reg. lix.* pag. 386

E

EA quæ fiunt à Judice, ſi ad ejus non ſpectant Officium, viribus non ſubſiſtunt. *Reg. xxvi.* pag. 369
Eum qui certus eſt, certiorari ulterius non oportet. *Regula xxxi.* pag. 371
Exceptionem obiiciens non videtur de intentione Adverſarij confiteri. *Regula lxiii.* pag. 389
Ex eo non debet quis fructum conſequi, quod niſus eſt impugnare. *Regula xxxviii.* pag. 375

F

FActum legitimè retractari non debet, licèt caſus poſtea eveniat, à quo non potuit inchoari. *Regula lxxiii.* pag. 395
Fruſtrà ſibi fidem poſtulat ab eo ſervari, cui fidem à ſe præſtitam ſervare recuſat. *Regula lxxv.* pag. 396

G

GEneri per ſpeciem derogatur. *Regula xxxiv.* pag. 373

I

IGnorantia facti, non Juris excuſat. *Reg. xiii.* pag. 362
Imputari non debet ei, per quem non ſtat, ſi non faciat id,

quod per eum fuerat faciendum. *Reg. xxxxi.* *pag.* 376
In alternativis, debitoris eſt electio. *Reg. lxx.* *pag.* 393
Indultum à Jure Beneficium non eſt alicui auferendum. *Regula xvii.* *pag.* 364
In Judiciis non eſt acceptio perſonarum habenda. *Reg. xii.* *pag.* 361
In malis promiſſis fidem non expedit obſervari. *Reg. lxix.* *pag.* 392
Infamibus Portæ non pateant dignitatum: *Reg. lxxxvii.* *pag.* 402
In argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquandò ſunt conceſſa. *Reg. lxxviii.* *pag.* 397
In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veroſimiliter in ſpecie conceſſurus. *Reg. lxxxi.* *pag.* 399
In obſcuris minimum eſt ſequendum. *Reg. xxx.* *pag.* 371
Is qui tacet, non fatetur, ſed nec utique negare videtur. *Regula xliv.* *pag.* 377
In pœnis eſt benignior interpretatio facienda. *Reg. xlix.* *pag.* 380
Is qui in jus ſuccedit alterius, eo jure, quo ille, uti debet. *Regula xlvi.* *pag.* 379
Inſpicimus in obſcuris quod eſt veroſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit. *Reg. xlv.* *pag.* 378
In pari delicto, vel Cauſa potior eſt conditio poſſidentis. *Regula lxv.* *pag.* 390
In toto non eſt dubium partem contineri. *Reg. lxxx.* *pag.* 398
In re communi potior eſt conditio prohibentis. *Reg. lvi.* *pag.* 384

L

Locupletari non debet aliquis cùm alterius jactura. *Regula xlviii.* *pag.* 380

M

Mora ſua cuilibet eſt nociva. *Reg. xxv.* *pag.* 368
Mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum. *Reg. xxxiii.* *pag.* 372

N

Nemo poteſt ad impoſſibile obligari. *Reg. vi.* *pag.* 358
Nemo poteſt plus juris transferre in alium, quàm ſibi competere dignoſcatur. *Reg. lxxix.* *pag.* 398
Non debet aliquis alterius odio prægravari. *Reg. xxii.* *pag.* 367
Non eſt in mora, qui poteſt exceptione legitimâ ſe tueri. *Regula lx.* *pag.* 387

Non

Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum. *Reg. lviii.* *pag.* 385
Non eſt ſinè culpa, qui rei, quæ ad ipſum non pertinet, ſe immiſcet. *Reg. xix.* *pag.* 365
Non firmatur tractu temporis, quod ab initio de jure non ſubſiſtit. *Reg. xviii.* *pag.* 364
Non licet Actori, quod Reo licitum non exiſtit. *Reg. xxxii.* *pag.* 362
Non præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum. *Reg. lii.* *pag.* 382
Nullus ex conſilio, dummodo fraudolentum non fuerit, obligatur. *Reg. lxii.* *pag.* 388
Nullus uti pluribus defenſionibus prohibetur. *Reg.* xx. *pag.* 365

O

ODia reſtringi, & favores convenit ampliari. *Reg. xv.* *pag.* 363

P

PEccati venia non datur niſi correcto. *Reg. v.* *pag.* 358
Peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum. *Reg. iv.* *pag.* 357
Privilegium perſonale ſequitur perſonam, & extinguitur cum perſona. *Reg. vii.* *pag.* 359
Pluralis locutio duorum numero eſt contenta. *Reg. xl.* *pag.* 375
Plùs ſemper in ſe continet, quod eſt minus. *Reg.* xxxv. *pag.* 373
Poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit. *Reg. ii.* *pag.* 356
Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſe ipſum, *Regula lxviii.* *pag.* 392
Præſumitur ignorantia, ubi ſcientia non probatur. *Reg. xlvii.* *pag.* 379
Prò Poſſeſſore habetur, qui dolo deſiit poſſidere. *Reg. xxxvi.* *pag.* 374

Q

QUæ à jure communi exorbitant, nequaquàm ad conſequentiam ſunt trahenda. *Reg. xxviii.* *pag.* 370
Quæ contrà jus fiunt, debent utique pro infectis haberi. *Regula lxiv.* *pag.* 390
Quod alicui ſuo non licet nomine, nec alieno licebit. *Regula lxvii.* *pag.* 391
Qui tacet, conſentire videtur. *Reg. xliii.* *pag.* 377
Qui prior eſt tempore, potior eſt jure. *Reg. liv.* *pag.* 383
Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & è contra. *Reg. lv.* *pag.* 384
Qui ad agendum admittitur, eſt multò magis ad excipiendum

admit-

admittendus. *Regula lxxi.* *pag.* 394
Qui facit per alium, eſt perindè ac ſi faciat per ſe ipſum. *Regula lxxii.* *pag.* 394
Qui contrá jura mercatur, bonam fidem non præſumitur ſe habere. *Reg. lxxxii.* *pag.* 399
Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. *Reg.* xxix. *pag.* 370
Quod ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum. *Reg lxi.* *pag.* 398
Quod quis mandato facit judicis, dolo facere non videtur, cùm habeat parere neceſſe. *Reg.* xxiv. *pag.* 368
Quod ſemel placuit, ampliùs diſplicere non poteſt. *Reg.* xxi. *pag.* 366
Quod alicui gratioſè conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum. *Reg. lxxiv.* *pag.* 395

R

Rationi congruit, quòd ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore. *Reg. lxxvii.* *pag.* 397
Ratihabitionem retrotrahi, & mandato comparari non eſt dubium. *Reg.* x. *pag.* 360
Ratum quis habere non poteſt, quod ejus nomine non eſt geſtum. *Reg.* ix. *pag.* 360

S

Semel Deo dicatum non eſt ad uſus humanos ulteriùs transferendum. *Reg. li.* *pag.* 371
Semel malus ſemper præſumitur malus. *Reg. viii.* *pag.* 359
Scienti, & conſentienti non fit injuria, neque dolus. *Reg.* xxvii. *pag.* 369
Sine culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus, *Regula* xxiii. *pag.* 367
Sine poſſeſſione Præſcriptio non procedit. *Reg. iii.* *pag.* 357

V

Utile non debet per inutile vitiari. *Reg.* xxxvii. *pag.* 374

F I N I S.

1325

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google